Digitized by Google

SACRVM PANCARPIVM
PRO SANCTORVM FESTIVITATIBVS.

EX FLORIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ & SS. Patrum, ſuper Euangelia quæ in iiſdem Feſtis leguntur.

Studio & Labore

F. ABRAHAM BZOVII POLONI
S. Theologiæ Doct. Ord. Prædicatorum contextum.

Allegoriis, Hieroglyphicis notis, Orphicis ſenſibus, Emblematibus, Philoſophorum & Principum virorum apophtegmatibus, præſertim vero hiſtoricis exemplis, ad Ethicen Chriſtianam formandam refertum,

SERTVM TERTIVM.

Illuſt. & Rñdiſs. D. D. STANISLAO SVLOVIO Abbati Tinceñ. O. D. C.

Adiecti duo Indices, Vnus locorum Sacræ Scripturæ explicatorum, Alter rerum & ſententiarum memorabilium.

CVM PRIVILEGIO.



VENETIIS. MDCXI.

Apud Societatem Minimam.
Superiorum Permiſſu.

Digitized by Google

Illuſt. & Reuerendiſſimo D.

D. STANISLAO SVLOVuSKI

DIVINA PROVIDENTIA ABBATI TINECENSIS.

Canonico Nato Cracouien. Sereniſſimi Poloniæ, Sueciæ, Vandalorum, Gothorum Regis, & Moſcouiæ Monarchæ, Secretario. &c.

FRATER ABRAHAM BZOVIVS

S. Theologiæ Doct. Ord. Prædic. S. S. S.

PYTHAGORAS *Philoſophorum Princeps docebat, duo eſſe longe pulcherrima a Deo hominibus conceſſa.* Veritatem agnoſcere, & Alijs benefacere. *Rectè, & ex ſecretiorum Sacrorum ſenſu. Nam vtrumque & cum Dei operibus comparandum, & in ſummæ felicitatis loco ponendum eſſe, omnes Magni cenſent. Dei quidem id primarium opus, puram veritatem in ſuo radio aſpicere, & ex aſpectu illius liquidam voluptatem in ſeipſo decipere. Porro quia res vniuerſi æternis regit Imperijs, cogitat, non tam vt fulmine deter-*

reat flagranti, quam lumine reficiat ardenti mortales. Ideoque qua ratione, diffuſili Beneficentiæ tullio, elices cunctorum replere ditareq́, poßit,

Animũ nunc huc celerẽ, nunc diuidit illuc.

Felices, quibus datum ad exemplar huius Solis, ab illiquio purioris ſplendoris radiare, & nonnihil Diuinitatis hauſta in alios corriuare. Radias & irradias Tu Illuſtre Septentrionis iubar, quà à naturæ benignitate, quà ab honeſta contentione, quà denique ab Officij impoſiti dignitate. Proprium id Tuæ ſtirpi, Patres vt ſimul cum ſemine depangant, matres verò vt ſimul cum lacte immulgeant Svloviis *pulcherrimarum rerum ſtudium, & illam Dijs proximam beneuolam & beneficam comitatem. quam etſi in alijs non præparca manu, in Te autem toto, quod aiunt, ſinu depanxerunt, huicq́, mantiſſam addiderunt, illum ſapientiæ cupidum ardorẽ, illam in Deum flãmantem pietatem, illa alia ſine numero præclara animi ornamenta; quibus Te cœtui Ampliſsimo Collegij Canonicorum Cathedralis Eccleſiæ Cracouienſis inſeruiſti, & non tantum Illuſtriſsimis Georgio Radiuillo & Bernardo Macieionio S. R. E. Cardinalibus eius Eccleſiæ Epiſcopis, verum & Sereniſsimo Sigiſmundo III. Polonorum, Suecorum, Gothorum, Vandalorum Monarchæ, nunc primum Moſchorum triumphatori,*

quini-

quinimo & Sanctiſſimo D. N. Paulo Quinto Summo Hierarcha, atque adeo Regno & Eccleſia probaſti, vt Te ex Canonica Cracouienſi, ad Præfecturam Cœnobij Tinecen. euocarent, rebus lapſis ſubleuandis columen; & Religioni inſtaurandæ Moderatorem Cœnobiarchum. Quamobrem ab hac impoſita cura, ſcio hanc ingentem curam Tuo ſurgere in animo, vt & Diuiniore Philoſophia pectus Tuum veritatis auidum impleas, & Religionem Cluniacenſem Tinecij pene incapulatam ſuo ſpiritu redanimes, & opes Mandræ commiſſæ ſatis honeſtas, non in lubrica & ludicra, ſed imprimis ad cultum Diuinum amplificandum, res Cœnobij augendas ſimul & reformandas, iuuentutem religione & doctrina inſtituendam colloces. Quid memorem virtutum Tuarum Illuſtrium Agmen, quæ velut ſidera Tuum ambiunt caput? Apud Te enim velut in Sacrarium recepta Aſtræa

vtilibus rectum præponere ſuadet
Communeiſque ſequi leges, iniuſtaque nunquam.
Largiri ſocijs. Durum Patientia corpus
Inſtruit, vt nulli cupias ceſſiſſe labori.
Temperies, vt caſta Pietas: Prudentia, ne quid
Inconſultus agas: Conſtantia, futile ne quid
Infirmumque geras.

Euge

Digitized by Google

Euge felix æternus ab hac ſapientia, ab hac beneficientia. Certum, quia

nec ſemper violæ, nec ſemper lilia florent
Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.

hæc vero præclara animi ornamenta, quibus præfulges nunquam flacceſcent, nunquam marceſcent, ſed ad ampliora honora Te eleuabunt, nomenque Tuum immortale perennabunt. Hoc ego Tibi auguror, hoc adprecor, Sacrumque iſtud Pancarpium pro feſtiuitatibus Diuorum, quos Tu admiraris & æmularis, a me ex multigenis eorum Floribus pertextum, Illuſtri & Reuerendiſſimo nomini Tuo offero, Conſecroque. Venetijs ex Conuentu S. Dominici. Calend. Auguſti. Anno ſeculari. M DC XI.

Digitized by Google

INDEX LOCORVM
Sacræ Scripturæ explicatorum.

Geneſis.

3. *Et flammeum gladium atque verſatilem* 137

14. *A filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ nihil accipiam* 38

27. *Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni &c.* 125

37. *Dedit ei ſtolas quinque* 25

Exod.

4. *Et verſa eſt in colubrum.* 132

10. *Sint tenebræ ſuper terram Aegypti* 126

25. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles &c.* 150

27. *Facies arcam de lignis Zethim.* 14

29. *Bezeleel & Ooliab. &c.* 13

30. *Labrũ ex ſpeculis mulierũ.* 101

Numeri.

14. *De genere giganteo, quibus comparati reliqui quaſi locuſtæ.* 12

24. *Venient in trieribus de Italia, & ſuperabunt Aſſyrios* 256

Deuter.

32. *De vinea Sodomorum vinea eorum &c.* 106

Iud.

1. *Qui percuſſerit Sepher, dabo ei Axam* 76

3. *Stellæ pugnauerunt contra Syſaram.* 140

5. *De cælo dimicatum eſt contra eos.* 154
In tempore illo, erat Debbora mulier Propheteſſa &c. 155. *& ſeq.*

1. Regum.

13. *Quinque limpidiſſimos lapides de torrente* 1

3. Regum.

18. *Ecce nubecula parua, quaſi veſtigium hominis* 142
Fecit aquæ ductũ, quaſi per duas aratiunculas &c. 103

4. Regum.

10. *Sed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis* 54

4. Eſdr.

5. *Ex omnibus plaſmatis pecoribus, elegiſti tibi ouem vnam* 39

Iob.

11. *Miſeriæ obliuiſceris, quaſi fulgor conſurget tibi, & cum te conſumptum putaueris orieris vt Lucifer.* 162

17. *Gigantes gemunt ſub aquis* 13

29. *Quando lauabam butyro pedes meos* 71

28. *Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs vertitur.* 148

36. *Per hæc iudicat populos* 80
Extendere nubes quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine deſuper, cardines quoque maris operire 78

38. *Numquid ingreſſus es theſauros niuis* 11

Pſal. 18.

In Sole poſuit tabernaculũ ſuum. 53

22. *Calix meus inebriãs, quã præclarus*

rus eſt 105. *& ſeq.*

26. *In petra exaltauit me, 20. & ſeq.*

41. *Ad meipſum anima mea contur bata eſt, propterea memor ero tui de terra Iordanis &c.* 97

50. *Oſtendiſti populo tuo dura, pota-ſti nos vino compunctionis.* 107

62. *Anima mea ſicut terra ſine aqua tibi* 25

67. *Et poſteriora dorſi eius in pallore auri* 115

71. *Deſcendet ſicut pluuia in vellus* 39. *& ſeq.*

93. *Qui fingis laborem in precepto.* 44

103. *Qui facis Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis* 114. *&* 152

113. *Qui conuertit petram in ſtagna aquarum* 103

117. *Habitaui cum habitantibus Cedar* 128

118. *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua* 148

135. *Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi* 136

143. *Fulgura multiplicabis & conturbabis eos* 29

146. *Qui numerat multitudinem ſtellarum & omnibus eis nomina vocat* 109. *& ſeq.*

147. *Qui dat niuem ſicut lanam.* 11

Cant.

1. *Meliora ſunt vbera tua vino.* 168

Murenulas aureas faciemus tibi, vermiculatas argento 60

Nardus mea dedit odorem. 125

2. *Reſpiciens per feneſtras, proſpiciens per cancellos* 147

3. *Fulcite me floribus; quia amore langueo* 108

Oſtende mihi faciem tuam. 115

4. *Veni coronaberis de cubilibus leonum & de montibus pardorum.* 122

6. *Quæ eſt iſta quaſi aurora, pulchra vt Luna, electa vt Sol.* 161

7. *Ego murus, & vbera mea ſicut turris* 181. *& ſeq.*

Ibid. Quaſi pacem coram eo reperiens 182

8. *Mandragoræ dederunt odorem* 160

Et muſtum malorum granatorum tuorum 108

Eccleſiaſt.

24. *Quaſi palma exaltata ſum in Cades* 117

43. *Vas admirabile opus excelſi.* 55

48. *In Eliſæo completus eſt ſpiritus eius* 123

50. *Quaſi arcus, & quaſi flos roſarum & quaſi lilia &c.* 161

10. *Quaſi Sol refulgens* 140

Iſaia.

7. *Butyrum & mel comedet* 71

11. *Habitabit lupus cum agno &c.* 85

17. *Onus Damaſci, ecce Damaſcus deſinet &c.* 143

19. *Aſcendet ſuper nubem leuem.* 143

28. *Mittam in fundamentis Sion lapidem pretioſum &c.* 93

43. *Vocaui te nomine tuo, Meus es tu* 18

60. *Qui ſunt iſti qui vt nubes volāt* 77. *& ſeq.*

74. *Fundabo te in Sapphiris* 6

Ezechiel.

1. *Similitudo ſuper capita animaliū firmamenti quaſi aſpectus cryſtalli*

ſtalli. 48
Facies aquilæ deſuper ipſorũ quattuor 26
10. Quaſi aſpectum lapidis ſapphiri ſimilitudinem throni 3

Daniel.

4. Et ecce alia beſtia ſimilis vrſo &c. 141

Oſeæ.

2. Sponſabo te mihi in ſempiternum 18
11. Ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillam 46

Amos.

7. Et in manum eius trulla cæmentarij 165

Ioel.

3. Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon &c. 38

Malach.

3 Ipſe quaſi ignis conflans, & ſedebit emundans &c. 174

Matth.

10. Eſtote prudentes ſicut ſerpentes. 131. & ſeq.
11. Regnum Dei vim patitur 91
13. Quærẽti bonas margaritas. 184
16. Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam 94
Quodcunque ligaueris vel ſolueris ſuper terram &c. 95
17. Vade ad mare & mitte hamum & eum piſcem &c. 95

Ioann.

3. Sicut exaltauit Moyſes ſerpentem 82
10. Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili 63

1. Corin.

3. Fundamentum aliud nemo poteſt ponere &c. 174
Ibid. Siquis autem ſuperædificauerit ſuper fundamentum hoc &c. 175. & ſeq.
Ibid. aurum, argentum, & lapides pretioſos 176
Ibid. Sic tamen quaſi per ignem. 175 & ſeq.

2. Cor.

3. Nos vero omnes reuelata facie gloriam Domini ſpeculantes 5

Galat.

6. Ego ſtigmata Domini Ieſu in corpore meo porto 159. & ſeq

Heb.

11. & adorauit faſtigium virgæ eius 159
Omnia concluſit ſub peccato 11

Apocal.

1. Stellas ſeptem, & de ore eius procedebat gladius 173
Oculi autem eius tanquam flamma ignis 146
21. Et murus ciuitatis habens fundamenta duodecim 3
Secundum ſapphirus 2
Vndecimum fundamentum Hyacinthus 121

FINIS.

INDEX RERVM MEMORABILIVM.

A

ACCESSVS, ad Deum & receſſus a Deo modus,& locus quis 97
Adamantem cur inter lapides ornantes non poſuit S. Scriptura 4
Agaræ fons oſtenſus quid 101
Agaræ ſuperbia 97
S. Agnetis Politianæ laudes & miranda 61.& ſeq.
Agnetis martyris virtutes 38
Allegoria fundamenti Eccleſiæ 96
Alexander quoties ſudabat odores ſpirabat 139
Amore nihil facilius 44
Amoris hierogl. imago ſatis ſcita & curioſa 161
Anacephalæoſis Apocalypſis Ioannis 26. operum Petri 96
Anacharſis dictum de vite 107
Annibalis dictum in Romanos, vſurpandum in corpus noſtrum 68
Andreæ Apoſtolo Sapphirus accomod. 2. & ſeq. laudes eius paupertatis 3. obedientiæ. 4. charitatis ibid. martyrij. 5
Angelorum, natura 150. ſtatio 151. officia ibid. cognitio matutina. ibid. reuelationes ſeu locutiones. 152. miniſteria ex ſcientia veſpertina ibid. & 153
Animarum inalbatio ſummum beneficium 11
Animæ humanæ nulla recreatio ſine aliquo liquore 106
Anthæi orphica ſignificatio 122
Antitheſis templi Salomonis & noſtrorum 189.& ſeq.
S. Antonini Florentini beneficentia. 72
Apologus felis in virginem conuerſæ. 141
Apoſtolorum hierogl. nubes 78. eorum mirac ula 79
Operatio in conuerſione gentiũ 80. iudiciaria poteſtas ibid. Clementia 81
Apoſtolorum hierogl. ſerpens. 131. & ſeq.
Aquilæ pullus adpectoralis, præ cæteris generoſior 27
Aquæ Hiericanæ ſanatæ quid 34
Ariciæ & Sidicini agri miranda. 116
Arundo mellis ferax 91
Asbeſton lapis inextinguibilis 52
Atalantæ curſus trium pomorum obiectu retardatus 8
Athanaſij indoles præmonſtrauit illum Epiſcopum futurum 58
S. Auguſtini virtutes. 139.& ſeq.
Auida periculi virtus 123

B

BABYLONII poculũ vinum venenatum, & amaritudine ſempiterna plenum 106
Baptiſmus triplex 33
Barach quid 155
Baſiliſci genitura qualis 37
Beati, qui infantes præmittunt in cœlum 33
Behemoth virtus in lumbis 185
Beneficentiæ hierogl. Sol. 70. butyrum & oleum. 71. eius merita & laudes. ibid.
Beneficẽtia ſimiles Deo homines facit. 167. apud Deum potior quam contemplatio 168
Beniamin amantiſſimus Domini 25 eius nomina tria. ibid.
Beniamin typus Chriſti 30
S. Bernardi Abbatis virtutes &c. 125. & ſeq.
Bethel quid 155
Bona Dea Gynecæis prælata, qualis & cur. 75
Botri amariſſimi quid 106

CADMI

C

CADMI progenies quid. 69. hæreticos ſignificat 70
Calamitas virtutis occaſio 23
Calicis Chriſti mellinium 105
Calix pœnitentiæ quam amaro dulcis. 107
Carnis hoſtilitas cum anima 185
Carnis reluctatio ad ſpiritum 122
Caroli Galli continentia 145
Cartalus cruci affixus quod Patri in cultu diſſimilis 200
Charitatis poculum quam ſuaue 108
Charitatis iunctura neceſſaria virginitati. 187. eius laudes. ibid. 1
Charitatis virtus quantopere neceſſaria 111
a Caſſiani Abbatis lectione Thomas Aquinas magnus 51
Catherinæ martyris virtutes. 186. & ſeq.
S. Catherinæ Senen. laudes. 73. & ſeq.
Cedar quid 128
Cherſydris natura 158
Chriſti corona ex Sanctis plexa 122
Chriſti oculi flammantes quid. 146
Chriſti onus leue facilitate ipſa mandatorum 44
Chriſtianorum hierogl. 85
Chriſtus amat odores in ſe & in ſuis. 126
Chriſtus petra 21
Chriſtus ſponſus Eccleſiæ. 65. hæres orbis 67
Claues cœlorum quid 95
Cogitationum hierogl. capilli. 104
Concordiæ hierogl. tabella 86
Concordiæ præceptum 165. apophtegmata in illam 166. apologus in eandem. & hierogl. nota, ibid.
Confeſſionis allegoria 104
Cononis Filij martyrium 33
Conſciētiæ remorſus in Beſſo, Nerone, Caligula, Theodoſio, Alexandro Magno 137. & ſeq.
Contemplatio feruens immutat homines 160
Conuerſio ad ſe, auerſio a Deo 97
Corona certantibus debetur 69
Corona ſiderum quid & vbi 68
Coronarium aurū apud Gentiles 122
Crudelitas Abimelechi & Iehu in fratres 29
Crucis Chriſti ligno debet mundus ſalutem 81
Crucis Chriſti hierogl. in templo Serapidis inuenta 84
Crux Chriſti indicat omnes virtutes. 83
Crucis duo genera 92
Crucis figura apud Aegyptios 159. & apud Hebræorum Patriarchas. ibid.
Crucifixi imago D. Bernardum amplectitur 131
Cuſtodia neceſſaria virginitati. 186

D

DAMASCVS quid 143
Dauidis victoria de gigante 1
Debbora quid 155
Detractionis ſcelus quantopere vitandum 140. eius hierogl. 141
Deus architectus 165
Deus examinator & purgator 174
Deus fingit laborem in præcepto. 44
Deus hominem ſibi illigat pulchritudine 16. luce 17. dominio ibid. ſponſalitio 18. delicijs. ibid. beneficijs. ibi. beneuolentia 19
Deus populorum nutritius 150
Deus multinomius 16. quid & quis eſt. 17
Dei pulchritudo qualis 16
a Dei viſionibus qualis dulcedo 17
Deo ſeruire, regno præſtantius eſt. 168
Dilectionis Dei cauſæ 15. & ſeq.
Dilectionis proximorum effectus & vtilitates 165. & ſeq. & modus. 167
Dionyſij Romani martyrium 47
S. Dyoniſij templum a Chriſto apparente conſecratum 189
Dolor pro peccatis ex animo. 102. eius typus 103
Dominicam virginem quæ decent decora 74
S. Dominici ortus, lumina, virtutes &c. 111. & ſeq.

E

EBRIETATI præmia olim decreta 105

Digitized by Google

Eccleſiæ Catholicæ amplitudo 63. incrementa. ibid.
Eccleſiæ Catholicæ vnitas 85. a doctrina 86
Eccleſia ex gentibus 63. ſponſa 65. hortus concluſus 73
Edeſſena; quædam traxit filiolum ad martyrum 33
El & Elohim quid 16
ab Eleemoſyna incrementum bonorũ. 72
Epicteti dictum de Dei præſentia. 146
S. Epiphanius in pauperes munificus, locupletatur auro 72
Eſau typus perſecutorum 22
Extaſis ab ardenti contemplatione. 160
Euchariſtiæ virtus in Guilelmo Aquitano 130

F

FIDES ſola hæreticorum ſuggillatur 91
Fidei ſeruandæ cura 134
Firmamenti nomine, Sancti vocantur 48. & Angeli quoque 49. eius proprietates Sanctis & Angelis applicatæ. 49. & ſeq.
S. Franciſci virtutes & ſtigmata 163. & 164
Fundamenta Eccleſiæ Apoſtoli 2

G

GENTILIS quidam, quomodo peccatum deteſtabatur 102
Gladius Diuinus, cæſim & punctim ſtringit 174
Gregorius Clarentiæ Dux voluit mergi in vaſe Critici vini 109

H

HAERETICI fruſtra de paucitate glorìantur 65
Hæreticis proprium variare 87. ſeſe damnare ex ſe 88
Hebræus quidam arena conſperſus, deficiente aqua baptiſmali, melius habere cœpit 32
Hecubæ fax infauſta 111
Hercules infans ſerpentes necat 7
Hermonym quid 98
Hierogl. Andreæ Sapphyrus 3. & ſeq.
Hierogl. candidationis animarum, nix. 11. & ſeq.
Hieroglif. in Deum translatæ mentis Mãdragoræ 160. & arcus, & roſa, & lilium, & aurora. 161. & Sol, & Luna, & ſigillum 162
Homo ad ardua & magna natus, 20. ad dura. 21
Homo Dei ſeruus ſubulatus. 43. liber & non liber ibidem.
Humilitas ambitio ambitioſiſſima 98. eſt mons modicus eleuans. ibidem. & ſeq. propria magnis. 99. Deo grata. 100
Humilitatis typus, Iordanis & Hermonym 98
Humilibus nihil arduum 46
S. Hyacinthi virtutes 122. & ſeq.
Hydra, hierogl. peccati 37

I

IACOB reuertens cum duabus turmis typus Chriſti 63
Iacobi viſio ex lapide 20
Iacobi Apoſtoli martyrium. 108. & ſe.
Iacobæus lapis typus Petri 93
Iael quid 156
Iehoua & Sadaj quid 16
Ieſu ſponſi dotes 186
Ignis non recipit pedeſtrem menſurã, quid 4
Imago caſtitatis 75
Imitandum exemplar Crux Chriſti. 83
Imperator quidam capillũ inaurabat. 56
Incorruptio propria virginibus, etiam a morte 119
Iniuriæ templis illatę, vindicatæ a Deo. 191
Inuocãdi Deum variæ formulæ ex Dei nominibus 16
Ioannes Aquila 25. filius diuitiarum quo nemo ditior. ibid. eius viſiones 26. eius diuitiæ ſtola virginitatis. 27. innocentiæ. ibi. modeſtiæ, humilitatis, charitatis. 28. miracula ab eo patrata. ibi. exceſſus 29
S. Ioannes, vox. quare dictus 90. Angelus 91. arundo ibid.

Iobo data inauris & ouis quid 42
Iodoci ab eleemoſyna locupletio 72
Iordanis quid 98
Iouis fulmen a cupidine abreptū quid Orphice ſign. 108
Iulianus ſigno Crucis a dæmonibus liberatur 85
Iuſtitiæ Diuinæ hierogl. gladius flammeus & verſatilis 173

L

LABRI Moſayci anaglypha & hierogl. 101. & ſeq.
Ladiſlai Infantis Poloniæ indoles, magna de ſe promittens 7
Lapis ſuper lapidem quid 93
Laurentij martyrum 114. & ſeq.
Leonis Imperatoris mors propter coronam ex templo S. Sophię ablatam. 191
Linteum Petri, quid 96
Lithoſpermi pulchritudo 121
Ludouicus Imperator in purgatio exiſtens, apparuit filio, poſcens ſuffragia 178
Lumen ſuum non ſtatim voluit exerere Chriſtus, cur. 89
Lunam ſupra, omnia pura 53
Lychnus ante propitiarorium typus Ioannis Baptiſtæ, 89. qui varie arſit. ibi. & ſeq.

M

MACTA & manduca Petro dictū quid 96
Magdalena exemplum pœnitentię 101. & ſeq.
Maria D. Bernardo apparet 130
Maria Sol. 53. a lumine, quod non tam plenum in ſupremo Angelorum. ibi. quia magno muneri deputata 54. & magna humilitate diſpoſita ibi. ideoque vas admirabile & opus ſingulare excelſi 55. eius oculi radiantes quam lucidi 56. eius capilli quaſi Solis radij. ibid. excedit Cherubum. 55
Maria mons ſuper montes, propter humilitatem. 99. ſupra illam nihil niſi Deus. ibid.
Maria murus & turris. 180. & ſeq.
Maria omnibus magnis maior 12. copioſiorem quam alij gratiā adepta 13. nam illa eſt arbor vitæ, terra noui Adami, Paradiſus nouus, arca, liliū, hortus, virga, maximis donis a tota Trinitate ornata & diuitata. ibi. & ſe.
Maria ouis, quæ Agno teſtamenti vellus miniſtrauit 39. eius innocentia 41
Mariæ ſymbol. nubes. 141. illuminata 142. innupta 143. leuigata. ibid. exonerata neceſſitate peccandi. 144. in ea veſtigium tantum hominis quid. ibid. eius emblemma ex Draconteа. ibi. eiuſdē ſymbola. 119. elogia 144. & ſeq.
Obedientia. 41. in purificatione ſuſcepta. humilitas 42
Mariæ aſſumptionis cauſæ virginitas & charitas 117. & ſeq.
Mariæ poteſtas contra hoſtes 156
Mariæ ſubſtructio & ornatus a ſymbolo ſmaragdi 182
Martyribus Deus adeſt, & vultum oſtendens ſolatur 115
S. Matthæi hierogl. Chryſolitus. 148. eius prædicationis & martyrij narratio 149
Miniſtri Chriſti, ſunt Angeli. 114. & flamma ignis. ibid.
Miracula a cultu Deiparæ. 100. & 120. & 145. & 157. & 183
Miracula a ligno Crucis. 84. & ſeq.
Mitibus nihil aſperum 46
Monarchus orbis Chriſtus 67
Monita ſalutis, quæ Thomas Aquinas ſibi innuebat 50
Mortui poſſunt iuuari. 178. orationibus, ſacrificijs & elemoſyna, 179. eos iuuandi ratio, tradita ab Apoſtolis. 179. vtilitas magna ex adiutorio eorum. 180
Moyſi facinora 6. & ſeq.
Moyſes ab Aegyptia adoptatus, typus Chriſti in Aegyptum fugientis 30
per Mulieres vincere ſolet Deus, cur. 154
Mundi allegoria Cedar 128
Murænis ſeptem maculæ inſtar Septentrionum inſunt. 60. ſūt hierogl. ſeptē gaudiorū quibus Sancti fruuntur. 61

N

NAVLVM qui ſoluebant & tributum 95
Nephtalim quid 156
Nicolai incunabula 6. nutricatio & educatio 7. caſtitatis zelus 8. electio ad Pontificatum, & cupido iuuandi proximos 9. fidei ardor, & obitus 10. cũ Moyſe comparatio 6. & ſeq.
Noctuarum oua vini odium excitant. 107
Nubes myſticæ quæ 77
Nubis Solem referens qualis debet eſſe 48
Nymphææ Petræ miranda 116

O

OBLATIO Eliæ typus partium pœnitentiæ 103
Occidio infantium in Aegypto, typus occidionis infantiũ in Bethleem. 30
Ocularis hoſtilitas, in palpebra obruenda 37
Odores virtutum quantum Deo placent 126
Officia Angelorũ 16. erga homines. 153
Originationis peccati hierogl. Ibis & Baſiliſcus 37
Orbilij dictum elegans 111

P

PALMA nidus Prophetiæ quid. 154
Palmæ propria 118
Parelia quid 52. Sanctorum hierogl. ib.
Partum Diuinum conueniebat celari, fuga in Aegyptum 31
Paupertatis laudes 3
Pauli Græci ſupplicium propter coronam ex templo S. Felicis ablatã. 191
Peccata veniala non mortalia, igne purgatorio expiantur 177
Peccati naſſa, quomodo omnia concluſa 11
Peccati incentiua obruenda 36
Peccati ſpurcitia quanta 102
a Peccato nemo mundus 176
Pedes Chriſti Apoſtoli & pauperes 71
Perſecutionum tres cauſæ. 22. & ſeq.
S. Petri noui martyris laudes & certamina 68. & ſeq.
S. Petri præeminentia ſuper Apoſtolos 93. hierogl. Iaſpis. ibi. primatus ſigna. 94. officia. 96. vnctio ſpecialis 94
Pij Quinti Pont. Max. Sanctitas 155
Polonorum ſymbol. ex S. Script. 112
Pœnitentiæ hierogl. labrũ Moſaycum. 101
Præceptorum Dei facilitas 44
Prędicatores muti quam Deo exoſi. 35
Prædeſtinationis ſymbolum, ſtellas numerare 111
Principijs obſta 37
Primigeniorum prærogatiua 95
Probatio virtutis eſt perſecutio 23
Proles Sathanæ tumida, Dei autem humilis 97
Prouidentiæ Diuinæ præfinitio 31
Proximum diligere, nihil facilius 45
Puellæ cuidam caſtitas ſeruata a cultu Mariæ. 145, Argus quid 146
Purgatorij aſſertio ex Scriptura Sacra. 174. & 175. & ex patrib. 176. & ex ratione 177

R

RACHEL typus Mariæ 39
Rama quid 155
S. Raymundi Barcinonen. virtutes & zelus, 36. idem mare in pallio tranat. ibid.
Reſurrectionis hierogl. palma 117
a Roſarij oratione miracula. 14. & 42. & 57. & 155

S

S. SABBAE in Hilarionem beneficentia, miraculo illuſtrata 72
Salamandra in ignibus viuit 69
Salis pactũ in veteri lege quid innuit. 34
Salomonis incerta promiſſio facta Berſabeæ 180
Salutis acquirendæ modorum, tabula hierogl. 177
Salus a Cruce Chriſti 83
Samſonis crines quid innuunt 56
Sanctorum hierogl. nubes 77

Sanctorum gloria qualis. 61. & ſeq.
Sanctorum in regnum electio & ſucceſſio, vocatio, ornatus, 169. corona ſtellarum duodecim 170. & ſeq. pomũ, ſceptrum, gladius, thronus 171. regnum & voluptas 172. facilitas adipiſcendi 171
Sancti cur tam ardentes in paſſione. 115
Sancti, ſtellæ. 110. eorum varietas in Eccleſia. ibid.
Sanctificandi animas, varios habet modos Deus 12
Satisfactionis allegoria 104
a Sathana nihil omnino accipiendũ. 38
Sathanæ hierogl. Cherſydrus 117
Sathan ex templo S. Agathæ profugus. 189
Sathan morientibus infeſtus quomodo fugandus 131
Scæuolæ facinus 114
Scintillæ a ſtellis cadentes 57
Scipionis Affricani continentia laudata 8
Sehon, typus tentationis oculorum. 37
Sepher, quid 76
Serapidis idolum apud Aegyptios cruce ſignatum 159
Serpens Crucifixus typus Chriſti 83
Serpentum quadruplex prudentia. 134 & ſeq. imitanda 135
a Serpente percuſſi a ſerpente medicabantur 131
Serpentes cicurati & obſequentes. 132. Cuſtodes 133. liberatores ibid.
Seruio Tullo caput arſit 112
Seruire Deo, regno præſtantius eſt. 169
Sex virtutes virginibus neceſſariæ 76
Smaragdi proprietates 182. dotes 183
Sol iuſtitiæ non innubis apparere ſolet 77
Stellando cœlo Chriſtus animas Sanctorum transfert 109
Stellas a Deo numerari, & vocari quid. 110
Stephani viſio a pluuia lapidea 20
Stratagema quo Chriſtus vicit orbẽ. 2
Suaue iugum Chriſti a charitate 45
Superbiæ peccatum apoſtatare facit a Deo 97
Symbol. ne virgines ſint vini bibentes. 108

T

TEMPLORVM antiquitas. 188 neceſſitas, ibid. magnificẽtia. 189
Temulentiæ pœna apud Gentiles. 107
Tenebrarum ſpiritualium quib. Deus peccatores caſtigat typi. 136. & ſeq. grauitas 137. in eis terrores & cruciatus 138
Tertia pars ſtellarum quid 109
Theutonis cuiuſdam dictum facetum. 105
Thomæ Apoſtoli ardor & martyriũ. 19
Thomæ Aquinatis laudes 48. & ſeq.
Tres Soles ante natiuitatem Chriſti apparentes, quid portendeb. 53
Tribulatio, meritorum & laudis occaſio 24
Trulla cæmentarij quid 165
Turcæ ſigno Crucis a peſte liberantur. 84
Tutela honoris Chriſti 134

V

VENETORVM zelus in tuenda olim Eccleſia 156
Verbi Dei generationis modus 90
Verbi Dei hieroglyphiæ, vinum, ſinapi, ſcintillæ, ignis, ſtimulus, ſagitta, gladius, malleus. 34. & ſeq.
Veterani ad Iulium Cæſarem dicta, quãdoque pijs cum Chriſto vſurpanda. 24
Victoria de Turcis oratione Sanctiſſimi Roſarij parta. 154. & ſeq.
Vincentij Confeſſoris virtutes & laudes. 58. & ſeq.
Vincentij martiris conſtantia 47
Vinum compũctionis quam dulce 107. multum quid 108
Virginitatis cuſtodiæ hierogl. teſtudo. 186
Virginitatis hierogl. vniones 184
Virginitatis hierogl. ſmaragdus 182
Virginitatis hierogl. palma 118
Virginitatis hierogl. lilium. 73. eius nobilitas & aliæ laud. ibid. & ſeq. illi ſeruandæ præcepta 74. & ſeq. emblẽma eiuſdem 75
Virgines a carne non poſſunt conſeruari, ſed a Deo 185

Vir-

Virginitas in paradiſo connata parentibus 126
Virtus Behemoth in lumbis 185
Virtus ex natura ſua perſecutiones ſibi gignit 22
Virtutis labor facillimus 45
Virtutum odoris hierogl. varia & typi. 126
Virtutis cultus martyribus mortem attulit 22
Vitium pangendarum tempus 108
Vlyſſis ſtratagema in euitandis Syrenibus 81
Vnionũ genitura & proprietates. 184. & ſeq.
Vrracha quomodo interijt propter violata ſacra 191
Vua fellis quid 106

Z

ZABVLON quid 156
Zodiaci aſtra, varietatem virtutum innuunt 51

FINIS.

SACRVM PANCARPIVM PRO SANCTORVM FESTIVITATIBVS.

EX FLORIBVS SACRÆ SCRIPTVRÆ & SS. Patrum, ſuper Euangelia quæ in ijſdem Feſtis leguntur.

Studio & Opera

FRATRIS ABRAHAM BZOVII S. Theologiæ Doct. Ord. Prædic. contextum.

Corona Tertia.

IN FESTO S. ANDREAE APOSTOLI.

Ambulans Ieſus ſupra mare Galilææ, vidit Andream & Simonem &c. Math. 4.c.

CONCIO.

Quid adlibuit Deo in Andrea?

ADeum fere modum Ieſus Saluator de impietate triumphauit, ad quē Regius puer de Goliatho immani. Aptabat huic Saul rex thoraces, galeas, ocreas ipſo ex chalybe ductas. Inſolens ferre arma inſueta, abiecit: nō poſſum, inquit, ſic incedere, quia vſum non habeo. Tulit itaque vſu quotidiano probata arma, baculum videlicet, quo non ſemel lupos, vrſos, & leones deterebat. elegit deinde ſibi *quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem quam ſecum habebat, & fundam manu tulit: & proceſſit aduerſum Philiſtæum.* Felici duello manus conſeruit cum gigan- *Dauidis victoria de gigāte* 1.Reg.17

Digitized by Google

te, quem ia&u silicis in fronte percuſ ſum proſtrauit, proſtrato caput abſcidit, abſciſſum ad Saulē in triumphum tulit.

Proceſſerat Chriſtus in orbem, cum Principe tenebrarum ſignis & armis nobis feſtis, illi infeſtis dimicaturus. Noluit thoracatus ſplendore quo ab æterno amictus eſt, aut galeatus caſſide potentiæ quam ante ſecula geſtat, aut ocreatus igneo feruore, ſibi coæterno; thoracatos, galeatos, vel ocreatos, ſapientia ſcilicet ſeculari aut potentia terrena armatos, cum generis humani hoſte committere. Sed ambulans iuxta torrentem, an mare Galilææ? Simonem & Andream, Ioannem & Iacobum; quid ſi & Patrem Zebedæum elegit, & velut quinque limpidiſſimos vniones aſſumpſit, ad ſternendum Orbis Vaſtatorem. Quid adlibuerit illi, præſertim in Andrea? id vnum peruestigabo.

Apoc. 21. Vrbis Ieroſolymæ de cælo deſcendentis fundamenta, cum Ioannes delinearet, duodecim eſſe gemmis ſubſtructa demonſtrauit. *Primum*, inquit, *fundamentum Iaſpis; ſecundum Sapphyrus: tertium calcedonius*. & reliqui reliquarum partium. Explicat, quæ ſint fundamenta. *Et murus*, inquit, *Ciuitatis habens fundamenta duodecim, & in ipſis duodecim nomina, duodecim Apoſtolorum Agni*.

Quos itaque Chriſtus hodie aſſumpſit, lapidum, ſeu gemmarum nomine, poſſum non immerito nuncupare. præſertim quia præeunt Nomenclatores ad mentem Ioannis; Arethas, Andreas Cęſarienſis, & Abbas Ioachim. Rectè ſane. Nam & Apoſtolus de tertio cælo, aiebat Eccleſiam extructam eſſe *ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum, ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu*.

Hierogl. Andrea. Sapphirus.

Aſſignato itaque primo lapide Petro Primati, qui Primus dignitate inter Apoſtolos; ſecundum ſibi vendicat Andreas, primus cum Petro vocatione. Sed quem? SAPPHIRVM video ſecundum, qui ſecundo genito Andreæ debetur. Expetitus Regibus & Pontificibus Sapphirus; quidni hic ſpiritualis, Regi Regum & Antiſtitum Antiſtiti Chriſto Ieſu longe deſideratiſſimus?

Sapphyrus gemma laudatur, 1 a colore, ab 2 obſequētia ſcalptili, 3 ab aureis punctis quibus ſcintillat, 4 a cētris criſtallinis quibus candicat, & demū a 5 medica virtute qua pollet. Laudatus & electus Chriſto Andreas, ab ornamentis animi, quę pretioſus Sapphyrus deſignat.

Color Sapphiri cyaneus, ſimilis eſt ſereno cælo & innubi. Conuerſationem minime terreſtrem Diui Andreæ ſignificat. Reperires tunc plerosque cum Chriſtus orbi illuxit, qui *ſtatuerant oculos ſuos declinare in terram*. quinimo afflatos ab illo cui pro maledicto datum eſt, *ſuper terram gradieris terramque comedes omnibus diebus vitæ tuæ*; terræ affixos nonniſi terram vorantes. Alius thelonei compendio; alius fœneratione iniqua, alius agricolatione diebus noctibusque iuncta, alius mercaturæ fraudibus, cæteri alijs artibus improbis, lucri furorem explebant. Nemo non illud vſurpabat. *Quæ ſupra nos, non ad nos*. *1 a colore*

Quid enim eſt illud quod Dominus conquęritur per Prophetam? *A maiore vſque ad minorem omnes ſtudent auaritiæ, & a Propheta vſque ad ſacerdotem, cuncti faciunt dolum*. niſi quod, nullus eſt qui ambiat cęlum, ſed omnes requirunt cęnum dum faciunt dolum, dumque auaritię ſtudent? Andreas non in cathalogo Mathęorum aut Zachęorum, vel illorum qui horrea dilatabant dicentes *Hieron. 6*

tes animæ, Euge epulare, *habes multa bona*. Sed eorum qui paruo contenti, arte licita victum parabant. cæleſtem ex cæruleo mari Philoſophiã meditantes.

hom. 24. Quærit Diuus Gregorius, cur co Apoſtolus eius Petrus, qui piſcator ante fuerat, poſt cõuerſionem ad piſcationem (proculdubio cum Fratre Andrea) redierit? cum veritas dicat. Nemo mittens manum ad aratrum & aſpiciens retro, aptus eſt regno Dej? Reſpondet. ſi, inquit, virtus diſcretionis inſpicitur, cito videtur: quia nimirum negotium quod ante conuerſionem ſine peccato extitit, hoc etiam poſt conuerſionem repetere culpa non fuit. Nam piſcatorem Petrum, Matthæum vero telonearium ſcimus. Et poſt conuerſionem ſuam ad piſcationem Petrus redijt; Matheus vero ad telonei negotium non reſedit. quia aliud eſt victum per piſcationem quærere, aliud autem telonei lucris pecunias augere.

Apuleius lib. 1. de magni. Bene. Andream habemus conuerſatione cęleſtem, a paupertatis ſtudio, quam ante profeſſus. Hæc namque (*quod etiam Ethnici fatentur*) omnium peccatorum inops, omnis glorię munifica, cunctis laudibus apud omnes nationes percompta. *Inops peccatorum*. Nam intra tentoria paupertatis ſobriæ; atque ſolicitę (qualis in Andręa ante & poſt conuerſionem) luxus iners, vina languida, eneruatę libidines non ſubeunt. Hinc neque ſuperbia, neque inuidia, neque auaritia, imo vt compendio dicam, neque omnes alię animi peſtes, quę Diuitum limina terunt, huius marginem pererrant. *Paupertas* omnis *gloriæ munifica*, idque a virtute, ad quam pręit.

Stob. ſer. 93. Diogenes, aiebat *paupertatem eſſe ſubſidium ad philoſophiam*. ego aio, ad Virtutem. Quę enim, non ab hac parente? Vis Diuinorum ſtudium? nihil habet pauper, quod in terris ęſtimet; ideo facilius & fęlicius Cęlo hęret. Vis proximi dilectionem? Nihil ille cum in terris quærat, nihil habet, quur conſodalem laceſſat. Vis iuſtitię ęquitatem? Prodeat Ephiales, qui cuidam paupertatem exprobranti: *cur non*, inquit, *etiam alterum dicis, quod iuſtitiam colam*? Oſtendit vir ſapientiſſimus, paupertatem etſi exoſam, virtutum tamen nutricem eſſe; Pręclare quidam antiquorum. Sunt, inquit, ſemitę, quę oſtendunt compendium, ſed difficultas prohibet & periculum: atqui *paupertas ſpõtanea, via eſt ad virtutem atque adeo ad cælum compendioſiſſima*. *Aelian. lib. 13. de varia hiſt.*

In hac ſchola ante & poſtea Andreas, cenſu pauper, virtutibus diues: terrę incola ſed non Terrę Filius. Cæteros, vt eſt ab exploratoribus ex per tis dictum, *deuora terra hæc habitatores*; hunc ne attigit quidem, vt illiniret. qui & olim, & poſtquam vocatus eſſet a Chriſto conuerſatione totus cęleſtis, Sapphyrum cyano ſuo referebat.

Viderat olim Ezechiel, in firmamento, quod imminebat capiti Quattuor animalium & cherubim, *quaſi aſpectum lapidis Sapphyri ſimilitudinem throni, & ſuper ſimilitudinem throni, ſimilitudinem quaſi hominis deſuper*. Nihil aliud ſignificat, quam Ieſu ſaluatoris noſtri vitam, quam in terris vixit cæleſtem. ad quam & ſi alij Apoſtoli certe non minus quam Socij enitebatur Andreas. cui ſortitione Diuina contigit, lapis pretioſus Sapphirus. *Ezech. & 10.*

Argillam facilius finxeris in quãcunque volueris figuram, ſic hominem paupertatẽ deputatum ad quãuis virtutem. Nam huic non obſtipa, neque indurata mens vt diuiti, ſed flexilis, & prompta formari. Paupertatis cultorem Andream lau- *zab. obedientia.*

dabo a promptitudine obedientię quia facile ad nutum ſecutus Chriſtum. Iam præfiguratis imaginibus Meſſyę, ſatis venuſtus fuerat, hic Sapphyrus, antequam a Chriſto vocatus: venuſtiores tamen characteres vt ſuſciperet a Chriſto deſiderato, huic ſe formandum lubens obtulit. Statim enim vt audiuit. *Venite poſt me*, relictis omnibus ſecutus eſt, figuram figurantem, & imaginem, nos omnes ad imaginem ſuam efformantem. Adamantem non inuenio inter lapides, quos in ornamentum aliquod aſſumebat Deus. fors quia indomita vi, duritia inenarrabili victriceque ignium natura, ſcalpurę reſiſtens, duram & contumacem animam ſignificat. Ita plane. Nam & quoſdam hoc nomine ſuggillat: *Poſuerunt faciem ſuam vt adamantem. reuerti noluerũt.* Noluit eſſe adamas Andreas *Sapphyrũ ſe exibuit mollẽ*, & facilem figurari. Promptitudinẽ obedientiæ ipſius miratur D. Gregorius, dicens. Ad vnius vocem iuſſionis, Petrus & Andreas relictis retibus ſecuti ſunt redemptorem. Magnam obedientiam? Nulla hunc facere adhuc miracula viderant, quibus ſcilicet velut fulmine percuſſi, ſibi morerentur, Chriſto viuere vellent. Nihil ab eo, de præmio æternę retributionis audierant; quo videlicet ac ſi titillo pellecti, præſentia temnerent quę viſa, & futura inuiſa deſiderarent. Et tamen ad vnum Domini pręceptum, hoc quod poſſidere videbantur obliti ſunt. Quanta nos eius miracula videmus? Quot flagellis atterimur? Quantis minarum aſperitatibus deterremur? Et tamen vocantem ſequi contemnimus?

In cælo iam ſedet, qui de conuerſione nos admonet. Iam iugo fidei colla gentium ſubdidit. Iam mundi gloriam ſtrauit. Iam ruinis eius crebreſcentibus diſtricti ſui iudicij diem propinquantem denunciat: & tamen ſuperba mens noſtra, adhuc non vult hoc ſponte deſerere, quod quotidie perdit inuita? Quid ergo fratres chariſſimi, quid in eius iudicio dicturi ſumus, qui ab amore præſentis ſeculi, nec præceptis flectimur, nec verberibus emẽdamur?

3. *Charitate.*

Aureis quibuſdam punctulis trãſlucet, collucẽs Sapphyrus; & radijs Solis percuſſus, ardentem emittit fulgorem. Charitatem Andreæ ſignificat, qua in Chriſtum ſemel & & ſemper exarſit.

Ferunt ignem, *non recipere pedeſtrem menſuram*. Scilicet eſſe immenſurabilem, atque adeo quaſi immenſum. Verum. ſed non niſi, illum quem venit Chriſtus *mittere in terram*. Non capit hunc aliqua menſura cordis humani, quæ concipit: quin exiliat, inque immenſum ſe diffundat. Qui hoc ſuccenſus; ſemper exæſtuat, vt amorẽ quo ſcintillat, flammantẽ eſſe, agendo & ferendo demonſtret. Explica vincula? manus & pedes lubens porriget. Carcerem? iubilans ingredietur. Cataſtas? gaudens extendi patietur. Fidiculas & equuleos? amplectens oſculabitur. Cruces? A longe ſalutabit, & confixus diſſuauiabit. Quin auditis Andream: quam vehementi ardore ſpiritus Crucem ſitit? Quam inaudito a ſeculis gaudio tripudiat, cum paratum ſibi patibulum eminus videt? *O Crux*, inquit, *diu deſiderata, & iam concupiſcenti animo præparata, ſecurus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans ſuſcipias me*.

Videtis ardentes ſcintillas, imo ignes charitatis, quib. æſtuat? Nequaquam facies eius expalluit, neq; ſanguis eius gelatus eſt. Non ſtetere comæ, non vox faucibus hæſit, non contremuit corpus, nec mens turba-

ta

Digitized by Google

ta eſt, non receſſit vt aſſolet intellectus. Ex abundantia cordis, *inquit*, *Bernardus*, os locutum eſt, & charitas quæ feruebat in corde, quaſi ſcintillas quaſdam ardentiſſimas emittebat in voce.

Similia. Non oportet inſpicere montes igneſcentes qui aquis inardeſcunt; non focile fabrorum, quorum prunæ ab iiſdem aquis incenduntur; aquæ tribulationis & Crucis, non modo extinguere nõ potuerũt, quinimo accenderunt maiores flammas in Andrea. *Venio ad te*, ait, ***quia amator tuus ſemper fui, & deſideraui amplecti te***. Obſecro, cum Bernardo, homo eſt qui loquitur hæc? An non eſt homo, ſed Angelus, aut noua aliqua creatura? Homo plane ſimilis nobis paſſibilis. Nam paſſibilem eum ipſa paſſio teſtatur, qua appropinquante tam lætabundus exultat. Vnde ergo in homine tam ſpiritualis mens, tam robuſtus animus? Lætitia hactenus inaudita? Abſit vt aliunde dicamus, quam a charitate, quæ foras mittit timorem. Fratres, ***Bernardus ait***, ignis vibrans eſt, non lingua loquens: & ſi lingua, certe ignea eſt. Carbones ſunt ignis illius, quem *de excelſo Chriſtus miſerat, in oſſibus eius*. Atque vtinam *deſolatorij* nobis ſint, conſumentes & exurentes quicquid in nobis eſt carnalis affectionis. Quales enim ſcintillæ ſunt iſtæ, aut a quanto interiori incendio micant? Plane beate Andrea, ***granum ſinapis*** eſt fides tua, quæ tam inſperatum vbi teri cæpit, cæpit ex ſe proferre feruorem. Quid ſi paulo amplius tereretur? Quis feruorem illum animus? Quis verba illa ſuſtinere poſſet auditus? Dum enim minas minaretur Egeas, adhuc granum ſinapis deſpicabile videbatur. Integrum erat, neſciebamus quid intus lateret. ***Dominus***, inquit, ***me miſit ad iſtam Prouinciam.*** In qua non paruum ei populum acquiſiui. Accedat, comminationis piſtillum, longe iam acrius ſapiet, conſtantiuſque loquetur. Terrendum eum putat Egeas, crucis ſupplicium minitans, ſed non eſt ita. Accenditur magis in verbo hoc, & libere clamat. Ego ſi crucis patibulum expaueſcerem, crucis gloriam non prædicarem. Et vbi paratum ſibi lignũ intuitus eſt, ex hoc iam plane totus igneſcens, applaudebat & blandiebatur illi ſuæ amatæ. Quam officioſiſſime ſalutabat, deuotiſſime ſuſcipiebat, magnifice attollebat, & in ipſius præconio gloriabatur, clamãs magis affectione quam voce. Salue crux prætioſa, quæ decorem & pulchritudinem de membris Dominicis accepiſti. Salue crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris eius tãquam margaritis ornata.

Has aureas & rutilantes ſcintillas ex pectore ſuccenſo eiaculabatur, Chriſti amore inflamatus Andreas.

4. Confeſſione & prædicatione fides. *Sapphyrus* viret interuenientibus cryſtallinis centris B. Andreas ſplẽdidiſſima luce doctrinæ, quam a Sole iuſtitię mutuatus fuerat perlucebat. Paulus de ſe & de alijs aiebat, quod a Chriſto, velut a ſpeculo cryſtallino, characteres lucidiſſimos acceperint, in homines trãſmittendos. *Nos vero omnes ait, reuelata facie, gloriam Domini ſpeculantes*, (ſcilicet velut in ſpeculo aſpicientes) ***2. Cor. 3.*** ***in eandem imaginem transformamur, a claritate in claritatem tanquam a Domini ſpiritu.*** Voluit dicere. Moyſes quidem ab aſpectu Diuino, lumine bifido inclaruit, quod referret ſuis gentilibus: tamen iſtud, illi reuelatũ non poterant intueri: oportebat vt velaret faciẽ coruſcã, dũ eos alloqueretur. Nos autem vultus Chriſti imaginem, non velamine occultatam, ſed reuelatam, quaſi quędam ſpe-

Digitized by Google

ſpecula à ſpeculo lucidiſſimo ſuſcipientes, in eundem charitate transformati eundem per miſteriorum fidei prædicationem, alijs oſtentamus. Non ſecus ac ſpeculum ſolet imaginem rei obiectæ ſuſcipere, & reddere. Feceritne ſatis Andreas pręſentando Chriſto non eſt neceſſe dicere. Scythæ, Moſcj, Sauromatæ, Germani, & in ſumma, omnes Aquilonares Andreæ debent, quod olim Chriſti lumine illuſtrati.

5. *Exemplo & doctrina medela.* Sapphyrus medicam virtutẽ habere dicitur: eandem contulit Chriſtus Andreæ, parem cum alijs Apoſtolis, quos miſit vt omnem languorem curarent. Aeſculapius Hippocras, & tota ſchola medicorum, nihili ſunt ad Andream. Sanabat ille ægros corporis, ſanabat & ægros animi; Miraculis, exemplo doctrinâ, patrocinio, oratione.

Nimis multus eſſem ſi recenſere inſtituerem numerum illorum, quos ipſe ad meliorem mentem & ſtatum conuertit; quot a Diaboli vinclis euinculauit, quot Chriſto initiatos, Chriſto ceu veſtimento cęleſti veſtiuit, quot in terris Angelos ex hominibus virginitate, humilitate, manſuetudine, charitate, atque omnibus in ſumma virtutibus illuſtres demutauit.

Pulchrior iſte vnus atque magis electus Chriſto, ex Nazaræis omnibus Sapphyris Sapphirus. Pollicebatur olim Deus Eccleſiæ per Prophetam.

Iſai.54. *Fundabo te in Sapphiris*. Fecit, dum Andream Sapphirum hodie elegit, inque fundamento Eccleſiæ locauit. Neque tantum in fundamẽto, ſed & in portam Eccleſiæ ſuæ erexit. Nam Tobias vidit, *portas* Ciuitatis ſupernæ *ex Sapphiris*. Bene portę nomine Andream dixeris, per *Tob.13.* quem innumeri ad Eccleſiam intrauerunt. Enitamur & nos quoque ab eius exemplo; ſi cupimus inſeri parieti Ciuitatis illius, quę fundata eſt in Sapphiris, corruſcans & Triumphans in ſæcula. Amen.

IN FESTO S. NICOLAI.

Ecce Sacerdos Magnus. Eccl. 50.

CONCIO.

S. Nicolai Virtutes.

NEſcio, quem Deum an Deam, fingunt Antiqui ex aquis emerſiſſe Neptunum an Venerem dicant? noſtra, nihil refert. Nobis Magni, ab aquis emergũt. Moyſen, Nyliacę aquæ, debet Sinagoga Magnũ Legiſlatorem quem accepit. Eccleſia, pelluuij aquæ Nicolaum Sacerdotem, quem ſuſcepit. Vterque Magnus Antiſtes & Sacerdos; originatione, vita, factis, miraculis. Moyſen in Sacerdotibus Dei ponimus, ab illis notis. ęque & Magnum Sacerdotem Nicolaum, ab eiſdem. Quas nunc nunc examino & produco.

Moyſes adhuc pupulus, iacens in carrecto fluminis, Diuinum quid ex vultu paruulo ſcintillabat, quod Magnum fore portendebat. Crudeliſſimo Pharaonis edicto ſubacti parentes, alueo incluſum in profluentem abiecerant. Reddidit illum terris tumidus amnis, & Regiæ pręſentauit Filiæ: Pulchellum, viuidum, & riſu præmaturo tanquam fatorum conſcium vernantem. Aſpexit illa, regiæ intulit, æducauit, in filium adoptauit. vt vnde illi nuper mortis tenebræ intendebantur, regalia alimenta exhiberentur; & quæ nuper domus exitio illi pene fuerat, eadem ad imperium extolleret, fatali neceſſitate, quę in pulione, eminentes notas

1 *Incunabula Nicolai.*

tas

tas vulgabat. Nicolaus adhuc paruulus, dum in pelluuio abluebatur, Magnum etiam quid ex geſtu prænunciabat. Namque non aliorum infantium more, ſupinus iacebat in vanno; ſed mox vt aquis illatus eſſet, ſeſe vi ſua vel potius Diuina, ſurrigebat, inque genuſcula eleuatus poplite flexo, Deum, quem nondum voce proferre poterat, adorare geſtiebat. Quantum cenſebant parentes futurum, qui vix natus, tantum ſpecimen cultus Diuini edebat? Iam tum promittebat, dum adoleſceret ætate, ſe ſupra communem mortalium ordinem elaturum, qui ſic tenellus ſe ſuper aquas, quę populos ſymbolice ſignificant eleuabat.

2 *Nutricatio.* Moyſi ea fęlicitas cōtigit, vt non niſi materno lacte nutriretur, pietatemque a maioribus cum lacte infuſam, ſuctu expectoraret atque imbiberet. Maius video in Nicolao quod miter, qui nutricis papillas ſugens, pietatis & futuræ ſanctimonię, tot guttas omnium mentibus inſtillabat, quot fluidi liquoris eliciebat. Quæ illa conſuetudo, quarta & ſexta feria ſemel, idque nōniſi Sole occubuo, puſillo cui ſugere viuere eſt, ſemel tantum ſugere? Præſciebat, ab inſtinctu Diuino ſerpentem antiquum nonniſi in gulæ cunabulis, parentibus primis impoſuiſſe, & vt Deo contumaces eſſent illexiſſe. quamobrem abſtinentia cibi cum veteratore certandum decreuerat, iam tum in primo limine vitæ.

Ferunt Poetæ, Herculē quū in crepūdijs infās iaceret, nouercalib. anguibus petitum, a quibus potuit facile obnoxia iniuriæ ętas vi ſubita extingui, niſi tantus ille a cunabulis fuiſſet, quantum eum eſſe oportuit, qui omnium terrarum monſtra ſuſtulit adultus. Nicolaus quoque iam tum videbat Draconem ſepticipitem ad repere. & quia ſe monſtris teterrimis conficiendis Natum præcipiebat, ideo in cunis adhuc ſibi cum eo ſingulari prelio certandum eſſe decreuerat. Abſtinentia nimirum, quę & vitia comprimit, & largitur virtutes.

3 *Aeducatio. Hebr. 11.* Laudatus Moyſes Apoſtolo, grādior factus, quia *Negauit ſe eſſe filiū filiæ Pharaonis, magis eligens affligis cum populo Dei quam temporalis peccati habere iucunditatem maiores diuitias æſtimans theſauro Aegyptiorum, improperium Chriſti*. Dum exponunt, aliqui, referunt, etiamdum pueritiam non exceſſerat, diadema qd filia Pharaonis capiti eius imponebat corripuiſſe, rupiſſe, & in terrā proieciſſe. Tam præclara indole fuerat puer, natus ad maiora. Non minus laudatus Nicolaus, qui poſſeſſiones ſatis opimas, quas a parentibus relictas acceperat, maluit eſſe vir *videns paupertatem*, quam vir *diuitiarum*. Ne ſcilicet is eſſet, qui ad nihilum redactus, nihil inueniret in manibus ſuis ſed inter eos, qui theſaurizant ſibi theſauros in cælo, vt cum defecerint recipiant, & recipiantur in æterna tabernacula Adoleſcens enim parentibus orbatus facultates ſuas pauperibus diſtribuit. Magnū facinus, ab amore duplici paupertatis, & pauperū. Paupertatis, q̄ mater virtutum: Pauperum vero, quorum amor quæſitor Maximatum opum. Dicerem quam mirantur multi indolem cuiuſdam Infantis, niſi eſſet in flore. Dicam tamen ſuppreſſa voce. *Ladiſlaus Sigiſmundi iij. Regis Poloniæ 3* Quidam Aulicorum detulerat puſioni nonnulla bellaria, oblectandi cauſa Infantis. Cum accepiſſet, vidiſſet, guſtaſſet. *Heus tu*, inquit, *puer, da illum panem qui ſupereſt. Accipe oro* (ad offerentem inquit) *tantiſper hoc exiguum panis, quod habeo. Multo plura dabo, cū manus affluentiores mihi erūt.*

Bulla eſt ad Nicolaum, qui pignus

gnus

Digitized by Google

gnus vitæ cœleſtis præguſtans, quod ad manum habere potuit, pauperibus obtulit, Chriſto donauit. *Diſperſit dedit pauperibus, iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi.* Memor eius quod eſt apud Sapientem, *Eleemoſyna viri quaſi ſacculus cum ipſo, & gratiam hominis quaſi pupillam conſeruabit: & poſtea reſurget, & retribuet illis retributionem vnicuiq; in caput ipſorum, & conuertet in inferiores partes terræ.* Sed præſtat audire, quid fecerit, ad vindicandam trium Sororum pudicitiam. — *Eccl. 17.*

4 *Vindex caſtitatis.* Vicinus quidam, vrgente in ſcelus inopia, proſtitutis trium Natarum corporibus, victum ſibi quærere decreuerat. Nicolaus accedens domũ eius nocte intempeſta, vt eleemoſyna in occulto fieret, tantum auri per feneſtram iniecit, vt inde & virgines honeſte locarentur, & pater ipſe in ſpem ſuſtentandi ſe non iniquam ſimul deueniret. Quid hic primum mirer? Studium iuuandi inopes? an caſtitatis tuendæ? Componerem Moyſen ad Nicolaũ, niſi hoc maius eſſet, quod iſte patrauit, quam illud quod Moyſes.

Exod. 2. Inter laudata Moyſi opa numerat, ꝙ is vagus in terra Madian, tutatus fuerit ſeptem filias Iethro Sacerdotis a latronibus, qui aquationem ouium impediebant. Ita habet Sacra hiſtoria. *Erant Sacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui. Superuenere paſtores, & eiecerunt eas: ſurrexitque Moyſes, & defenſis puellis adaquauit oues earum.* Cæterum quid iſte auſus, ad factum Nicolaj? Nulla hic iactura pudicitiæ filiarum Iethro, quas Moyſes vindicauit, vt trium quas Nicolaus. Nihil de ſuo contulit illis Moyſes, quod his diſtribuit Nicolaus. Nulla ſpe alicuius aut matrimonij, aut perfugij, aut amplæ dotis fecit Nicolaus, quod Moyſes fecit: qui transfuga, inops omnium rerum, hac occaſione, ſponſam cum opulenta dote accepit.

Inſigne factum Scipionis Africani maioris. Hic cum in Hiſpania Carthagine oppreſſa, maioris Carthaginis capiendæ ſumpſiſſet auſpicia, multoſque obſides quos in ea vrbe Pœni clauſos habuerant, in ſuam poteſtatem redegiſſet, eximiæ inter eos formę virginem ætatis adultæ, & iuuenis, & cælebs, & victor, poſtquam comperit illuſtri loco inter Celtiberos natam, nobiliſſimoque gentis eius Indibili deſponſatam, accerſitis parentibus & ſponſo inuiolatam tradidit: aurum quoque quod pro redemptione puellæ allatum erat, ſummę dotis adiecit. Fecit, vt Indibilis continentia ac munificentia Imperatoris obligatus, Celtiberorum animos Romanis applicaret, meritiſque eius gratiam debitam referret. Nicolaus nihil tale ambiebat apud ſuos, dum pudicitiam vltro proſtantium infęlicium victimarum, multo auro redimeret. Virtutis ergo aurum iniecit, vt pronas ad ſcelus cohiberet, ſeque inter redemptores animarum collocaret. — *Valer. lib. 4. c. 3.*

Hippomenis nota induſtria, qui trium pomorum aureorũ obiectu, Atalantam Stadiodromam a meta deſtinata remoratus eſt. Magis admiranda Nicolai, qui non vnius, ſed trium puellarum pedes ad flagitium expeditos, non pomo, ſed auro reuocauit, inque Sanctitatis limine repoſuit. Vere Magnus Sacerdos, cui Magna Virtus Sacerdotij Caſtimonia conſtitit tam Magno. — 5 *Electio Pontificia.*

Moyſes Diuino calculo, electus eſt Princeps, Dux & Sacerdos populi Iſrael. Nota eſt electionis formula, quam vt oporteat narrare. Eodem quoque Diuino ſuffragio, Ni-

colaus

colaus ſummum dignitatis gradum Pontificium adeptus eſt. Continenťat Lyciæ Metropolim Mirrhã Prouinciales Epiſcopi, vt mortuo eius vrbis Epiſcopo, ſucceſſorem eligerent. Cumque varia eruditione & ſanctimonia vitę inſignes obij cerentur, cogitabant, quem cui præponerent, atq; huic Prouinciæ Antiſtitem præficerent. Vox interim cælitus delapſa exauditur, vt eum eligerét, qui poſtridie mane primus in Eccleſiã ingrederetur, Nicolaus nomine. Adhibent cuſtodes ad fores Eccleſiæ, obſeruant ſummo diluculo. & ecce Nicolaum antelucanis horis Eccleſias frequentare ſolitum aduertunt, liminibus Templi adgeniculantem. Mox inquirunt. Quis? vnde? quo nomine eſſet? Cumque indicia in homine, a voce Dei indicata animaduertiſſent, licet renitentem Epiſcopis ſiſtunt, conſecrandum in Sacerdotem & Pontificem viduatæ Eccleſiæ. At quam magnum? quam mirandum?

Laudant in illo caſtitatem, quam ſemper coluerat, grauitatem, orationis aſſiduitatem, vigilias, abſtinentiam, liberalitatem, hoſpitalitatem, in adhortando manſuetudinem, in reprehendendo ſeueritatem, in Sacris tuendis conſtantiam, in innocentibus vindicandis fortitudinem, in calamitatibus pro Eccleſia ſuſtinendis inuictum robur, in Dei amore feruentiſſimum incendium.

6. *Tribunos liberat a nece.* Tres Tribuni per calumniam Magno Coſtantino fuerant delati, quaſi res nouas inſtituerent. hos ille cõprehenſos capite iuſſerat imminui. Fiunt illi ſupplices, Nicolao abſenti, cuius fama miraculorum longe lateque vagabatur. Audit & exaudit illos Pater mærentium, & viuens adhuc, Conſtantino in ſomnis apparens, vultu minaci properantiam fundendi ſanguinis improperat. iubet, vt inſontes miſſos faciat, & in honore quo merentur habere velit.

Moyſes vindicauit quidem fratrem Hebræum, qui ab Aegyptio vapulabat, ſed morte Aegyptij, quẽ ipſe occidit, & ſabulo abſcondit: Nicolaus, Tribunos a nece vindicauit, & Imperatorem a ſcelere quo ſe impiare decreuerat, liberauit. atque illum & illos, incolumes, innocentes ſeruauit.

Iactabantur vna dierum ſæuiſſima tempeſtate, quidam naufragantes; parum aberat, quin & mercium & vitę iacturam facerent. Fama ſanctitatis & miraculorum Nicolai permoti, manus ad illum porrigebant fere iam exangues. Clamantibus adhuc & iamiam adfluentem mortem haurientibus, adfuit Nicolaus. Adſumecce, inquit, quid vocaſtis me? Ad quam vocem, deſedit illico tempeſtas. Miramini Moyſen mari Erythreo imperantem, perq; vada ſalebroſa populos traducentem: non minus ego admiror Nicolaum, non virga ſed voce fluctus compeſcentẽ, turbidum aerem reſerenantem, & morti deſtinatos prodigioſe eliberantem. Qui deſcendebant mare in nauibus, *facientes operationes in aquis multis, ipſi viderant opera Domini* & Nicolai per Dominum mirabilia in fundo. An non & vſque modo, agnoſcunt iactati tempeſtatibus, opem eiuſdem cum depoſcunt? Quem magis frequenter propitium Nautæ experiuntur, quam Diuum Nicolaum? Moyſes ſemel tantum mari imperauit; Nicolaus fere ſemper. Si corruſcationes fulgurant, & procellis detonantibus a ſupernis vindicta procedit; Nicolaus in patronum adſumitur; Nicolaus humiliter inuocatur. Si tempeſtas ſæuiens, & crudelitas maris nauigantibus intentatur: Ni- *7. naufragãtes ſeruat.*

B colaus

colaus flebiliter exoratur vt audiat, ſuppliciter imploratur vt veniat, vt eruat, miſericorditer acclamatur. Si pulſantur incommodis, vel offendiculis prægrauantur, ſtatim non nautarum modo, verum & tot Chriſti fidelium, qui deuoti Sancti confeſſoris nomen proſilit in os eorũ, Nicolaum ingeminantium, quærentium patrocinium Nicolai. In teſtimoniũ ſunt peregrinationes (*refert quidam inter opera Bernardi*) ad Sanctum illius corpus a finibus terræ ſuſceptę, vt videantur quæ per eũ fiant miracula. Non ſolum autem Chriſtianis, ſed & Paganis in tãtum reuerẽtiam ſancti nominis aduocauit auctoritas, vt certatim confluant, ad laudandum & glorificandum nomen Sanctum eius. Præcipue ſanctorum Sacerdotum & clericorum turba, tanta deuotione circa cultum eius afficitur, vt in toto orbe terrarum, vndique confluant & concurrant, ad obſequendum tantæ ſolemnitati. Lætantur pueri, iuuenes congratulantur ornatur virgines, ſenes exhilarantur, & omnis ætas perſonaliter alludit. Vnuſquiſque autem habet materiam gaudiorum, vt laudent pueri, puerum ieiunantem; iuuenes, iuuenem liberãtem; virgines, virginum infamiam propulſantem: ſenes, ſenis inopiam releuantem. Iuuenes & virgines, ſenes cum iunioribus vt laudent nomẽ eius, quoniam Magnus & excelſus Sacerdos.

Laudatur Moyſes, quod pro reli-
8. *Fidei zelus.* gione patria, multa egerit & tulerit, & Sacra a Deo ſibi credita, populo ſanxerit. Non minus laudatus eſt Nicolaus, qui pro Fide Catholica, quid non paſſus eſt? quid non fecit? Lycinius Imperator Diocletiani & Maximiani, edicta vulgari & obſer-
9. *Patientia.* uari volebat, contra Chriſti fideles. Myrræ Epiſcopus Nicolaus, maluit vincla & carceres ſubire; quam Chriſtum abnegare. In ergaſtulum cõiectus, mortem opperiens deſiderabat, priuſquam vitam quam Chriſto redemptori ſe debere credidit, perfidia taminaret.

Vidiſti rupem in vadoſo mari deſtitutam, quam fluctus nõ deſinunt vndecunq; moti ſunt verberare? quã non ideo aut loco mouent, aut per tot ętates crebro incurſu conſumẽt. Nicolaus talis fuit, in periculis pro fide Orthodoxa. Quatiebatur a Paganis, ab Arrianis, a Meletianis ad mortem quæſitus & in vincula coniectus. Aſſilite, inquit, facite impletum. ferendo vos vineam. Quærite aliquam mollem cedentemque materiam in quam tela veſtra figãtur: ego immotus pro meo Chriſto.

Eductus ex carcere a Conſtantino Auguſto, interfuit Concilio Nicæno, contra blaſphemantem Arrij linguam. Quantum illic doctrina & eloquentia profecerit, ad obmutefaciẽdum malignum? ſuperfluum eſt dicere.

Moyſis oratio ſi quid fecit contra Balacum, qui Balaamum ad execrationem induxerat; magis Nicolai contra Arrium & Euſebium, qui tunc a malo genio pellecti, Diuinitatis paludamentum, atque adeo cõgenitam & Patri conſubſtantialẽ in filio Fœlicitatẽ detractã iri volebãt.

Cumque fidei dogmata in his Co
mitijs, Eccleſię vero pacem in orbe 10. *Obitus.*
ſtabiliuiſſet, ſuamq; mandram pręclaris virtutum ornamentis florentem vidiſſet, grauis ætate ſed magis ſanctimonia, non iam in monte aliquo ſecreto vt Moyſes, ſed in manibus Chriſti fidelium, animam reddidit Deo; cui extremum illud Pſaltis geminauit. In manus tuas commendo Spiritum meum. Pſalmaſti: ego tua manu adiutus, ornaui. accipe, adq; thronum paratum admitte; qui regna in ſæcula. Amen.

IN

Digitized by Google

IN FESTO SANCTIFIcationis B. Deiparæ.

Numquid ingreſſus es theſauros niuis? Iob. 38. cap.

CONCIO.

Sanctificatio copioſa Beatiſſimæ Virginis.

INTER beneficia, quæ ſupremus largitor bonorũ Chriſtus, mortalibus largitur, animarum inalbationem eſſe primum atque maximum donum contendo. Ab Adamo rubicundo ſed limoſo, per traducem, rubore luteo quo ille, aſperguntur, vt non ſit *agnitio vultus eorum*, propter obductam originaria labe imaginem & ſimilitudinem, quam impræſſerat Deus. Quamobrem, cum huic eluendę, nullæ aquæ reperiantur, præter viuum fluuium candidum, qui a niuę candidante Ieſu emanat; longe maximo vinclo animę deuinciuntur eidem, cum exſordidantur. Sed quid ſi vel ſantificantur, vel quod aliqui volunt præſeruantur aliquæ, ne aſpergantur, vel ne aſperſæ viuant? Profecto ſupra vulgare erit iſtud beneficij genus. Quod Diuæ Virgini Deiparenti conceſſum eſſe, hodierna die Eccleſia ſuſpicit & veneratur. *Inexhauſtus enim eſt theſaurus* candoris candidantis & niuis dealbantis. Quod hodie diſpicio, Beatiſſimęque Virginis Mariæ ſummam pręter omnes Sanctificationem demonſtro.

Inalbatio animarũ ſummum beneficium.

Pauli doctrina eſt celebris, illa quam ad Hebreos profitetur. *Omnia concluſit Deus ſub peccato, vt omniũ miſereatur.* Cum audis *omnia*, intellige ſuperne & inferne creata. Nam in ſupernis quoque, vt Iobus ait, *repperit prauitatem.* in inferioribus autẽ, ne *infans vnius diej purus eſt* a peccato & *a ſorde* quæ ex peccato. Cęterum ſiſte gradum, & audi Paullinum ſenſum. Qui omnia concluſa eſſe ſub peccato dum aſtruit; viatores non comprehenſores beatos intelligit. Hi enim quia fatalem metam adierunt, nec amplius ſtadium pręfixum decurrunt, non lubricant, neque illutantur. Viatoribus itaq; & peregrinis hęc lex ſancita, vt ſint cluſi ſub peccato; vel quo iam contaminati ſunt aboriginatione, aut actione voluntatis a recto deuergentis, ſiue quo poterant contaminari, ſi a Dei manu candidante non fuiſſent prærepti, vel, *quod pij dicũt*, præſeruati, aut ſanctificatione efficaci & præmatura, *quod doctiores*, depurgati.

explic. loc. Hebr. 11. de peccato.

Nam non vnus eſt modus Dei miſerationis. Qui etſi omnia concluſit ſub peccato, vt omnium miſereretur: tamen non omnibus eadem ratione miſeretur; dum non omnes vno eodemque modo depurat, aut ſanctificat.

Mittit quidem ille *niuem ſuam*, vt eſt in Pſalmo, *ſicut lanam*; vt abluat, & tegat peccata: vt purificet & inalbet animas, vt incalefaciat frigentia corda: tamen varia & incomprehenſa ratione. Ideoque quærebat ab Iobo. *Nunquid ingreſſus es, inquit, theſauros niuis?* Si niuem hanc quæ terram inalbat & humectat intellexiſſet, promptum erat Iobo theſauros eius deciduæ demonſtrare, nubes frigore denſatas, & hinc tepore radiorum in minutias reſolutas. Sed niuis altioris, quæ ſcilicet a niueo throno illius, qui candor eſt lucis ęternæ, delabitur, theſauros inſcrutabiles atque inexauſtos Iobo oſtendebat Deus. Non vnica enim eſt ſcintilla gratiæ inalbantis, ſed Oceanus in theſauris illius qui Con-

expl. loc. Pſal. 147 de varia ratione inalbationis animarum.

dus & Promus noſtrę fęlicitatis eſt effluens, ideoque & multifarię aſpergines ſeu deriuationes in animas, vt ſuper niuem dealbentur. Alios excoquit in camino paupertatis; aliquos aſpergit Hyſſopo pęnitentiæ; alijs multiplicat herbam boryth; alijs reſinam de Galaad; alijs vinũ vel oleum affundit; alijs fontem aperit patentem *domui Iacob, in ablutionem peccatoris & menſtruatæ*. Hos in puſilla ætate, iubet paruulos ad ſe venire, illos in iuuenili prętexta, a cõiuiuio abſtractos ſibi innectit; cęteros in deuexa ętate, capulares ſenes vita meliore inanimat; alium equo decuſſat; illum in patibulo pendentem, Paradiſi ianuam ſecum introire iubet. Sed quid etiã cerno? Nonnullos adhuc in vtero materno ſanctificat, & ſpiritu Diuiniore implet? Ita ſane, Aſpicio Hieremiã cui ipſe teſtatur: *Antequam*, inquit, *exires de vẽtre, ſanctificaui te*, & Prophetam in gentibus dedi te. Video & Ioannem adhuc ex vtero matris Eliſabethę, repletum Spiritu Sancto, quod Archangelus pręnunciauerat parenti. Quin & prothoparentes noſtros, ſcio vna cum natura, gratię ſcaturigine perfuſos, ex illa argilla emerſiſſe. Nam erat in eis Deus & condens naturam, & gratiam infundens, vt D. Auguſtinus docet.

Imo & in Angelis, aſpicio *irriguum ſuperius*, Supernę niuis. Qua ita perfuſi, vt ſtabiles perſeuerarint, nec vt alij lapſarint: manutenente illos dextera Altiſſimi, quę dedit virtutem ne caderent, ſed inflexi perpetuo eſſent.

Tam varia eſt menſuratio huius Niuis, quam demittit ſicut lanam abſtergentem, operientem, incalfacientem.

Maria ſanctificatio. Mariam Sacroſanctam Deiparentem prę cęteris ſcio, magis refertam menſuram accepiſſe eiuſdem candidationis, quam alios ſiue tempore, *vt aliqui exiſtimant*, præuenta ne incideret in læteum putorem, ſiue copia in momento accepta, poſtquam lapſa eſt, ſi lapſa eſt in originarium marcorem. Nam potior illa, quam Ioannes, Hieremias, & cæteri Vatum. Nobilior quam prothoparentes, imo quam ipſi Angeli felices. Decebat itaque affluentiori, imo ſi etiam mauis, priuſquam illaberetur perfundi gratia affluentiſſima, quam alij antenati. qui vel in ſanctitate nati, vel in iuſtitia creati. *expend. loc. num. 14. de Sanctis omnibus.*

Memini, quæ exploratores terræ promiſſionis retulerunt, de eius habitatoribus. quia ſcilicet *erant monſtroſę proceritatis filiorum Enach, de genere giganteo, quibus comparati reliqui quaſi locuſtæ videbantur*. Hæc ego poſſum vſurpare de antenatis Mariæ, qui reſpectu ſuccedentium filiorum, giganteæ magnitudinis, virtute ſcilicet & ſanctimonia. An non magnus gigas Abel, qui ſanguinem pro Dei aris & ſacrificijs ſpargit? An & ille puſillus, qui per lignum humile orbẽ ſeruat in annali diluuio? Quid ille, qui egreditur de terra & cognatione ſua, neſciẽs quo iret? qui cum Deo paciſcitur? qui Stellas cęli facilius ſe numeraturum cenſet quam ſobolem de femore ſuo? qui Deo obſequens, in Iſaaci, imo ſua propria geſtit viſcera ſęuire? Pumilio ille an gigas? Gigantem ego video, gigantes progignentem, excelſos: Magnum Iſaac, Magnum Iacobum, Magnum Iudam, Magnos omnes Principes, Iudices, Reges, Duces, Sacerdotes, Prophetas, Pontifices, quorum longam ſeriem antecedaneam reſpiciebat Maria. Sed hi gigantes, reſpectu Marię (cuius vterus cęlis capacior futurus erat) quaſi locuſtæ viſuntur vt ſurrectu virtutum quibus emi-

nuit, ſic & conceptu Sacrato, quo ſe adhuc in vtero materno ſuper omnes extulit.

In illos omnes, poſſum dicere, quę lego apud Iobum. *Gigantes eius, ſub aquis gemunt.* dum quotquot præceſſerunt: quamuis ſancti eorum nonnulli, antequam nati, omnes tamen plorare neceſſe habuerunt cum Pſalte; *Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, & in peccatis concepit me mater mea.* Et cum eodem Iobo inclamare. *Pereat nox, in qua dictum eſt. Conceptus eſt homo.* Nam omnes concluſi ſub his aquis, quas ſerpens adrepens noſtrę originationi vomit in calcaneum noſtrũ. Solam Beatam virginem ſcio, contriuiſſe caput maligni, ne fuliginis liquore atraret, illã quæ tota pulchra, tota ſine macula, tota lilium.

Copioſior quam aliorum.

Apoc. 12.

Vomuerat quidem ſepticeps hydra, fluuium ex ore, quo hanc Sanctã mulierem Sole amictam tingeret & infuſcaret. Sed datæ huic duæ alæ, vt euolaret a rictu & eluuie ringentis.

hierogl. D. Deipara.

An non decebat futuram matrem viuentium, veramque viraginem, a mortifera labe immunem eſſe?

Arbor vitæ.

Arbor illa vitæ, ferax vitalis fructus Ieſu benedicti, digna erat, ne malignus ſpiculator ſerpens illam contingeret.

Terra noui Adami.

Terra illa melior, de qua *veritas orta eſt*, quę nouum protulit Adamũ; merebat, ne maculoſo liquore perfunderetur, ſed virgo Virginũ immaculata, neque adhuc a ſerpente inetrata perſeueraret.

Paradiſus nouus. Arca, liliũ, hortus virga Aaron. inter ope-

Par erat nouum hunc paradiſum, nullis ſpinis, nullis tribulis ſqualere: meliorem & ſanctiorem arcam, nulla teredine forari; lilium inter ſpinas nullis ſpinis terebrari. Hortum concluſum, excludere exterminatorem fluorem. Virgam Aaronis iam ſtatim a conceptu pulcherrimis floribus vernare.

ra Bernardi tomo. 2. Serm. de B. Virgine Arca teſtamenti noui Maria.

Pulchre quidam Sanctorum Patrum, hanc ipſius ſanctificationis affluentiam prædicat. Arca, *inquit*, teſtamenti, typum tenet Sanctæ Dei genitricis. Illam fecit Bezeleel: iſtam condidit Emanuel. *Bezeleel Ooliab* in opere ſocium habuit; & virgo quoque virginum condita, prælecta, pręſeruata, præparara & ornata, per ſpiritum Sanctum & Dei omnipotentem filium fuit. *Bezeleel* interpretantur *vmbra Dei, Ooliab, protectio mea.* Prior ille Spiritus ſancti, iſte vero typum tenet filij. De illo dicitur ad Mariam in conceptione filij beatiſſimi: *Virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.* de iſto vero: *De ventre matris meæ, tu es protector meus.* Bezeleel ergo cum ſocio arcam teſtamenti fabricauit: Sancta quoque Trinitas Virginem ſibi ſanctificauit, ac templum ſanctiſſimum conſecrauit, hoſpitiumque mundiſſimum ſibi præparauit, thalamum quoque de quo ſponſus prę filijs hominum ſpecioſus ad publicum procederet, decenter præornauit. Neque enim Pater abeſſe potuit, vbi eius Spiritũ & Filium cooperari voluit. *Pater* ergo in conſecratione virginis exhibuit claritatem, *filius* humilitatem, *Spiritus ſanctus* charitatem. *Pater* lumen rationis, *Filius* cinerem humiliationis, *Spiritus ſanctus* oleum dilectionis. *Pater* potentiam, *Filius* ſapientiam, *Spiritus ſanctus* omnium virtutum gratiam. *Pater* auctoritatem contra peccatum, *Filius* humilitatem contra mundum, *Spiritus ſanctus* dilectionem erga Deum & proximum. *Filius* carnis mortificationem: *Spiritus ſanctus* compunctionem, *Pater* cœleſtium contemplationem. *Filius* docuit eam Diuina operari, *Spiritus ſanctus* amare & amari, *Pater* cœleſtia

ſtia

Digitized by Google

ſtia contemplari. *Filius* eam erudiuit, *Spiritus ſanctus* prouexit, *Pater* vero perfecit *Filius* purificauit, *Spiritus ſanctus* pacificauit, *Pater* eam honorificauit. Pergit explicare idem ſymbolum, pius iſte Pater.

Arca teſtamenti de lignis Zethim facta eſt: & Maria de ſpinoſo & hiſpido Iudæorum populo. Sethim enim interpratatur, ſpinæ. Spinoſus ille populus detractione, hiſpidus ſuperſtitione, aridus fuit vnctione Diuinæ gratiæ. Vnde ſpinoſus, ſpineã coronã Regi ſuo exhibuit; & in eum ſicut ignis in ſpinis exarſit. Eua quoq. ſpina fuit; roſa Maria. Reuera ſpina fuit Eua, quæ & virũ ſuũ ad mortẽ pupugit & poſteritati ſuæ, peccati aculeum infixit. Vnde Apoſtolus; *Per vnum*, inquit, *hominem, peccatum intrauit in mundum & per peccatum mors, & ſic in omnes pertranſiit*. Ad commendationem vero gratiæ ſuæ, & ad deſtructionem humanæ ſapientiæ, Deus de fœmina ſed virgine, deſcedente de ſpinoſa patrum origine, dignatus eſt carnẽ aſſumere, vt ſimilem ſimili redderet, contrarium contrario curaret, peſtiferam ſpinam euelleret, peccati chirographum potentiſſime deleret. Eua ergo ſpina fuit; Maria roſa extitit. Eua ſpina vulnerando; Maria roſa omnium affectus mulcendo. Eua ſpina infigens omnibus mortem: Maria roſa reddens ſalutiferam omnibus ſortem. De liquore ſpinei corticis fit encauſtum vnde ſcribitur: & de carnali mente Euæ fluxus concupiſcentiæ, qui in ipſa & in Adam peccatum actuale, in poſteris autem originale transfudit. Maria vero roſa fuit, *candida* per virginitatem, *rubicunda* per charitatem. *candida* carne, *rubicunda* mente. *candida* virtutem ſectando, *rubicunda* vitia calcando. *candida* affectum purificando, *rubicunda* actum carnalem mortificando. *candida* Deum dlligendo, *rubicunda* proximo compatiendo.

Eua ſpina.

Maria, roſa.

Tam ſpecioſa Sanctiſſima Deipara Maria, adhuc in vtero materno. Vtpote deſtinata ferre illum qui totus candidus & rubicundus abluens noſtra peccata. Nata & ipſa oratione & patrocinio ſuo, noſtra abſtergere & ſanare carcinomata. Dabo exemplum, mirandæ eius potentiæ, quam in conceptu aſſecuta, ad mentes peccatorum depurandas. Vos præcipue, qui ex eius Sodalitate audite. Tempore quo placuit cultum SS. Roſarij inſtaurare D. Deiparæ per Alanum Rupenſem, quidam eo miſeriæ deuenerat, vt Caimi proditoriſque Iudę diſcipulus de æterna ſalute diffideret, atque huius vitæ fidem, mortis ſempiternæ aiebat eſſe principium. Cognita perditi hominis miſeria Alanus, ad eum ſe contulerat, verbiſque ſaluberrimis, a peſtifera ſententia deducere nitebatur. aderant & alij Doctores, ſuaſoreſque grauiſſimi. ſed vano conatu. *Actum de ſe*, miſer ille, *conclamatumque iactabat*; & in tam altum diffidentiæ quaſi Barathrum fundumque ſe ipſe depreſſerat, vt ad eum ne accutiſſima quidem vox perueniret. Rex ille Manaſſes & cultu Deorum, & cæde prophetarum infamis, cui pœnitenti grauiſſimorum ſcelerum veniam miſericors Dominus condonauit: Magdalena, Mathæus, Paulus, ac latro ille felix, Diuinæ clementiæ teſtes citabantur. quę tamen fruſtra eſſe collecta, miſerrimi hominis pertinacia monſtrabat. Infernorum ſempiterna ſupplicia, perrennes cęli deliciæ, obſtinatum hominis animum, & cor lapideum emollire non poterant. Cõmemorabat idẽ Alanus multos ex ijs, quos quotidie Chriſtus immutat, quo miſero illi, recenti teſtimonio fierent

SS. Roſarij oratione quidã deſperabundus conuertitur ex Roſario Alani Rupenſis.

Digitized by Google

fierent credibiliora, quę monebantur. Sed nullus in hiſtoria quamuis & noua, & vera profectus. Cumque omnia luſtraſſet Alanus, tãdem reminiſcitur orationis Roſarij. Monet ęgrum animi, vt illud recitet. Oratur Roſario Chriſtus, fons ipſe bonorum omnium, precatione illa quam ipſe diſcipulis tradidit. Salutatur virgo Deipara Angeli & Elizabet verbis, & ad filium conciliandum adhibetur interpres. Mox eidem ſuadet, vt ſit vnus ex ſodalibus conſcriptis, ipſeque conſuetudinem inducat Roſarium recitandi. Paret ille, orat, dat nomen Sodalitati: in ſpem erigitur, mutatur. Non multi menſes, cum tanta ſequuta eſt mutatio, quantam vix crederent, qui hominis pertinaciam cognouiſſent. Morum & vitę ſanctitatis progreſſus ille fuit, vt accepti Roſarij minime pęniteret. Cumque ad ſolidam ſpem, quam animo acceperat, recte facta non ceſſaret adiungere, hominis vere Chriſtiani munere functus, Diuam Deiparentem ſenſit ſuam Aduocatam & vere propitiam propitiatricem. Namque illa quod ipſi canit Eccleſia.

Peccatores non abhorret,
Sine quibus nunquam foret
Tanto digna filio.

O Faxis & nobis Diuinam miſericordiam conciliare, quę ineffabili ratione miſericordiæ Diuinę prę ſanctificata proceſſiſti, & immaculata candidas in ęuum. Amen.

IN FESTO S. THOMAE Apoſtoli.

Dominus meus, & Deus meus. *Ioan.* 20.

CONCIO.

Cauſa dilectionis Dei.

QVi ſemel guſtarunt, *quam ſuauis eſt Dominus*, cuncta quæ infra illum ſunt faſtidiunt, ipſum autem tota mẽtis auiditate deſiderant. Diſcrimen eſt inter terrea, & Cęleſtia, atq; adeo inter ipſum Deum. qui illis ſe expleuit, abominatur; qui Deo plenus, quo plus hauſit ignei liquoris, plus ſitit & ambit.

Ardens iſtud deſiderium expreſſit in ſe Dauid, dum inquit. *Anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi.* quaſi diceret. Vt tellus Sole exuſta, ad fructum ex ſe proferendum derorari deſiderat, ſic ego gratiam tuam, ardentiſſime concupiſco. & quemadmodum ceruus ardentiſſima ſiti cruciatus, aquæ fluentis deſiderio ingemiſcit & fremit: ſic anima mea cupiditate ſpiritus tui o Domine feruenter anhelat, & magnos ex imo pectore gemitus edit. Prægustauerat Thomas multitudinem dulcedinis, quam abſconderat Chriſtus diligentibus ſe. Namque & mellinium eloquij Diuini ex ore mella fundente, & panem mellitum Diuini corporis ex manu ſupranaturale condente præceperat. Non mirum, ſi ad aſpectũ lateris Chriſti, ex quo plena manu haurire iubetur dulcorem eliquantem, extra ſe raptus hãc Dei ſuauitatis emanationem demiratur, & dillaudat. Dominus ne iſte meus? Iſtene Deus meus? Hunc ipſum exquiſiui, hunc in nocte mea tene-

expl. loc. *Pſal. 62.*

tenebroſa concupiui . iſte ſolus , & quia Dominus, & quia Deus meus, potis meam Aethnam extinguere. Duas iſtas cauſas, quæ fideliũ mentes excitant ad Chriſtum concupiſcendum, hodierna die excutio.

Deus multinomius.

Etſi vnicus eſt Deus, & maxime vnus, multis tamen & varijs nominibus, nuncupatur. Non quidem vt illa pluriuaria, plures & varias eſſentias; ſed vt plures & varias proprietates & attributa exprimant. quæ & vnum ſunt reſpectu vnius fontis, a quo deriuantur, plures autem & variæ emanationes numerantur a nobis, in quos corriuantur. Sedes vnica viſa eſt Danieli Prophetæ, quam & antiquus dierum, & ille ſimilis Filio hominis, atq; vtrumque connectens, amebæus nexus & Flatus ſubſiſtens Spiritus ſanctus, communi & indiuiſa eſſentia impleuit, Deus vnus & Trinus. cæterum quia ille fluuius igneus rapidusq;, qui a Throno Trinuni originatur, in varios ſe tullios findit; varias nomenclaturas, varianti inuariabili Deo acquirit. vt & ros irrorans, & ignis amburens, & *El*, & *Eloim*, ſeu & Deus atque Dominus, vocetur, & inuocetur.

Vocatur El & Elohim. Iehoua et Sadai.

Binomius Hebræis erat Deus, quod Ioannes Picus, ſecretioris illorum Doctrinæ (*quam Cabalam vocant*) ſcius aſſeuerat. *El*, & *Elohim* appellabant. *El*, idem eſt quod nobis Deus. cui proprium, ſumma pietate atque clementia fouere & recreare vniuerſa. *Elohim*, proinde ſignificat nobis Dominum. cui adſitum, parcere proſtratis, debellare Superbos, tueri probos, improbos caſtigare; illis coronam pro puluere, his cataſtas pro ſcelere paratas exhibere. *Elem* inuocabant Hebręi, ſi quando beneficium aliquod flagitabant. *Elohim* vero, ſi quando aduerſam fortunam, auerſam eſſe cupiebant. *Elem* poſcit Moyſes, dum Marię ſorori ſanitatem optat. Namque ita legimus in fonte Hebræo: *El raphanala.* ideſt Deus gratię, ſana quæſo illam. *Elohim* poſcit, idem, cum Amalechitas ab iugulo ſuo & ſuorum remotum eſſe cupiebat. Vtrumq; nomen, alias alijs ſynonimis efferunt. *Elem*, vocant Iehoua; *Elohimum*, Sadaj. *Elem*, Deum ſignificat, qui eſt Iehoua. & ſignificat illũ qui de ſe Moyſi inquirenti, quod nomen eius foret, reſpondit. *Ego ſum, qui ſum. & . Qui eſt miſit me ad vos.* *Elohim* vero, Sadaymum innuit, qui interpretatur, *Sufficit*. Namq; hic Dominus tam prępotens eſt, vt ſufficiat reddere vnicuique iuxta opus ſuum, ſiue bonum, ſiue malum, prout quiſquis geſſit in corpore.

Vtrumque Dei nomen, potentiſſimum vinclum, ad illigandum hominem Deo, vt nihil illi ſit, vel debeat eſſe extra Deũ volupe aut magis deſiderabile homini. *Beatus populus* (exclamabat Dauid expertus) *cuius eſt Dominus Deus, Dominus & Deus eius.* Beatus populus iſte, cui hęc felicitas contigit, quod ipſum elegit in hęreditatem ſibi.

Deus hominem ſibi illigat. 1. pulchritudine.

Pulchritudo inprimis eſt Tyrannus, qui aureis compedibus vincit aſpicientem. Scitis quid Paridem Gentilem, quid Iacobum Hebręum formę venuſtas, pati & agere compulerit. Scitis, quibus cathenis amatores occubui floris oneratos, in ſuo corpore mori, in alieno viuere, & ſpirare compellat, eadem blandę Syrenis perſona.

Pulchritudo ſi hominem rapit, inque cupitam formam transfert & trãsformat: quid pulchrius Elemo? quid venuſtius Chriſto.

El, & *Iehoua*, ſeu QVI EST, Deus voluit indigitari, vt ſe eſſe demonſtraret, totius entitatis, bonitatis, nobilitatis, atque adeo omnis pulchritudinis fontem. Venuſtus Adamus

Pro-

Prothoparens? ſed longe venuſtior Plaſtes, qui ad imaginem & ſimilitudinem ſuam illum formauit. Decorus Abſalon? Sed magis pulchrior *El, ſpecioſus forma præ filijs hominum*. Miraris Angelum, qui *ſignaculum ſimilitudinis?* at quanto putas pulchrior ille qui totus cādor lucis æternæ, qui character & figurā totius bonitatis? Solaris te facies ſtupidum tenet? Oculi vnici, eius qui emanatio claritatis omnipotentis Dei, multo plus lucidiores, & ad aſpectum ſuauiores Sole.

2. *Luce.* *Solil. c. 31* Diuus Auguſtinus pingebat ſibi Deum: Quando, *inquit*, Deum meū quæro, non quæro ſpeciem corporis, non decus temporis, non candorem lucis, non colorem, non dulciū melodiarum cantus, & quæcunque dulce ſonantia, non florum & vnguentorum vel aromatum odores, non mella vel manna guſtui delectabilia, non cætera ad tangendum vel amplexandum amabilia, nec alia omnia ſenſibus his ſubiecta quæro, cum Deum meum quæro: Abſit vt iſta crediderim Deum meum, quæ etiam a brutalium ſenſibus comprehenduntur. Et tamen cum Deum meum quæro, quæro nihilominus quandam lucem ſuper omnem lucem, quam non capit oculus. quandam vocem ſupra omnem vocem, quam non capit auris. quendam odorem ſuper omnem odorē, quem non capit naris. quendam dulcorem ſuper omnem dulcorem, quem non capit guſtus. quendam amplexum, ſuper omnem amplexum quem nō capit tactus. Iſta lux quidem fulget, vbi locus non capit: iſta vox ſonat, vbi Spiritus non rapit; odor iſte redolet, vbi flatus non ſpargit; ſapor iſte ſapit, vbi non eſt edacitas; amplexus iſte tangitur, vbi non diuellitur. Talis Deus videbatur Diuo Auguſtino. talis & Apoſtolo Thomæ, qui cum vidiſſet ſpecioſiſſimū a reſurrectione, non ſe capit, quin exclamet. *Deus meus. Et pulcherrimus, mihi Saday*, ideſt ſufficit, ad felicitatem quam exambio.

Dilecti. Qui hanc depurato mentis oculo Dei pulchritudinem, vel per tranſennam ſemel ſuſpexit, mirum eſt quanto ardet affectu, ſemper aſpiciendi. Moyſes hanc aſpirans vnicam, totus eſt in angoribus, flagitans; *Oſtende mihi faciem tuam*, ſi me amas, vt teſtaris. Viderat ſub imaginibus quibuſdam Sponſa; & tota eſt in flammis inextinguibilibus, a quibus ardet & languet. Viderat Petrus in monte Thabor, nec amplius aliud quærit in pedemontio iſto.

Vidit Paulus in tertium cœlum raptus, & iam ipſe in ſe non viuit. *viuit in me*, ait ille, quē vidi *Chriſtus*.

Vidit Catherina Senenſis, neque ſe tulit, quin cor ſuum illius corde permutaret, & paſſionibus illius ſeſe configuraret. Optarem vt & nos auſu Sancto incitati, reuelaremus paulisper cortinam latibuli, qua ſe obtexit. ſcio, alio amore flagraremus erga ipſum. Si enim mundus tanta varietate ornatus, pulchritudine ſua amores excitat in nobis: & ille tamen eſt imago ſeu veſtigium Dei. Si inardeſcimus animo ex aſpectu imaginis, ad amorem hominis quem nunquam eminus aſpeximus, quos ignes nō conciperemus? quibus flammis non arderemus, ſi ad contemplationem Diuinæ venuſtatis; vel vnam in dies horam ſecerneremus? Hac obiecta imaginē Dei crucifixi excitauit illud incendium Thomas Apoſtolus, cuius ſcintillæ fuerunt verba in quæ prorupit, Deus meus, & Dominus meus.

Sed & alteram exhinc eruo cauſam incentiuam amoris, quia Dominum ſuum eſſe agnoſcebat, cuius 3. *Dominatione.*

deſiderio conflagrabat.

Dominus inquit eſt, ſed MEVS. Voluit dicere:qui meſibi totũ dedit, inſinuauit,vt ſit *MEVS*. Fœlix ſponſa quæ potuit audendum illud vſurpare. Ego dilecto meo,& Dilectus meus mihi. Sed & nõ infęlicior Thomas, qui hoc quod audiſtis repetit; Dominus meus & Deus meus.

Pape quam magnum? quam excelſum hoc eſt munus? dicere Conditori, *Dominus meus*.præſertim ſi tam eſt intime noſter, quã fere ſibi.

Hier.13. Quid illud audio,quod Hieremiæ explicat,dum iubet:*Surge*,inquit, *vade ad Euphraten,et tolle inde Lumbare, quod præcepi tibi vt abſconderes illud. Sicut enim adhæret lumbare ad lumbos viri,ſic agglutinaui mihi omnem domum Iſrael, & omnem domũ Iuda dicit Dñs.vt eſſent mihi in populũ,& in nomẽ,& in laudem,& in gloriam*. Magnam Dei dignationem intelligo, qua ſibi adiungit hominẽ tam proximo, tam illigato nexu.

4 *Sponſalitio* Quid ſi etiam adnectit ſibi eundem, vt ſponſus ſponſam? Nam illud eſt quod ait.*ſponſabo te mihi in ſempiternum: & quõ ſi vir adhæreat vxori ſuæ, ſic Chriſtus adhæſit Eccleſiæ*.

Quid ſi etiam magis ſibi eundem innectat, & vel ipſe ſibi incorporet, vel ipſe, in cor hominis deliciaturus ſubintret? Et iſtud benigne facit, dum nos corpore ſuo paſcit inque ſeipſum demutat; dũ iuſtorum animas in manu ſua geſtat: dum penetralia cordis noſtri ſubintrat, manſionem facit,& illud optandam magis,quam olim ſperandum teſtatur. Deliciæ meę ſunt eſſe,cum filijs hominum. Delectabatur quidem & delectatur adhuc cum Patre, *per ſingulos dies,ludens coram eo in orbe terrarum*; ſed adlubuit ei quoque deliciari cum genere mortalium.

5 *delicijs*. Putabam ego Domine Ieſu, quod deliciæ tuæ eſſent,non cum filijs hominum, ſed cum choris Angelorum;vbi Diuinitatis gloriæ thronis & poteſtatibus admirandus ſuperiorum oculos reuerberas naturarum, vbi lucem inhabitas inacceſſibilem, & circumſtantia clariſſimorum luminum, tui luminis obteſtis maieſtate? Sed illa clementiſſima tua pietas,& benignitas adoranda, delicias ſuas dicit eſſe cum filijs hominum. Iſti ſunt filij hominum, qui ſperauerunt ſub tegmine alarum tuarum, quos elegiſti de plebe.quorũ lauiſti pedes,quibus de pectore tuo reclinatoriũ feciſti, quibus tuũ ſpiritum infudiſti, quos corpore tuo refeciſti,ſanguine potaſti. qui fidem tui nominis quadrigis euangel cis per orbem quadrifidũ portauerunt. Quid eſt homo,quod memor es eius, aut filius hominis quoniam viſitas eum?

Bern. in Serm. de S. Andrea.

6 *beneficijs* Sed ad quem modum viſitet, audite. Quem geſtat in manibus,ſic alloquitur apud Iſaiam. *Noli timere, quia redemi te, & vocaui te nomine tuo, Meus es tu*. O miram Dei benignitatem dicere vermiculo reptãti. Meus es tu. Non te mancipem appello,licet iure meo poſſem. Meũ corculum. Meum delicium dico. *Noli timere*. ego enim te iam a ſeruitute & interitu liberaui,inque adoptiuos filios accenſui. jn huius egregiæ familiaritatis indicium, nomina tim compello, ſingularique beneuolentia complector. Nam meum oblectamentum es tu. Quando igitur a me tantum egregiæ voluntatis pignus, habes, fac vt ex animo tuo timorem omnem depellas, excelſoque animo ſis & ſemper inuicto. Nihil enim erit, quod tibi nocere poſſit. Cum pedibus mare trãſieris, tibi præſens adero: ne flumina quidem altiſſima, te præſidio meo cinctum obruere poterunt. Si per medios ignes inceſſeris, non te calor infeſſus aduret, neque flammarum ardore *Iſai.43.* *Paraphraſis Oſorij.*

ardore conflagrabis. Ego namque ſum præpotens ille Dominus, cuius eſt poteſtas immenſa, & virtus ſempiterna, in quo omnem ſpem vitæ tuæ collocaſti. Ego ſum illud Sanctiſſimũ atque firmiſſimũ Iſraelis præſidiũ, qui nunq̃ eos qui ſeſe ad me contulerunt, ſaluteque ſuam mihi crediderunt, ſpe mea deſtitui. Ego ſum is qui tibi ſalutem afferam, nec patiar te rurſus affligi. Pro te omnes hoſtes ſempiterno exitio dabo, atque perficiam vt non modo nihil tibi nocere poſſint, ſed ex omnibus eorum perditis conatibus, magnus tibi gloriæ & honoris cumulus accedat. & quo te vehementius impugnarint, eo tu clarius illuſtreris, & illi grauius diſcrucientur. Phalangas quoque malignorum ſpirituũ diſſipabo, & ad nihilum potẽtiam eorum reducam, ne amplius tibi inſultare audeant, imo tu ſub vmbra protectionis meę illos illudas: motuque digitorum illis inſultes.

7. beneuolentia. Inauditum genus beneuolentiæ, qua ſuos ſeruos Deus proſequitur. Quis vnquam Principum terrenorum, tam promptus in mancipium, vt in ſinu collocet? in manibus geſtet? ſic adblandiatur? mulceat? imo & defendat? Quis pro ſeruo mortem ſubijt vnquã? Quis vel pectus firmum, pro illo oppoſuit mucroni? Solus Ieſus oppoſuit. Solus ſubiuit mortem. Solus & euſque tela ma ligni in nos a maligno vibrata, excipit & retundit. Ipſe eſt qui vel in abſcondito faciej, vel in vulnere lateris ſui fideles abſcondit, ne a Veteratore lædantur.

Quamobrem iure merito Pſaltes & fors etiam Thomas cum ipſo, illam orationem ad eum eiaculabatur. *Expandi manus meas ad te, anima mea ſicut terra ſine aqua tibi.* Manus meas tuis implectere digneris: digitos meos, imo meipſum totum in te, & in latere tuo abſcondere velis. Ingrediar ego in profundam abyſſum cordis tui, o dulciſſime Ieſu. Dominus meus & Deus meus es tu. Plaſmaſti? erige. Creaſti? recrea atq; reſtaura. Imagine tua me figuraſti? Depinge & ſimilitudine tua. Signaſti tua luce? Nunc in tenebris ſedẽtem, illuſtra facie tua ſuper ſeruum tuũ. Nam anima mea, ſicut terra ſine aqua tibi. Nihil enim a me fieri vllo modo poteſt, quod ſit in vera laude ponendũ. Vita, ſalus, dignitas, voluptas, ſolatium, nonniſi a te ſolo Deo & Domino meo dependet. Si a me vultum tuum auertis, mors incitatur, honeſtas eripitur, dolor incurſat, mæror & luctus ingraueſcit, atque ego mortuis & plane ſepultis venio annumerandus. Tu enim meus El formoſus. Tu meus Sadaj mihi ſufficiens omnifaria plenitudine deliciarum, & beatitudinis æternæ. S. Thomæ mart.

Tam ardentes amores excitauerat *Deus & Dominus* Ieſus in corde Thomę, vt & lanceas quibus fuit confoſſus pro eius nomine, illi dulcorarit. Cum enim Parthis, Medis, Perſis, Hyrcanis, Bactris & Orientalibus Indis Chriſtianæ fidei doctrinam & vitæ præcepta tradidiſſet, atque Sanctimonia & miraculorum magnitudine, ſe Magnum Chriſti diſcipulum eſſe probaſſet, Calaminę Regem idolorum cultorem, ad iram quam maxime accendit. Varijs modis tentauit illius conſtantiam crudelis tyrannus. tandem cum immotum ſicut montem aliquem rupeum vidiſſet, telis & lanceis confodi iuber, Thomam ſacris operantem. Lubens mortem illam pro vitæ auctore excepit, animamque purpuraſcentem ſanguine, pro illo qui animam & ſanguinem obtulit pro nobis effudit. & quid ni lubens? Hunc animum indunt generoſi animi, quos

Digitized by Google

Dei pulchritudo & benignitas percuſſit, vt pro eo omnia fortuita, ſiue fauentis, ſiue aduerſantis Deę, imo & mortem ipſam contemnant. Vtinam & nos tales, ab hoc latere patulo, Dei & Domini noſtri. Fęlices ſi huic aduoluti & ab hoc inebriati, dulcedine quam exſudat. vt in ęternum poſſimus eſſe fælices ab El & Sadaj, qui ſibi & omnibus ſufficiens perennat. Amen.

IN FESTO S. STEPHANI Prothomartyris.

Lapidauerunt Stephanum &c.
Act. 7. c.

CONCIO.

Quid eſt in petra exaltari?

Iacobi viſio ex lapide

IACOB Patriarcha dum furores fraternos fugit, & fęlicitatem terrenam quærit a ſaxo vidit Cęlum apertum, ſcalam Cælitus demiſſam, Angelos aſcendentes & deſcendentes, atque Deum ipſum innixum ſcalæ. Idem votum hodie euenit Stephano, dum Bacchæ bacchantis Synagogæ ſæuitiam ſuſtinet, atque beatitudinem æternam deſiderat, ab imbre ſaxorum quibus perpluitus, in eis tanquam in molli culcita quieuit, aſpexit, quod ipſe enunciat dicens. Ecce video cælos apertos, & Ieſum ſtantem a dextris virtutis Dei. A quo non Rachelis, ſed ipſius complexus poſtulat; Non diuitem ſubſtantiam Labani ſed eius ſolius theſauros inexhauſtos, ſcientiæ & ſapientię concupiſcit. Domine. ait. Ieſu. Non alium, non aliud, præter te deſidero. Tu ſi dignaris, ſuſcipe ſpiritū meū. Fælicius votum, quam Iacobi, fuit Stephani. Hic non Rachele ſed Deo; non lare, Labani, ſed Dei Ciuitate; non ouibus aut auro ſubdititiis iniuriæ opibus, ſed in æſtimabilibus theſauris diuitatus fuit. Merito vt poſſit vſurpare illud Dauidicum. *In Petra exaltauit me & nunc exaltauit caput meum, ſuper inimicos meos.* *Pſal. 26.* Quid ſit in petra exaltari? dum ſaxa Stephanica numeramus, conſiderare placet.

Homo ad magna & ardua. lib. de prouid. c. 5.

Etiam ex Ethnicorum decreto, homo qui homo, ad magna natus, non ad hæc terræ puſilla: Audio *Senecam qui dicit*: Languida ingenia, & in ſomnum itura, aut in vigiliam ſomno ſimillimam, inertibus nectuntur elementis. ſcilicet ignauo corpore ſūt, & ab hoc ignaua mēte. Vt autem efficiatur Vir cum cura dicendus, fortiore fato opus eſt. ideſt. Oportet ſit corpore non inerti nec iacente, ſed ex acrioribus elemētis temperato. Huic non erit planum iter: ſurſum oportet ac deorſum eat; fluctuetur, ac nauigium in turbido regat. Contra fortunam illi tenendus eſt curſus. Multa accident dura, aſpera, ſed quæ complanet ipſe. Vide quam alte aſcendere debeat virtus: & ſcies illi non per ſecura vadendum eſſe.

Ardua prima via eſt, & qua vix manè recentes
Enituntur equi: medio eſt altiſſima cælo:
Vnde mare & terras ipſi mihi ſæpe videre
Fit timor, & pauida trepidat formidine pectus
Vltima prona via eſt, & eget moderamine certo
Tunc etiam, quæ me ſubiectis excipit vndis.
Ne ferar in præceps, Thetis ſolet ipſa vereri.

Itaque per ardua & aſpera viro enitendum eſſe cenſebat Philoſophus, qui Magnus vult audire. Idem

Sene-

Digitized by Google

Seneca inducit Deum homines alloquentem. Alijs bona falſa circumdedi, & animos inanes velut longo fallacique ſomnio luſi.auro illos,argento & ebore ornaui:intus boni nihil eſt. Iſti quos pro felicibus aſpicitis,ſi non quà occurrunt, ſed quà latent, videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes, ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti. Non eſt iſta ſolida & ſincera felicitas, cruſta eſt,& quidem tenuis.Itaque dum illis licet ſtare, & ad arbitrium ſuum oſtendi,nitent & imponunt:cum aliquid incidit, quod diſturbet ac detegat,tunc apparet quantū altę ac verę fœditatis alicuius, ſplendor abſconderit. A vobis omnia mala re-*ad dura natus.* moui,ſcelera & flagitia, & cogitationes improbas, & auida conſilia, & libidinem cæcam, & alieno imminentem auaritiam. Vobis dedi bona certa,manſura; quanto magis verſaueritis, & vndique inſpexeritis, meliora maioraque. Permiſi vobis metuenda contemnere,cupienda faſtidire. Non fulgetis extrinſecus: bona veſtra introrſus obuerſa ſunt. *Non egere felicitate, veſtra felicitas eſt. Ad multa quæ incidunt triſtia, horrenda, dura,animos veſtros armaui. Ferte fortiter, quò proxime ad Deum accedatis*. Contemnite paupertatem. Nemo tam pauper viuit, quam natus eſt. Contemnite dolorem: aut ſoluetur, aut ſoluet. Contemnite fortunam. Nullum illi telum quo feriret animum,dedi. Contemnite denique mortem: quę vos aut finit,aut transfert.

Quid ab homine Chriſtiano,iuxta inſtituta Religionis noſtrę potuit dici verius? quid altius? Nam omnia iſta,ex ipſis, pene viſceribus Sapientiæ archanæ eruta.

Non egere felicitate terrena, fælicitatem eſſe cenſebat ille? Chriſtus quoque nihil aliud magis inculcabat, quam mundi & eorum quę mundus pollicetur contemptum. Hinc *beatos* aiebat *pauperes ſpiritu*, atque talium eſſe aſſerebat regnum cælorum. Hinc etiam illis qui reliquiſſent aurum,argentum, prędia, patrem, matrem,vxorem, filios. quinimo & ſeipſos abnegaſſent, & animam propriam perdidiſſent, conſortium Regni cælorum & duodenas ſedes oſtentabat.

Omnium ſcelerum vacuos volebat eſſe apud Senecā Deus? & Chriſtus nihil magis deteſtatur quam flagitia: nihil magis exigit quam puritatis & ſanctimoniæ ornatum. quæ. Non illa externa oculum perſtringentia, ſed hæc interna animi bona.

Armabat apud Philoſophum animos virorum Deus, ad triſtia,horrenda, dura, fortiter perferrenda imo & ad mortem pro virtute obeūdam? & Petra Chriſtus, ſaxeos eſſe iubet ſuos,ad eadem non modo cōſtantiſſime ſuſtinenda, quin & ardentiſſime exambienda?

Diuitias eripiet fortuna? Opulentiorib.*inquit* ego vos diuitabo. Filios lancinnabit tyranus? Ad meliorem vitam tranſmittet. Carnem veſtram vel torrebit, vel elixabit, vel lapidibus verberabit? Finiet miſerias, transferet ad perennantem felicitatem. Ab hac continentia & ſuſtinentia,Vos Magni,excelſi,Beati.

Nimirum hoc eſt quod Pſaltes edixit. *In Petra exaltauit me,& nunc, exaltauit caput meum ſuper inimicos meos*. Explico & applico. Petra Chriſtus eſt lapis augularis, in quo nos omnes tanquam lapides viui a cæleſti Archicteto ſuperędificamur, ad conſummationem Ciuitatis ſupernę,ex pretioſis lapidibus conſtructę. Dum itaque ait, aliquis ſanctorum, *In Petra exaltauit me*: inquit, a ſordibus infimis me eruderatum, *explic. verſ. Pſ. 26.*

ad

ad Magna & excelſa vocauit. Excelſa vt audeam, Magna vt adeam. deque hoc torrente limoſo, vt & ipſe exaltauit caput. ſic & ego agendo & patiendo extollam caput.

Tres cauſæ perſecutionũ. Triplicem cauſam inuenio, cur in ſaxo tribulationum & perſecutionum, Magnos & excelſos viros Agonothetes Chriſtus collocauit. Prima quia non poterat illos his ſubducere, ſi Viros eſſe Virtute prædites volebat. Altum quidam, *vt idem Seneca docet*, virtus eſt excelſum, regale, inuictũ, infatigabile: voluptas humile, ſeruile, imbecillum, caducum, cuius ſtatio ac domicilium fornices ac popinę ſunt. Virtutem in foro inuenies, in templo, in curia, pro muris ſtantem, puluerulentam, coloratam, calloſas habentem manus: Voluptatem latitantem ſæpius ac tenebras captantem; circa balnea ac ſudatoria, ac loca Aedilem metuentia; mollem, eneruem, mero atque vnguento madentem, pallidam, & medicamentis fucatam.

1. Natura virtutis exigit. lib. de vita beata. c. 7.

Hinc habeo 1. illum qui pro aris & templis decertaturus eſt, multorum inuidiam ſubire, multiſque iniurijs ſubiectum, eas iure ſuo Virtutis ab hoſtibus extorquere. Deinde video, 2. illum eundem quia ſe a peccatoribus ſegregat, contrariaturque facinoribus eorum, facile odium a virtutis cultura corriuare. a quo tribulatio, perſecutio gladius, & mors denique ipſa.

Hoc Apoſtolis necem accerſiuit. Hoc & Prothomartyri Diacono. Non tam nouam quam ex veteri doctrina erutamque; neque Moyſi contrariam, imo eidem quam maxime conſonã fidẽ prædicabat iſte. Legis Doctores nouam nouitiam, & a Moyſe alienam rebanrur eſſe. Huic euertendo quia non poterant reſiſtere ſapientiæ & ſpiritui qui loquebatur, imprimis ſummiſerunt viros, qui dicerent *ſe audiſſe eum dicentem verba blaſphemiæ in Moyſen & Deum*. Mox cum ille innocentiam ſuam euinceret, conſtantique animo Chriſti doctrinam ex lege & prophetis aſſeueraret, diſſecabantur maleuolentes in cordibus ſuis, & ſtridebant dentibus in eum, atque infractis lateribus prædicantem, eijcientes extra Ciuitatem lapidabant innocentem.

Act. 6.

Commouit eos deinde ipſo aſpectu & habitu virtutis. Nam ille *plenus gratia, fortitudine & Spiritu ſancto*. Tum demum manſuetudine, humilitate, caſtimonia, contemptu mundi, charitate, alijſque præclaris virtutibus a gratiæ ſcaturigine promanantibus ornatus, vt aſpicientibus omnibus ſedentibus in Concilio, *videretur facies eius tanquam facies Angeli*: Illi autem (quod eis exprobrabat) dura ceruice, & incircumciſis cordib. & auribus, ſemp reſiſtentes Spiritui ſancto, ſicut inquit, & Patres veſtri. Et quẽ ait prophetarum non ſunt perſecuti Patres veſtri? Et occiderunt eos, qui prænunciabãt de aduẽtu Iuſti, cuius vos nũc *Proditores & homicidæ fuiſtis: q accepiſtis legẽ in diſpoſitione Angelorum, & non cuſtodiſtis*. Tales iſti, diſſimilis ille. Ideoque natura virtutis ſuper eos, capite excelſo exaltatus, facile ſibi odium conciliauit, & hinc mortem acerbam accerſiuit. Ita accidit ordinario curſu. *Act. 7.*

Quemadmodum tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum qui ſecundum ſpiritum: ita & nunc. Hoc idem Saluator Apoſtolis prænunciabat. Si, inquit, de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuũ eſſet diligeret. Sed quia de mundo non eſtis; quia ſcilicet ea quæ mundus amplectitur & æſtimat, vos in abominatione habetis, ideo mundus vos odit. Bene Diuus Gregorius

Eſau typus perſecutorũ Galat. 4.

Digitized by Google

ſuper 3. pſal. pen. rius ex noſtris. ***Multæ tribulationes iuſtorum.*** Iuſti namque quia ea quæ Dei ſunt, tota intentione deſiderant & ſupra mundum facti, mundana omnia quadam virtutis dominatione conculcant, non ſolum in occulto cordis Diabolicas infeſtationes tolerant, ſed etiam peruerſorum malitiam decore ſuæ conuerſationis inflammant. Verum quia ad ſuperãdum nullus inuenitur idoneus, niſi qui fuerit virtutis Diuinæ fortitudine roboratus, ideo qui perſecutorum flagellis atteritur; qui detrahentium dentibus mordetur, præſentiam Domini & auxilium Diuinæ maieſtatis expoſtulat, vt eius fultus præſidio, contra omnia quæ patitur aduerſa conualeſcat. Dum autem conualuerit atque ſuperior omnibus telis fuerit, confitetur Domino. *In Petra exaltauit me, & nunc exaltauit caput meũ ſuper inimicos meos.*

2. Probatio virtutis. Alteram cauſam perſecutionum quas in ſuos fideles permittit, cõijcio: *Probationem virtutis.* In petra excelſa, ſtationem illi deſignauit, Magnificauit, Exaltauit. Tales vult eſſe videri. *Idem Seneca docet.* Non eſt arbor ſolida, nec fortis, niſi in quam frequens ventus incurſat: ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certas figit. Fragiles ſũt, quę in aprica valle creuerunt. Pro ipſis ergo bonis viris eſt, vt eſſe interriti poſſint, multum inter formidoloſa verſari, & æquo animo ferre, quæ non ſunt mala, niſi male ſuſtinenti. Ignis aurum probat, miſeria fortes viros. Ignis flatu premitur, vt eſſe ignis videatur. Magnus es vir: ſed vnde ſcio, ſi tibi fortuna non dat facultatem exhibendæ virtutis? Deſcendiſti ad Olympia: ſed nemo præter te. Coronam habes, victoriam non habes. Non gratulor tamquam viro forti, ſed tanquam Conſulatum Præturamve adepto. Idem dicere & de bono viro poſſum, ſi illi nullam occaſionem difficilior caſus dedit, in qua vna vim ſui animi oſtenderet. Opus eſt ad notitiam ſui, experimento. Quid quiſque poſſet, niſi tentando non didicit. Itaque quidam vltro ſe inceſſantibus malis obtulerunt & virtuti iturę in obſcurum occaſionem, per quam eniteſceret, quęſierunt. *Auida eſt periculi virtus, & quo tendat, non quid paſſura ſit, cogitat; quoniam & quod paſſura eſt, gloriæ pars eſt.*

Seneca lib. de prouident. c. 4. ſimilia.

Gubernatorem in tempeſtate, in acie militem intelligas. Vnde poſſum ſcire, quantum aduerſus paupertatem tibi animi ſit, ſi diuitijs diffluis? Vnde poſſum ſcire, quãtum aduerſus ignominiam & infamiã, odiumque populare conſtantiæ habeas, ſi inter plauſus ſeneſcis? Si te inexpugnabilis & inclinatione quadam mentium, pronus fauor ſequitur? Vnde ſcio, quam æquo animo laturus ſis orbitatem, ſi quoſcunque ſuſtuliſti vides? *Calamitas, virtutis occaſio eſt.* Ad ſuſpicionem vulneris tyro paueſcit; audaciter veteranus cruorem ſuũ ſpectat, qui ſcit ſæpe vicitſe poſt ſanguinem. Hos itaque *Deus quos amat, probat, indurat, recognoſcit, exercet.* Hactenus Philoſophus.

Quid magis ex Chriſtiano ſenſu? An non & apud noſtros legimus, quia placitus eras Deo, neceſſe eſt vt tentatio probaret te?

Probat, probat, examinator Deus hoc igne aurum ſuum, quod ſibi Petræ ſuperſtruxit. Quis noſſet Nabothi conſtantiam, ſi ille lapideo non proſtratus imbre? Quis Machabæorum fortitudinem attolleret, ſi illi non ignibus toſti? Quis Stephani charitatem, niſi ſilices in illũ detonarent? Silicis duritia, non niſi frangenti nota: virtus non niſi tentanti.

Lapidum

Lapidum inexpugnabilis duritia ferro probatur. Niſi contingas putabis adamantem poſſe aut ſecari, aut cædi vel deteri. Scopulos in altum mare proiectos, tot ſeculis verberatos; nec vllis ſæuitię veſtigijs deſulcatos, fluctus oſtentant: ſic viri animum ſolidum, iniuriæ, pericula, & mors denique ipſa.

Meritorũ & laudis occaſio.

3. Tertiam porro cauſam perſecutionum adnecto. Meritorum ſcilicet & laudis ſolidæ occaſio & cauſa ab his. Ipſis, *ait idem Philoſophus,* Deus conſulit magnis, quos eſſe quamhoneſtiſſimos cupit, quoties illis materiam prębet aliquid animoſe fortiterque faciẽdi: ad quam rem opus eſt, aliqua rerum difficultate. Quid Regulo fortuna nocuit, quod illum documentum fidei, documentum patientiæ fecit? Figunt cutem claui, & quocunque fatigatum corpus reclinauit, vulneri incumbit, & in perpetuam vigiliam reſectis palpebris, ſuſpenſa ſunt lumina. Quanto plus tormenti, tanto plus erit gloriæ. Male tractatum Socratem iudicas, quod illam potionem publice mixtam, non aliter quam medicamentum immortalitatis obduxit, & de morte diſputauit vſque ad ipſam?

Felices putat iſtos ſuos, qui ſic animoſe propter laudem, quæ ex virtute. Quid ſi præcepiſſet gloriam ſempiternam quam Chriſtus pollicetur, his qui fortes in bello, infracti in periculis, inuicti in confeſſione nominis Ieſu? Si videret cælos aperiri Stephano, & Ieſum ſtantem a dextris Dei virtutis, vocantem, trahentem, amplexantem, coronam ſyderam imponentem, & de Petra qua obrutus exaltantem illum ſuper inimicos eius? Quæ incentiua fortitudinis, ab hinc non excitaret? Namque hæ coronæ ex ſideribus plexæ, his tropheis aſſignatæ. Quantó plus tormenti aliquis paſſus martyr, tanto plus erit & in terris & in cælis gloriæ atque felicitatis. Beati eſtis cum vos oderint, & perſecuti fuerint homines propter nomen meum. Gaudete quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cęlis. Poterit audacter dicere Martyr Deo, quod olim quidam ſuo Imperatori.

Veterani cuiuſdã ad Iuliũ dictum.

Seneca lib. 5. de beneficijs c. 24.

Cauſam dicebat apud Iulium Cæſarem ex veteranis quidam, & premebatur. *Meminiſti*, inquit, *Imperator in Hiſpania talum te torſiſſe, circa Sucronem?* Cum Cęſar meminiſſe ſe dixiſſet; *Meminiſti quoque*, inquit, *ſub quadam arbore minimum vmbræ ſpargente, cum velles reſidere feruentiſſimo Sole, & eſſet aſperrimus locus, in quo ex rupibus acutis; vnica illa arbor eruperat, quendam ex commilitonibus penulam ſuam ſubſtrauiſſe?* Cum dixiſſet Cæſar: *Quid ni meminerim? & quidem ſiti cõfectus, quia impeditus ire ad fontem proximum non poteram, repere manibus volebam, niſi commilito homo fortis ac ſtrenuus, aquam mihi in galea ſua attuliſſet. Potes ergo,* inquit, *Imperator agnoſcere illum hominem, aut illam galeam?* Cæſar ait, ſe non poſſe galeam agnoſcere, hominem pulchre poſſe: & adiecit puto ab hoc iratus, quod ſe a cognitione media, ad veterem fabulam adduceret. *Tu vtique ille non es. Merito,* inquit, *Cęſar me non agnoſcis. Nam cum hoc factum eſſet, integer eram. Poſtea ad Mundam in acie mihi oculus effoſſus eſt, & in capite lecta oſſa. Nec galeam illam, ſi videres, agnoſceres; machæra enim Hiſpana diuiſa eſt.* Vetuit illi exhiberi negotium Cęſar: & agellos, in quibus vicinalis via, cauſſa rixæ ac litium fuerat, militi ſuo donauit.

Sic & potuit Stephanus Chriſto obiectare. Te eſurientem & ſitientem, dum miniſterio pauperum deputatus

putatus eram refeci. Te anxium ſalutis humanæ, corpore meo obuelaui: pro te corpus meum lapidibus obruendum obieci. integer eram, lapides me imminuerunt, ſanguine meo illos pro te fuſo purpuraui. Poteſt & quiuis alius *pro iuſtitia agonizans*, ſuas paſſiones iactare. Benignior ille Cæſare aſpiciet, ſuſpiciet, coronabit, vt conſpexit, ſuſcepit, & coronauit Stephanum, gloria & immortalitate Cæleſti. Amen.

IN FESTO S. IOANNIS Euangeliſtæ.

Hic eſt diſcipulus, quem diligebat Ieſus. *Ioan. 21. c.*

CONCIO.

Quid placitum in Ioanne?

Beniamin amātiſſimus Domini. NON nemo veſtrum, Beniaminum fęlicem prędicat, qui ſummopere Ioſepho Patriarchæ dilectus. Moyſes beatum *Deut. 33* putat, dum inquit: *Beniamin amantiſſimus Domini. habitabit confidenter in eo, quaſi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet.* Magis ego fęlicem cenſeo Ioannem, cui datum Diuinitus, vt Deo dilectus diſcipulus vocaretur, & vt in pectore Plaſtis ſui confidenter tanquam in thalamo ſpecioſo deliciaretur, interque humeros Dei qui ſuſtinet orbem, fęlicitatem quietam adhuc in mortali corpore præciperet. Quid in eo placitum fuerit Ieſu Magiſtro? inquiro & profero.

Dextera Doloris et Diuitiarum Filius. Beniaminum Iacobi & Ioſephi delicium, lego vocatum fuiſſe, & eo quod recitaui, & Bennoni, & Benemini nomine. *Gen. 35.* *Beniaminum* appellauit Pater, quaſi filium dexteræ. *Bennoni* moriens Rachel nuncupauit; id eſt filium doloris mei. *Beneminum* indigetat Scriptura. quaſi *Filium diuitiarum*. Namque in cōuiuio agnitionali, cum Ioſeph ſingulis fratribus iuſſiſſet dari binas ſtolas, Beniamino dedit trecentos argenteos, cum quinque ſtolis optimis. antea vero quam ſe agnoſcendum reuelaret, cum cænarent, mirabātur omnes ſumptis partibus quas a Ioſepho acceperant, quod maior pars veniſſet Beniamino, ita vt quinque partibus excederet vniuerſos & ſingulos Fratres, in illa viſceratione.

Typum habet Ioannis Euangeliſtæ, qui etiam nouo Ioſepho Orbis Saluatori, filius *dexteræ*, *doloris*, & *diuitiarum*. *talis etiā Ioannes.* *Dextera* a vocatione efficaci: *Doloris* ab adoptatione mæſtiſſima mærenti Mariæ, cui illum aſſignauit pro ſe Filium: *Diuitiarum* vero a chariſmatibus gratiarū, quibus illū præ alijs vndecim abunde locupletauit. argento ſcilicet doctrinæ, & quinque ſtollis quas paullo poſt producam, atque quinq; partita alimonia ſpiritualis dulcoris.

Diuitauit illum inprimis argēto, meliore *ſuper aurum & lapidem pretioſum multum.* illo de quo Pſalmographus canebat. *Eloquia Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum, purgatum terræ probatum ſeptuplum.* *Filius diuitiarū. quo nemo doctior.* Nam quis ipſo inter Apoſtolos doctior? quis acutior? Nullus eorum tam in altum ſe eleuauit, nemo adeo acutum vidit vt Ioannes, qui in pectore Domini recumbens, ex ipſo fonte luminis haurire meruit arcana abſtruſa. Iactent alij ab ore melleo Saluatoris, *verba vitæ æternæ* guſtaſſe: alij tertio cęlo aſſignent ſecreta viſa quæ oculus non vidit: alij Angelo alicui, vel carboni ignito a quo vel edocti, vel illuſtrati: Ioannes ab his omnibus, magis vero ab ipſo Dominici pectoris the- *Vere Aquila.*

ſauro, tanto magis doctus, quanto magis ſapientiæ & ſcientiæ abyſſo intimus reclinatione. Vel ſolius Apocalypſeos myſteria ſcrutemur, quam alta & ſtupenda, raptus in Cęlum vidit & vulgauit? Ibi vidit ſedentem in throno, voces audiuit, ſenſit tonitrua, lampades conſpexit, & quattuor animalia Deum laudantia & viginti quatuor ſeniores, honorem officiumque deferentes ſedenti in throno. Vidit ſimilem filio hominis veſtitum podere, accinctum zona aurea, albo capillo, facie rutila ſicut Sol, oculis flagrantibus inſtar flammarum, manu ſtellas ſeptenas continentem, ore aut gladium ancipitem inter media ſeptem candelabra aurea vibrantem, ſeptem Eccleſijs varia dona elargientem, ſeptem Spiritus ad magna & mira perficienda mittentem. Vidit agnum occiſum in Leonem demutatum, de hoſtibus, morte & inferno triumphantem, atque librum quem nemo aperire, imo ne aſpicere quidem aliquis poterat, ſoluentem, aperientem, legentem, intelligentem, & adminiſtratoriam orbis poteſtatem exercentem.

Anacephaleoſis lib. Apoc.

Vidit ſuperuenturam Eccleſiæ calamitatem, Nerones, Diocletianos, Maximianos, Leonino & variarum belluarum aſpectu perſecutores Eccleſiæ, locuſtas, Dracones, Meretrices Babylonias, ipſam denique extremam egeriem Sathanæ Antichriſtum, & de his proſtratis triumphos enunciauit.

Vidit ſanctam Ciuitatem Ieruſalem, tanquam ſponſam ornatam viro ſuo Chriſto, in qua neque luctus, neque clamor, neque dolor, neque mors erat, ſed gaudium pax, quies, vitaque ſempiterna. cuius muri ex lapide precioſo, ipſa aurum mundũ, templum eius Deus omnipotens & agnus: claritas Dei illuminat illam, & lucerna eius eſt agnus; in quam nihil coinquinatum aut abominationem faciens intrabit.

Vidit fluuium aquæ viuæ, procedentem de ſede Dei & agni; de quo in Pſalmo dicitur. Fluminis impetus, lætificat ciuitatem Dei.

Vidit lignum vitæ reddens fructũ & folia, ad ſanitatem eorum qui ſeruient Deo, & faciem eius intuebuntur, & nomen eius frontibus inſcriptum gerent. qui non egebunt lumine lucernæ, neque lumine Solis, quoniam Dominus Deus illuminabit illos, & regnabunt in ſecula ſeculorum. Et quis numeraret alia ineffabilia, quæ ibi aſpexit?

Iam vero quę illa ſunt, quã ſublimia? quam olim inaudita, quæ in Euangelio narrat? Deus Verbum? Verbum in principio? Verbũ apud Deum? Ipſe per quem omnia facta? ipſe per quem omnia animata? ipſe a quo omnia illuminata? ab ipſo poteſtas euadendi in filios Dei? Ipſe verbum Caro factum, & habitauit in nobis? Ab ipſius plenitudine nos omnes accepimus, qui plenus gratiæ & veritatis? Altior eſt hæc doctrina, quam illa Moſayca de geneſi orbis. Altior quam illa Euangeliſtarum de tẽporaria genealogia Saluatoris.

Aquila hęc grandis magnarum alarum, ad apicem Cedri ſublimis euolauit, & eius medulam tulit. quã, inquit ipſe, manus noſtræ contrectauerunt de Verbo vitę, quod annunciamus vobis. Vere in altiſſimis Theologię nubibus, poſuit nidũ ſuum, in pręruptis atque inacceſſis ſilicibus, Petrę inacceſſibilis Ieſu. Vnde contemplatus eſt eſcam vitalem animorum, ſapientiam a ſeculis abſconditam in Deo. Vere, quod vidit Ezechiel; *facies iſtius aquilæ, deſuper illorum oculatorum animalium*, quę ſe ad flatum Spiritus ſan-

Vere Aquila.

cti,

cti, ſub ipſum thronum attollebant Nam ad ipſum non modo ſolium, ſed ad pręcordia Ieſu acceſſit, & tantam doctrinam, quantam nullus eorum de corde characteribus inadſpectabilibus inarato, deprompſit.

Ibi Beniamin adoleſcētulus in mentis exceſſu, dum in pectore Domini quieſcit.

Ibi *Scyphum argenteum*, in quo ſolus Saluator Orbis futura proſpiciebat, ſolus accepit, inque ſuum penetral abſcondit. Aſcendit ſuper ipſos Cherubinos & volauit, imo pręuolauit ipſos ſupremos Spiritus, ſcientia & ſapientia ſublimi.

at Aquila primogenia. Plinius tradit, pullum aquilę quē circū pręcordia excluſit atq; alit, pręſtantiorem eſſe & magis prę ceteris amatum. Vnde ſi quem aliū, hunc magis ad orbem Solarem cōtemplandum, altius educit, atque radio contuendo aſſueſacit.

Talis Ioannes aquila, apud Aquilā Chriſtum. Pectori illum ſuo incluſit, pectore ardentiſſimo excluſit, pectori applicauit. Non mirum, ſi, tam in altum ſuperni luminis fontē a Chriſto elatus, vt fuit eleuatus. *Diuitiæ Ioan.* Quinque iam Stolas quibus a Chriſto donatus expando & explico.

1. Stola virginitatis. Primam habeo *Virginitatis*. Nā virgo a Virgine Chriſto electus & vocatus, virgo aduſq; mortem permanſit. Byſſus non eſt tam candida, vt hęc virginitas qua candicauit. Sententia eſt multorum Patrum, Ioannem ſponſum necdum maritū viſu factum, nuptias illas ſolennes in Chana Galilęę paraſſe, Chriſtumq; cum aliquot diſcipulis, ad geniale conuiuium inuitaſſe. Adfuit ille *lilium, cum lilio Maria Matre*. & quia lubens paſcitur inter albentes flores, quā venuſtate illa Virginei aſpectus, quo ambo Diuini, quā mellitio eloquij caſti, quod vterq; virgo ex ore diſtillabant, iuuenem ſponſum, ad nouas feliciores nuptias pelliciunt, rapiunt, trahunt. Felicem te Ioannes, a nobiliore annulo, quo manus Deo ſponſo illigaſti. Sanctiorem ab hoc byſſino Virginitatis, quo te pręcinxiſti. Beatiorem ab hoc thoro pectoris Deificantis, in quo caput reclinaſti.

Veteres pallium iactabant; aptū ſcilicet Philoſophię: non video ſi capeſſendę, tegendę forte, ſi tegendę. ego theriſtrum hoc virginitatis, quod Ioannes ſumpſit, polita iuuenili prætexta, aptum video acquirendæ Diuinioris ſapientiæ, quæ a fonte luminis, pleno ſuſſio in virgines, decurrit. Ab hac enim video illum eſſe dignum, qui ſequeretur agnum, ſoluentem ſeptem ſignacula, voluminis ſignati. & dum adhuc erat in terris obambulans, & quando iam aſcendit victor ſedere a dextris Dei. Suſcitabat aliquam filiam Archiſynagogi Chriſtus? Spectator dignus Ioannes. Aſſumebat inſolitos fulgores in monte Thabor? Dignus qui videret Ioannes. Diſtribuit & multiplicat panes? cęnat? ſudat ſanguinem? orat prolixius, comprehenditur, vincitur, in Cruce confixus ſeptena verba cygnea eloquitur, moritur ad extremum, reſerat inſuper a morte rediuiuus ſepulchrum? Vbiq; locorum Agnum ſequitur Ioannes. Quæris cauſam? Sine macula enim fuit ante thronum eius, Virgo virgini dilectus. Nam ſi ille qui diligit munditiam cordis eſt, amicus Regis; an non amicus Dei, qui diligit puritatem etiam carnis?

Superiecit huic Stolæ virginitatis alteram innocentiæ veſtem. *Sine ruga ſine macula* ſine nube peccati. *2. Stola innocentię.* Multæ ſunt, quæ virginitatem carnis, vel profitentur vel inuitæ habent. at quam raræ, quæ etiam virgines mente? quam paucule, quæ non alia ſpurcitia illutatę? Ioannes

illimis & innocens. *Si*, inquit, *dixerimus, quoniam ſocietatem habemus cum eo, & in tenebris ambulamus, mentimur & veritatem non facimus. Si autem in luce ambulamus, ſicut & ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus ad inuicem, & ſanguis Ieſu Chriſti filij eius, emundat nos ab omni peccato.* Lucem appellat iuſtitiam & innocentiam, tenebras autē flagitia. Habuit ille Societatem cum Ieſu Saluatore, cui inter cæteros dilectus: detenebratus itaque fuit ab omni ſorde peccati, quę obſcurat.

3
Stola modeſtię & humilitatis.

Virginitatem & innocentiam operuit, redimiculo modeſtiæ & humilitatis. quam tertiam ſtolam aſſeuero. Pape. quam excelſus? quam humilis? *Si*, inquit, *dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt.* In Chriſti pectore accubat, amantiſſimus Domini nuncupatur, indiuiduus eſt comes Chriſti: & peccatorem ſedicit? Vbi nunc vermes ſtercus inerrātes, qui in mirabilibus & magnis? quorum manus & pedes, inſuper & vultus nigriores, quam Aethiopum, & tamen ſancti videri & haberi volunt?

4. & 5.
Zelus honoris Diuini. atque charitas ardentiſſima

Indutum deinde video Ioannem, *Zelo honoris Diuini* promouendi. ſed non inerti, neque ad ſpeciem incenſo, ſed illo ardentiſſimo, vt ardentiſſima erat purpura charitatis qua amictus, velut extremo paludamento. Omitto dicere, quomodo ardens cum Petro in Euangelio Hieroſolymis propagando. quæ ipſius propria ſunt attingo

Nactus ſortitione Aſiæ Prouincias, quos ibi labores non ſuſtulit, pro cultu Deorum abrogando, & veri Dej religione introducenda? Quæ paſſus non eſt, pro amore Ieſu crucifixi, cuius Crucem ad gentes illas, ſapientia terreſtri turgentes, inducebat? Pauca ex innumeris commemorabo. Epheſij fidem ab illo prædicatam recepturi, vt eam ſignis approbaret petierunt. Qui Chriſti nomine inuocato, vetuſtum Dianæ templum ruere fecit, vt in qua illi plus confidebant, minus pro ipſis valere intelligerent, quando quidem ſemetipſam Dea defendere nequibat. Magna ſane audacia Ioannis.

Scitis quam maxima ſeditio fuerit exorta contra Paulum, a Demetrio argentario, qui ædes argenteas eidē idolo Dianæ parabat. eò quod ſibi victum ab artificio, ſacerdotibus vero a cultu eiuſdem præreptū iri videbat. Nam vbi ille inclamaſſet: *Magnę Dianæ templum in nihilum reputabitur, & deſtrui incipiet maieſtas eius, quam tota Aſia & orbis colit: ſtatim omnes repleti ſunt ira & exclamauerunt dicentes. Magna Diana Epheſiorum.* Tūc parū aberat quin Paulus diſcerperetur, niſi Alexander tumultum ſedaſſet. Ioannes vero auſus eſt, & ipſum templum ſubruere, & cultum omnem eliminare, inſuper & idolum comminuere. Quam audax facinus tentauit? quantum ad mortem ſuccenſus fuit? Accipe aliud zeli ardentiſſimi ſpecimen inſigne. *Act. 19.*

Ariſtodemus templi Antiſtes, ſiue adhuc incredulus, ſiue ira concitatus in vindictam, aliud genus experimenti proponit Apoſtolo. Venenum propinat, quo dudum capitis rei necabantur. Hortatur Apoſtolum, bibat, ebibat. Id acceptum Ioannes hauſit prompte. Impletum eſt illud, quod Dominus noſter de credentibus prædixerat. & ſi mortiferum quid biberint, non eos nocebit. Ipſos inſuper qui necati fuerant, ad vitam reuocauit. Tunc demum Ariſtodemus, & qui ſpectaculo aderat Conſul, & reliquum vulgus, derelicta idolorum ſuperſtitione, ad ſalutis lauacrum confugerunt. Et Apo-

Miracula a Ioanne patrata.

ſtoli

Digitized by Google

ſtoli iuſſu per omnem Aſiam euerſis Deorum ſimulachris, Crucis vexillum erexerunt. cum iam compertum haberent, Verbum Crucis pereuntibus quidem ſtultitiam, his autem qui ſalui fiũt Dei virtutem eſſe.

Fidei aſſeuerandæ & approbãdæ cauſa, alia inſuper miranda facinora patrare auſus eſt. inter quæ eſt illud celebre Druſianæ. Efferebatur illa mortua ad ſepulchrum, comimitante ſunus innumera egenorum turba. Porro Ioanni obuio, veſtes ab ea acceptas oſtentantes, & illa incolumi ſe nunquam famem timuiſſe prædicantes obtinuerunt, vt quam ipſi tunc efferebant, ille protinus ſuſcitaret. Mulier igitur ad vocẽ Apoſtoli a morte, veluti a ſomno exurgens. illum hoſpitio excepit, ſolitaque ſubſidia pauperculis miſit. nunquam pietatis deſerens officium, ob quam & ad hanc vitam redire licuit, & proficiſci ad æternam.

Exceſſus Ioannis. Cum autem fidem Ieſu Chriſti, his & alijs factis, inſuper & paſſionibus, veneno quod bibit, oleo feruenti quo eliquabatur, & deportatione in Inſulam Pathmos, probaſſet, Eccleſiamque ardentiſſimo illo igne charitatis quæ illi ſẽper in ore, velut igneo muro ædificaſſet, cinxiſſet, & ſtabiliuiſſet, iam ferme centenarius, cum ſupremus vitæ dies vrgeret, ſepulturam ſibi parari iuſſit: quam dum palam intrat, ingenti lumine Diuinitus operitur. Lux receſſit, ſed ipſe non comparuit. Locus in quo ſe animum redditurus collocauerat, manna ſcaturite cæpit. Illum itaque cum corpore ad cęlum aſſumptũ multi credũt: tũ quia nuſquam terrarum reliquiæ eius oſtenduntur: tũ quia ẽt aſſumi meruit & dignus fuit. Nam quemadmodum Beata Virgo carne & ſpiritu Sanctificata, poſt filium quem genuit ſupra cœlum aſcendit: ſic non indecens fuit, vt etiam iſte adoptiuus filius, carne & ſpiritu ſanctificatus, ſanctam ſequeretur matrem. & integer eo perueniret, quo ipſa cui cõmendatus fuerat, integra eſt aſſumpta

Tulit Deus cum corpore Enoch & tulit Eliam: ſed vt differret eorum mortem non auferret. potuit Ioannem aſſumere mortuum, ne amplius mori poſſet. vt ſit prius reſurgens quam ſepultus; prius cælum, penetrans, quam putaretur mortuus.

Diuinum hunc virum Dei dilectum, par eſt vt ſuſpiciamus, colamus, & imitemur. ſi cupimus eiuſdem felicitatis eſſe comparticipes in ſecula, Amen.

IN FESTO SANCTORUM Innocentum.

Occidit omnes pueros &c.
Matth. 2. c.

CONCIO.

Cur prematuros infantes occidi paſſus eſt.

Crudelitates Abimelechi & Iehu. Deteſtanda eſt in hiſtoria Iudicum crudelitas Abimelechi qui vt ſolus rerum Iſraelis potens eſſet, ſeptuaginta filios Patris ſui Gedeon, ſuper vno lapide trucidauit. Neque minus abominanda Iehu Regis Iuda ſæuitia, qui ad optimates Regni ſecundo reſcripſit dicens. *Si mei eſtis, & obeditis mihi tollite capita filiorum Domini veſtri, & venite ad me hac eadem hora omnes, cras in Iezrahel.* Illi moram gerentes, *tulerunt filios regis Achab, & occiderunt ſeptuaginta viros & poſuerunt capita in cophinis, & miſerunt ad eum in Iezrahel.* *4. Reg. 10.* Sed tamen magis

gis

gis execranda eſt Herodis ſæuitia, qua vt Ieſum Orbis vniuerſi Monarcham, recens ex Maria in carne natum, e vita tolleret, in infantes innocuos, a bimatu & infra natos, in omnibus finibus Bethleemicis, bacchatus eſt. Cur præmaturos occidi paſſus eſt, ille qui venit vt omnes vitam habeant; inquiremus & aperiemus.

1. cauſæ vt figuræ & prophetiæ implerentur.

Typis atque Vaticinijs implendis, primum, paſſus eſt occidi immaturos ſuos: Typum Saluatoris noſtri ſi quis alius geſſit, geſſit Moyſes Propheta, Dux & Sacerdos, Vita & factis pręſignis. Superfluum eſſet per omnia componere ectypum ad verum & viuum Archetypum: ſcilicet ad figuram Diuinæ bonitatis quę in Chriſto fulgebat, referre Moyſen in omnibus. Tantum incunabula ipſa euoluo, & hęc incunabula Saluatoris præſignaſſe narro.

quarum prima in typo Moyſi ſirmati, in occiſione innocentũ.

Forte Pharao inaudierat a rumore publico, gentem ſeruituti Aegyptiacę addictam & aſſuetam, ad pileum iri vocandam. Namque quadrigentos annos, qui Abrahamo numerati a Deo, explebant peregrinationis & ſeruitutis duræ, pariter atque impurę. Cogitabat id ſine Duce aliquo illuſtri, fieri non poſſe quo animos adderet, & ipſe pręſumeret ad tãtos auſus. Quamobrem cum laboribus opprimere nequiret, gentem ſeruituti & labori Aegyptiaco natam, nouum extirpandæ ſobolis commentum inuenit. Maſculam vt prolem, ab vtero erumpentem, ſtatim a fætura extinguerent nutrices. O quantum illic ſanguinis innoxij effuſum, extinguẽdo illo qui Dux futurus libertatis? Sed Diuina prouidẽtia, Moyſes, vt omnem Iſraelis progeniem ſeruaret infans ſeruatus eſt: quem parentes crudeliſſimo Pharaonis edicto ſubacti, alueo incluſum, in profluentem abiecere.

Typum geſſit Saluatoris. iam Herodes perſuaſus fuerat, adueniſſe tempus, inſtaurandæ vniuerſitatis, quę a Chriſto creata, recreari expectabat. Iam hebdomades Danielis impletas; iam ſceptra Iacobæa ad proſelytos translata; iam & peccatum ipſum ad menſuram vſque patrum completum, ab ipſis Rabbinis vel nolentibus fateri, confitentibus tamen intelligebat. Proinde in ianuis eſſe, promiſſum Meſſyam, qui de monte ſine manibus exciſus, Nouum Imperium, excelſum, ſuper omnes montes eleuatum conderet atque eleuaret. Metuebat deinde ſuis ſceptris quę præcario vſurpabat, ne quis Hebræorum gentilis ex manibus corriperet, & genti iam Romanis adſtrictæ reſtitueret. Stimulos addebant nuper viſa lumina in media nocte; auditę voces Angelorum in ſublimi canentium; viſi Paſtores, Pontifices, Prophetæ, Reges ab ignoto orbe, qui iam iam natum accurſu, voce, linguarum fauentia, Muneribus inſuper quę nec Magno Alexandro ſemper ad manum, quendam puppum in ſtabulo Bethleemico, inter belluas ſordidas repoſitum attollebant. Acriores tamen illi erant ignes a Sanhedrino concilio, a quo edicta quaſi Oracula Diuina ſuſcipiebantur. Quorum Doctores, circumſtantias a Vatibus expreſſas, rebus quę tunc vulgabantur, ſcilicet tempus tempori, ſigna ſignis, locum loco componentes, vel inuiti pronunciabant, *A Bethleemi* ſtabulo *naſciturum* Aſſertorem libertatis. Et dubio procul forte hunc ipſum eſſe, quem diariæ notę, iam vulgatę, prodebant aperte. Mox ille Sceptra ſua intacta, Gentemque Hebream ſubiugalem perennem eſſe admittens. vt ectypum Archetypo reſponderet, edicto ſanguino-

guinolento ſanxit, perditum iri omnes maſculi ſexus, natos a bimatu & infra, iuxta calculum apparitionis ſtellę nouæ, quę prędux Magis ab oriente. Prophetia præceſſerat, dicta olim ab Hieremia in Rachelem *Plorantem filios, & nolentem conſolari, quia non ſunt*: cuius fidem vrgebat malitia ſæuiſſima & ſęuities maligniſſima trucis Herodis. Oportebat itaque vt alios typos atque alia pręloquia de Saluatore, ſic & hūc & iſta impleri. Si in alijs rebus,

lib. de prouid. c. 5. quod Seneca docuit, *olim conſtitutum eſt, quid gaudeas, quid fleas: & quamuis Magna videatur varietate ſingulorum diſtingui, ſumma in vnum venit, ad quod quiduis paratum*: multo magis in Oeconomia ſalutis noſtrę, quę quia eſt ſupra naturam, voluit Deus huic pręformandę, & fidej conciliandę; præfinitionis ſuę admirandę, velut elementa pręmonſtrare, figuras nempe & prophetias, a quorū viſu aſſurgeremus ad notitiam, adeoque aſſenſum eorum quæ inuiſa, ſed ex auditu fidej concepta. Proinde impium & execrabile ſit opinari, quę in Chriſto recens nato euenerunt, caſu & non Diuinitus cōtigiſſe. Enimuero licet ipſe Deus eſſet, atque idem rex regum, omniūque rerum conditor cęterum humanitate amictus, tam ſalutare myſterium interpolari potuiſſet, niſi tres illi Reges, qui peregre cum muneribus ad eum venerant per quietem moniti eſſent, ne ad Herodem reuerterētur, qui capitaliter puero imminebat; & niſi innumeræ cohortes infantium ineptæ vitæ, aptę Paſſioni, capita ſua pro illius innocuo oppoſuiſſent. ſcilicet typo & pręloquio ad eum ſeruandum impendo.

2. cauſa. Vt Diuinus partus celaretur. Altera cauſa eſt, propter quam permiſit infantes trucidari, vt ſcilicet Partus Diuinus celaretur ab eius oculis, qui tirannidem perpetuam cogitabat. Iam ſatis indiciorū aſperſerant, quę ipſo indice prodebant, naſciturum prope qui *ſceptrum exactoris & virgam humeri* confringeret, *vt in die Madian*. Sterilis Elizabeth cōceperat; infans in vtero exultabat; Mutus loquebatur; Maria nō a Ioſepho impleta; *Nox ſicut dies illuminata* fuerat. Paſtores accurrebāt, Reges ab extremo orbe feſtinātes adorabāt, voce, geſtu, & donarijs Regem aliquem recens natum fatebantur; Simeon ab hac vita exiliēs prophetabat, Stellæ vulgabant, animantia bruta genua flectebāt, vtriuſque ſexus. Vates mira miranda de infantulo pronunciabant: quę vel inſenſo lapidi perſuaderent, iam ad eſſe tempus & virum, in quo mirabilia innouarentur. Ideo neceſſum erat nouum Moyſen Ieſum, veteri inuentione qua Moyſes antiquus a Pharaone, a veteratore occultari. Scilicet innocuorum cæde & ſanguine. Quos ſi, vt potuit, miraculo ſeruaſſet, oculos magis exacuiſſet eius cuius *oculi vt palpebræ diluculi*, ad peruidendum Vnicum natum; quis & quo fine natus. Necari itaque infantes permiſit, ea de cauſa, qua ſe in latebras Aegyptias abdidit; Ne ſi vnus ille inuidia diaboli perijſſet, & ipſa puerorum, & tam innumera animarum in toto orbe per tot ſecula numerata millia perijſſent. *Vere tu es abſconditus*, o Ieſu paruule, *Deus* Magnus. ſi alias, tamen non magis quam dum es abſconditus. Fugientem te in Aegyptum tanquam perfugam aliquem video? Sed video etiam de idolatria in Aegypto triumphantem. Permittentem occidi innocentes aſpicio? Sed & ad Cælos pręmittentem agnoſco.

3. cauſa vt felicitatis fa- Tertiam cauſſam mutuor a D. Bernardo. Coæuos, *inquit*, pueros, puer ille qui natus eſt nobis, nō contra

tra

ceret me- toris par- ticipes, ſine diu- turno la- bore. tra nos, propter ſe paſſus eſt occidi, quod vtriq; ſolo nutu poterat prolti bere; niſi aliquid melius eis prouideret; vt quemadmodum cæteris infantibus, nunc quidem circumciſio, nunc vero baptiſmus, ſine vllo propriæ voluntatis vſu ſufficit ad ſalutem; ſic nihilominus pro eo ſuſceptum martyrium illis ſufficeret ad ſanctitatem. Si quęris eorum apud Deum merita, vt coronarentur; quęre & apud Herodem crimina vt trucidarentur. An forte minor Chriſti pietas, quam Herodis impietas; vt iſte quidem potuerit innoxios neci dare, Chriſtus non potuerit propter ſe occiſos coronare?

Baptiſmus tri- plex. Diduco & expendo. Trino epyſtomio, *aiunt Theologi*, manare ſalutem a ſalutis fonte. Fluminis, flaminis, & ſanguinis. Flumine abluuntur, illi qui ad fontem baptiſmatis, a ſpiritualibus nutritijs adferuntur. Secundum quod Saluator promiſit. *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit.* Flamine ſeu aura cæleſti depurantur illi, qui ardentiſſimo deſiderio ſalutis incenſi, antequam aquis perluantur vitam fatis donant, in terra inaquoſa demortui. Narrat Nicephorus, *lib. 3. c. 37.* quendam Hebræum cum Chriſtianis peregre euntem, in ſolitudine, æſtu & viarum difficultate fractum, mortique vicinum Baptiſma poſtulaſſe. contigit factum ſub annum Domini centeſſimum octuageſimum primum. Illi quod aquam ad manus non haberent, arena perfuſum ſignarunt, in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, baptizantes. Miraculum ſubſecutum eſt. Namque a tali inſperſione, Hæbræus melius habuit, cæteriſque comitibus valentior euaſit. Proculdubio tunc ſalutem æternam adepturus, ſi antequam aquam contingerent, vita defunctus fuiſſet. Igne ſeu Sanguine inalbātur, illi qui fide interna Chriſto deuincti intempeſtiue a tyrāno rapiuntur, & quem ore confitentur, ſanguine fuſo teſtantur. Hi *lauantes ſtolas ſuas in ſanguine Agni*, atque in ſuo proprio, quem ſanguini agni commiſcent cruentantes, ad nuptias Agni, ſine diuturno labore, tranſeunt momento. Tales hi infantes, qui ab Herode occiſi. Sit Stephanus, (*proſequor ſuperiora Bernardi*) martyr apud homines, cuius voluntaria paſſio euidenter apparuit in eo vel maxime, quod in ipſo mortis articulo, tam pro perſequentibus, quam pro ſeipſo ſolicitudinem gereret ampliorem, vinceretque in eo ſenſum corporeę paſſionis, internæ compaſſionis affectus, vt illorum magis ſcelera, quam ſua vulnera plangeret. Sit Ioannes apud Angelos martyr, quibus tanquam ſpiritualibus creaturis ſpiritualia deuotionis eius ſigna certius innotuerunt. Cæterum hi ſunt plane martyres tui Deus, vt in quibus nec homo nec Angelus meritum inuenit, ſingularis tuę prerogatiua gratiæ euidentius commendetur. Ex ore infantium & lactentium Deus perfeciſti laudem. Gloria in excelſis Deo Angeli dicunt, & in terra pax hominibus olim bonæ voluntatis quibus dicet: ſinite paruulos venire ad me, & nunc ſine vſu voluntatis, in Sacramento pietatis. Namque Saluator, humanæ ſalutis occaſiones tam copioſa charitate perquirit, vt in alijs voluntatem & opus, in alijs ſine opere voluntatē, in his autē ſine voluntate opus ſalutis inuenire lætetur, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui nominis venire. Beati tales infantes, quibus contingit vno tempore experiri natiuitatem & mortem, ingreſſum & exitum, principium & occaſum, ingredi mundum

dum & dedicare martyrio cælum; eſſe fortes ſine certamine, ſine pugna victores.

4. cauſa vt præripere t futuræ impietati paternæ & malis Genturis.

Quartam cauſſam aſſigno, præmaturi raptus, ne malitiæ paternæ futuri hæredes. Beatas cenſere debebat Chriſtus ſteriles, quæ non pepererunt, & lactentes quę à pectore auulſos amiſerunt, ne ſcilicet paterno ſcelere impiati, meritas cũ patribus pænas dependerẽt. Quamobrẽ iſtos rapere placuit, ne malitia mutaret corda eorum. neue ſortem haberent inter Deicidas, qui vociferabantur: ſanguis eius, ſuper nos & ſuper filios noſtros. Beatas tales animas, quæ pręmaturo fato de vita vel decedunt, vel rapiuntur. Nulli certius atque adeo citius felicitas cæleſtis aſſignatur, quam corde & corpore innocuis puſionibus. Roſæ quę inter ſpinas relinquuntur, flaceſcunt. Quæ adhuc in vagina decerptæ, necdum euolutæ rapiuntur, in menſes pulchellę ſeruantur. Sic animæ, quę diutius Solem hunc aſpiciunt, ſępe marceſunt: quę in ętatula corripiuntur, floridę perennãt. Itaque Diuis illis martyribus, qui ſanguine perfuſo terram purpurarunt & cęlum ſibi aperuerunt, idem ſtudiũ de ſeipſis, & de filiolis quos enixi. vt quibus vitam dediſſent, & coronæ auctores eſſent; ijs ſecum ad flãmas vel Cruces correptis.

Beati, qui infantes, miſerunt ad cælũ.
Conon.

Conon laudatus, qui filiolum paruulum apud Iſauriam, coram Aureliano Imperatore necandum vna ſecum pariter ſtatuit. Vterque iubente Domitiano præfecto primum in craticula extenti, oleoque perũcti, deinde ad ſartaginem tranſlati torrebantur. Poſtremo cum magis torqueretur tyrannus, quod tam diris mortiferiſque ſupplic js, neque cederent, neque conſumi poſſent, conſtructa copioſiore pyra ſuperinijci ambos iubet. Vidit parens filiolum contra dolorem ſtrenue decertantem, & vehementer gaudio exultauit, quod ipſum quem genuerat, pro Chriſto cruciatum atque ſecum expirantem, cælo inferret.

Iulita.

Non minus laudata Iulita, quę cum paruulo filio Quirico apud Tharſum Cilicię oppidum paſſa. Ipſa quidem primum Alexandri Imperatoris iuſſu dure flagellata: Quiricus vero adhuc trimus puer, ſpectante matre præcipitio in terram eliſus. Felix mater, quæ prius Angelis ſociatum puellum aſpexit, quam a lenocinio mundi corruptum.

Edeſſena.
Theodoret. lib. 4. c. 16.

Iam quo encomio digna illa, Edeſſena mater quæ ſub Valente Imperatore? Proſcripto eius ciuitatis Epiſcopo, Eccleſias Catholicis eripuerat, Arrianiſque aſſignauerat: tum demum coitiones atque cętus deuotionis cauſa, ne facerent Orthodoxi, capite interdixerat impius Valens. Intrepidi Catholici, extra vrbem procedebant, Sacris precibus emittendis. Reſciuit hoc Imperator, & quaſi præfecto conuiuente conueniret, colaphum ei impegit. iuſſit deinde, *vt armatis centurijs, quotquot eius religionis inueniret coadunatos, diſpergeret atque trucidaret.* Properantem ad lanienam pręfectum, vidit quædam mater. Tum infante arrepto, mediam ſe inter milites immiſcens, magis quam ille ad fundendum; hæc cum paruulo ad exhibendum ſanguinem, cito paſſu celerabat. Interrogat Pręfectus: *Quo nam rueret praceps?* Conſtanter illa reſpondit. *In ſuburbana, vt vitam cum alijs profundam. Eccur, infantem raptaret?* inquit. *Vt purioris vitæ ei auctor exiſtam, vnaque mecum quem ad vitam vtero tuli, in vluis ad cęlum feram.*

Beatum infantem, ter felices infantes, qui de faſcijs ad lumen in acceſſum, a ſinu materno ad gremiũ

Digitized by Google

Diuinum tranſmittunt. Facite & vos tales. Namque poteſtis. ſi ſuperſtites, innocentiam ſeruare intaminatam docueritis. Polliceor quot partus Sanctos ad cęlum pręmittetis, tot ſtellis illud augebitis atque adornabitis, ſcintillaturis in ſecula. Amen.

IN FESTO S. RAYMVNDI Confeſſoris Ordinis Prædicatorum.

Vos eſtis SAL terræ. *Matth. 7. c.*

CONCIO.

S. Raymundi perfectio.

Aqua Hierichana ſanatæ.

QVIDAM Prophetarum, vt aquas Hierichanas corrigeret, Salem inſperſit. Steriles, & mortiferas, tum bibentes, tum arua rigantes, fuiſſe com probauerant. Quamobrem ſupplicarant Eliſeo. *Ecce habitatio Ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis, ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis. At ille ait: Afferte mihi vas nouum, et mittite in illud Sal. Quod cum attuliſſent, egreſſus ad fontem aquarum, miſit in illũ Sal, & ait. Hæc dicit Dominus: Sanaui aquas has, & nõ erit vltra in eis mors neque ſterilitas. Sanatæ ergo ſunt aquæ vſque in diem hanc iuxta verbum Eliſei quod locutus eſt.* *4. Reg. 2. c.*

Aquæ in ſacris Scripturis, populos ſignificant. Hi ſuapte inclinatione, ſteriles bonorum operum, & fætulenti. Nam adhuc a principio, vidit Deus, videbit & quouſque genus humanũ, quia omnis caro corruperat & corrumpit vitam ſuam. Quamobrem vt olim, ſic & poſt, nõ deſtitit mittere vaſa noua Sapientię cæleſtis Sale repleta, his depurandis atq; emendandis. Sal fuerunt Prophetæ veteres; Sal Apoſtoli, Sal Doctores inter quos D. Raymundus, ætate poſterior; ſed dignitate, ſanctimonia, atque acrimonia veritatis non inferior. Vere *Sal terræ*, quod ex rebus ab eo geſtis demonſtro.

Salis pactum in veteri lege. quid.

Semper Deo corruptela hominũ inuiſa: ideoque & medicationi ipſius, ſemper obiecta. Cæterum vt putridas carnes, atq; iam vermibus ſcatentes nihil magis depurat & cõſeruat, quam Sal: ita & animas humanas, ſcelerum tabo fætentes, non aliud quam Sapientiæ Diuinæ Sal.

In veteri lege, quia nulla victima, nullum ſacrificium Deo erat gratum, quod non Sale aſperſum: ſignificabat, nullam animam Deo placere, quæ non hac ſalutari vredine condita verbi Diuini vrentis. Sed pręſtat vocabula Verbi Dei ex ſacra Scriptura, vulgare.

Inuenio apud ſacros nomenclatores, vocari Verbum Dei, vinum, ſinapi, ſcintillas, ignem, ſtimulos, ſagittas, malleum, gladium. 1. Vinum intelligo illud quod Samaritanus ſauciato affudit in deſerto. quod ſi acore abſtergit, inter laudata habetur; ſin aqua dilutum polluit tantum, inter reproba cenſetur. Ita omnis doctor, *inquit D. Gregorius*, ſi auſteritatem Scripturarum per quam poteſt audientes corripere, vertit ad gratiam. & ita loquitur, vt non corrigat, ſed vt delectet audientes, vinũ ſanctorum Scripturarum violat, atque ſuo corripiens ſenſu incidit in illud quod dictum eſt. Vinum tuum mixtum eſt aqua. 2. Sinapis grano ipſe Saluator ſimile eſſe pronunciauit. cuius natura eſt acris, concitans & educens noxios humores, vt & verbi Diuini acredo perſtringens & corrigens mores. 3. Scintillas vocari ex eodem Gregorio habeo, qui ait: Vita prædicatorum, & ſonat & ardet.

1. Vinũ Dei verbum.

2. Sinapis.

3. Scintillæ.

ardet. Ardet deſiderio, ſonat verbo. Aes ergo candens, eſt prædicatio accenſa; ſed de candenti ære ſcintillæ procedunt; quia de eorum exhortationibus verba flammantia, ad aures audientium procedunt. Recte ergo prædicatorum verba ſcintillæ appellatæ ſunt, quia eos quos in corde tetigerint incendunt. 4. Ignem Pſaltes nominat Dei verbum, quando ait. *Ignitum eloquium tuum vehementer*. Explicat D. Ambroſius. Ignis, *inquit*, eſt verbum Dei quem miſit, qui ſecretos mentium Diuinę cognitionis ardore inflammaret affectus, qui vaporem fidei & deuotionis adoleret, qui cupiditatem virtutis accenderet. Bonus ignis, qui calefacere nouit: neſcit exurere, niſi ſola peccata. Hoc igne, ſuper bonū fundamentum poſitum Apoſtolicū illud aurum probatur: hoc igne illud morum vel operum examinatur argentum: hoc igne illi lapides pretioſi illuminantur, fęnum autem & ſtipula conſumuntur erroris. Hoc igne vrebatur rubus, & non exurebatur. Vrit enim ſermo Diuinus, vt corrigat conſcientiam peccatoris: non exurit vt perdat. Hic ignis habitare per fidem Chriſtum in cordibus facit. Hic ignis materialium extinguere flammarum ſęua conſueuit incendia. Hoc igne Hebræi ſuccenſi, fornacis ardentis vaporem nec timere, nec ſentire potuerunt.

4. Ignis.

5. Stimulos vocat Eccleſiaſticus. *Verba*, inquit, *Sapientum quaſi ſtimuli*. ſcilicet quia ſciunt pungere non palpare, nec molli manu attrahere lacrymam, ſed errantibus tardis, pęnitentiæ dolores & vulnera infigere.

5. Stimuli.

6. Sagittas porro Pſalmographus appellat, potentis acutas, inſtructas carbonibus deſolatorijs: a quibus cadunt populi & Reges, ſi illis coniaculati.

6. ſagitta.

7. Porro malleum ipſe Deus nuncupat. *Nunquid*, ait, *non verba mea ſunt quaſi ignis, & quaſi malleus contundens petras?* Sit frons illorum ad quos te mitto ferrea, ſit facies adamante incruſtata, verbum meum malleus eſt cui duritia ſilicis & chalybis cedere debet.

7. malleus.

8. Ad extremum Paulus gladium dicit. *8. gladius.*

Viuus, inquit, *eſt ſermo Dei & efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti, per*[illegible]*ens vſque ad diuiſionem animæ ac Spiritus, compagum quoque ac medullarum, & diſcretor cogitationum & diſcretionum cordis.*

Hæ omnes nomenclaturæ verbi Diuini, conueniunt cum vocabulo Salis. Namque & Sal quia vrit, abſtergit, ſolidat, & conſeruat, recte verbum Domini ſignificat quod in anima tales effectus facit. *9. Sal.*

Maleferiati illi Sacerdotes apud Hieremiam, qui dicebant locutus eſt Dominus: *Pax erit vobis, & omni qui ambulat in prauitate cordis ſui dixerunt. Non veniet ſuper vos malum, cum Deus edicat, quia turbo Domini egredietur, & tempeſtas erumpens ſuper caput impiorum.* Male ſanantes, & illi apud Ezechielem in quos Deus: *Væ qui conſuitis puluillos ſuper omni cubito, qui linitis parietem ſine luto.* Sed & illi quos digito per Iſaiam monſtrat. *Populę meus qui te beatum dicunt, ipſi te decipiunt, & ſemitas pedum tuorum diſſipant.* Malę mentis & illi quos Paulus tangit, quos quidam doctrinam ſanam non ſuſtinentes, ad ſua deſideria cōuerſi coaceruabunt magiſtros prurientes auribus. Peſtilentes & illi quos Deus increpat, per Prophetam. *Propinabatis Nazaræis vinum, & Prophetis mandabatis dicentes. ne Prophetetis.* Quanti in orbe tales qui & interdicunt, ne veritatem dicant, quibus intereſt; & hi quorum intereſt, titillant aures? Nolo chordas non mouendas mouere.

Hierem. 23. *Ezec. 13* *Iſai. 1.* *2. Timot. 4.* *Amos 2.* *S. Raymundi virtutes.*

Digitized by Google

nere. Non talis Raymundus.

Vere Sal Orbis Occidui ſuo tempore doctrina,& exemplo omnium virtutum. Acrimonię verbi Dei, quo corruptos condiebat, illud eſt inſigne documentum.

Balearis inſulæ maioris Regulus, audita viri Dei ſanctimonia inſigni, petierat,vt ad illum traijceret, verbiſque Diuini pabulo au...m reficeret. Iuſſu maiorum lu..s acceſſit, Regem ſalutauit. Paullo poſtquam inſulam penetraſſet,ab incolis didicit Regē, libidinibus inconceſſis ſe ſe polluere. Pellacam .n.iuſtæ vxori adiecerat,& cum ea conſuebat. Ibi Raymundus nouale excolendum nactus, non defuit officio,cui deſtinatus. Publice pro Concione inter priuos parietes pro Confeſſionibus, execrandos amores obijciebat impuro. Alter palpaſſet, gratiamque Regiam conniuentia aucupaſſet.ille velut Ioānes aliqs zelo inflāmatus.

Non licet,inquit,tibi o Rex, thorum ſanctum inceſtare. Deſine ab hoc inſano cępto. aut ego hinc abeo, teque in tuo cęno ſordidum relinquo. Reditum molientem Raymundum, noluit Rex dimittere. quinimo edixit, ne vllus nauta abeuntem nauigio exciperet. Ille Diuinę virtuti confiſus, cum ad mare proceſſiſſet, pallio ſuper aquas expanſo,reductaq; eius ora inſtar veli ad baculum. quo tanquam malo vteretur, velut ſolidis tabulis vectus cētum ſexaginta milliaria ſex horis confecit, cunctis circum littora ſtupentibus.

Barchinonam deinde appellens, cum humilitate,abſtinentia, orandi ſtudio,concionum feruore, charitatis erga Deum & proximum ardentiſſimo affectu, cæteriſq; virtutibus plane ſe Angelum feciſſet, Saleque quo ipſe ſalitus fuerat Sapientię,cōdijſſet ſuo tempore Orbem, Sacramentis omnibus rite nutritus,prope centenarius tranſiit ad Patriam felicitatis æternæ, in qua perennat. Amen.

IN FESTO S. AGNETIS Virginis & Martyris.

Diſcede a me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis. quia iam ab alio amatore præuenta ſum. *Agnes apud Ambroſium.*

CONCIO.

Peccati incentiua obruenda.

Muris Pontici natura.

MVris Pontici ea natura eſt,vt prius in ignes inſiliat, quam candorem illum candidum quo albet, cæno vel aliqua ſorde contaminare velit. Forte ab illo didicit Agnes candida & immaculata, igne potius exuri, quam niuem a Deo conceſſam aliqua ratione polluere.

Adfuit iuuenis forma & opibus p̄ſtans,cui ſi ſeſe accommodaſſet,non minimam partem fortunæ poſſet reputare. Orat, interpellat,quin & Ignes Prætorios minatur,illa immota. *Diſcede*, inquit, *a me fomes peccati, nutrimentum facinoris. pabulum mortis.* Amores tuos iactas? Iam ego ab alio amatore præuēta. Ignes minaris? Suauem rorem illi mihi ſudabunt. Ita nondum idonea pænæ,matura autem victoriæ,ignis incendio conflagrare maluit potius,quam virginitatem temerare. Digna quam admiremur & ſi propter martyriū: propter magis tamen adoleſcentis depulſum,quem contempſit, neque cum illo ſermones miſcere voluit.ideoque in primo limine Sathanam confecit. Ab eius exemplo doce-

ce-

cebo, Peccati incentorem in ipſo aditu obruendum eſſe.

hierogl. origin. omnis peccati Ibis & Baſiliſcus Pier. lib. 17.

Male cauta Eua, quæ ſerpentem antiquum ad colloquiũ admiſit, ſed magis incauta, dũ dis ſerere cum eo cæpit, neque veteratorē expulit. Cautior Agnes, q̃ ab daytis laſciuientem prohibuit, & in ipſo aditu m deſuadum proſtrauit. Qui de rebus Aegyptiacis ſcripſerunt, referunt, quod *illi perniciem aliquam exilientem ex concepta concupiſcentia, ſignificare volentes, Ibin & Baſiliſcum pingere conſueuerãt.* Siquidem ex Ibidis ouo Baſiliſcum naſci, plerique veterum tradiderunt. Cauſamque inſuper eam Philoſophi afferunt. quod ea auis multiuora ſit, venenatorumque omne genus abliguriat, quorũ virulenta putredine oua ipſa prędita, animal id pernicioſiſſimum efficiunt. Fere ad eundem modum nos excludimus, perniciem animarum noſtrarum. concupiſcentia cum cõceperit parit peccatũ. & hoc mortem. Teſtis Hebræorũ nonnemo malignus, qui ab hoc ouo. Ita enim lego apud Iſaiã.

Iſai. 59. *Manus veſtrę pollutę ſunt ſanguine, & digitti veſtri iniquitate, labia veſtra locuta ſunt mendacium, & lingua veſtra iniquitatem. Non eſt qui inuocet iuſtitiam, ſed confidunt in nihilo, & loquuntur vanitates. Conceperunt dolorem & pepererunt iniquitatem.* Vnde hęc ſuperfętatio, ſi quæris? Indicat. *Oua aſpidum ruperunt, & telas araneæ texuerunt qui comederit de ouis eorum, morietur; & quod confotum eſt, erumpet in regulum.*

hierogl. peccati

Talis ſoboles ne in nobis oriatur, in ipſo quod aiunt ouo enecanda eſt. Nam ſi in regulum erumpit mortiferum, iam non in tua poteſtate eſt, te ab interitu vindicare.

hydra multiceps.

Hydram ſerpentem, aiunt eſſe multiplici capite. vno reſecto, ſuccreſcit aliud. Hanc nulla ratione extinxeris, niſi vel omnibus recitis capitibus, vel in ſemine adhuc latentem compræſſeris. Primum nonniſi Herculeo lacerto facinus audendum; poſterius vel infans inbellis facile effecerit. Peccatum ſignificat, quod cum malo ſemine grauida concupiſcentia, parturierit, hic opus, hic labor. Herculeus, ad ſepticeps Dæmonium extinguendum. Beatum te & fœlicem, ſi ſemina ipſa proculcaueris, neque tuo pectore, in tuam perniciem incaleſeceris.

Sehon typus tentationis oculorum

Inter hoſtes qui Iſraeli obuij, exeũti de Aegypto fuit *Seon Rex Amorrhæorum*, de quo frequens mentio in Hiſtoria Sacra. Hunc niſi primo congreſſu Iſraelitæ adusque internecionem debellaſſent, nunquam terram promiſſam aſpexiſſent. *Sehon tentationem oculorum* ſignificat. Regnat iſte rex in Amorrhęis, ſcilicet. in reo amore turpi, carnali mundano. Hæc tentatio in omnibus fere, Ducatum gerit concupiſcentiæ prauę. An audiſtis illum ſuam infelicitatem huic aſſignantem? Oculus, inquit, meus deprædatus eſt animam meam. Quamobrem, contra hunc hoſtem emiſſarium, inprimis oportet dimicare. atque dum alios ſecum admittit, & ipsũ & quos admittere cupit, confodere. Facilis lucta, quam facile palpebris ipſis confeceris. *Auerte oculos tuos, ne videant vanitatem.* Pange vt Iob panxit fędus cum oculis, *ne cogites de virgine.* Quod ſi forte vidiſti, & imaginem viſam a pupilla, ad præcordia transmiſiſti, in ipſo margine eijce Agaram & Filium. concupiſcentiam & prauę concupiſcentię fętum. Beatus, qui tenebit, & allidet paruulos ſuos ad Petram.

qui ſtatim in palpebra occidendus.

Seneca lib. 1. de ira. c. 7. & 8.

Audi vel Ethnicum, qui te hanc pugnam pugnare, & vincere docet. Quarumdam rerum *inquit*, initia in noſtra poteſtate ſunt, vlteriora nos vi ſua rapiunt, nec egreſſum relinquunt. Vt in præceps datus corpori-

bus,

Digitized by Google

bus,nullum ſui arbitrium eſt,nec reſiſtere morarive deiecta potuerunt, ſed conſilium omne & pęnitentiam irreuocabilis præcipitatio abſcidit, & non licet eo non peruenire, quo non ire licuiſſet:ita animus,ſi ſe proiecit in affectus, non permittitur reprimere impetum.rapiat illum oportet, & ad imum agat ſuum pondus, & vitiorum natura procliuis. Optimum eſt primũ irritamentum protinus ſpernere,ipſisq; repugnare ſeminibus,& dare operam,ne incidamus in affectũ.Nam ſi cęperit ferre tranſuerſos, difficilis ad ſalutem recurſus eſt. Quoniam nihil rationis eſt, vbi ſemel affectus inductus eſt, iuſque illi aliquod voluntate noſtra datum eſt. faciet de cætero quantum volet, non quantum permiſeris. Inprimis, inquam,finibus hoſtis arcendus eſt. Nam cum intrauit, & portis intulit, modum a captiuis non accipit. Neque enim ſepoſitus eſt animus,& extrinſecus ſpeculatur affectus,vt illos non patiatur vltra quam oportet procedere,ſed in affectum ipſe mutatur; ideoque non poteſt vtilem illam vim & ſalutarem,proditam iam infirmatamque reuocare. hæc Gentilis,vt nos pudeamus.

expl. locus Gen. 14. ne quid a Sathana capiamus. Inter laudata opera Abrahami Patriarchæ, cenſetur illud, quia nihil recipere voluit a Rege Sodomæo. *Leuo*, ait, *manum meam ad Dominũ Deum excelſum.quod a filo ſubtegminis, vſque ad corrigiam caligæ nihil accipiam ex his quæ tua ſunt.* Imitandum exemplum nobis,cum Rege ſuperbiæ,qui ſua nobis Saccaria imponere cupit. Felices nos, ſi ne pilum quidem, nedicam filum ex eius textura arripuerimus.Non multi eſſent qui cum Pſalte clamarent.*Funes peccatorum circumplexi ſunt me.* Felix Agnes, quę primo aſpectu detriuit malignum inſidiatorem pudicitiæ. *Diſcede*, inquit,*a me fomes peccati, nutrimentum facinoris,pabulum mortis*. Si enim, quod faciunt ſeſe vulgantes,colloquia miſcuiſſet; concupiuiſſet,ſeque & animam peſſum dediſſet. Mori maluit incendio, quam incẽtiuum peccati admittere, *Amo*, inquit, *Chriſtum,in cuius thalamum introibo, cuius mater virgo eſt, cuius pater fœminam neſcit,quem cum amauero caſta ſum, cum tetigero munda ſum, cũ accepero virgo ſum. Apageſis tu intentor peccati,tu miniſter flagitij, tu ſempiterna mortis prodromus*.

gnetis. virtutes

Quid nos ad hæc? An nos etiam tales? Quin potius an non dicimus? Accede ad me fomes peccati,nutrimentum facinoris, pabulum mortis, quia nondum ab alio amatore præuenta ſum? Verbis quidem non iiſdem,ſed parilibus,ſed familiaritate ſuſpecta, ſed occaſionibus peccatorũ quęſitis. Sed —— ſed ſubticeo.

Probro digna ſempiterno,pręſertim in tenello ſexu. Quin dicitis huic,ſi quis pellax? illud quod eſt in Ioele. *Quid mihi & vobis Tyrus & Sidon, & omnis terminus Paleſtinorum?* *Tyrus* interprętatur tribulans; *Paleſtina* conſperſa cinere. Omnis qui ad peccatum illicit,ad tribulationem, & ad cinereum ſtratum illicit. Noſtis quę damna, quę dedecora maneant tales. Quamobrem ſancta ſuperbia inflati dicite. Quid mihi & tibi, fomentum tribulationis, fermentatio mortis? Si expellitis & in adito conculcatis, vos ſponſas Ieſu dilectas probabitis, quas ad Cęleſte gynecęum transferet,coronaque ſtellata adornabit in ſeculum. Amen. *expl. loc. Ioel 3.*

IN

IN FESTO PVRIFICAtionis B. Virginis.

Vt ſiſterent eum coram Domino. *Lucæ.* 2.*cap.*

CONCIO.

De pulchritudine animę SS. Virginis.

SINE Beniamino, noluit Ioſephus, fratres ſuos ad ſe repedare. Neque Deus orbis librator atque animator, genus humanum ad ſe reuerti, ſine Ieſu puſillo. Die hodierna producit illum Maria, noua Rachel decora. atque præſentat Deo, hoſtiam Sanctam & beneplacentem. Sanctiorem illo non vidit orbis ſuperior & inferior. Nam ipſe Sanctus Sanctorum. Neque magis dilectam vnquam accepit Deus oblationem, quam ſuum vnigenam. Dilectionem ſuam teſtatur, voce de cęlo intonante. Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui. ipſum audite. Sanctiorem poſt eundem Myſtam, Sol nunquam aſpexit vt Mariam. Namque ipſa tota pulchra, decora, immaculata, vna matri ſuæ, electa genitrici ſuę, ante omnes etiam ipſos ſpiritus Cæleſtes, Regi Regum Deo longe dilecta. Huius venuſtatem, die hodierna ſuſpiciemus & adorabimus.

Inter Dei electa, quæ Eſdras recenſet, inquit. *Ex omnibus plaſmatis pecoribus, prouidiſti tibi ouem vnam.* Si de brutis iſtis animantibus intelligeret, non multum eſſet, illi qui proteſtatur apud Pſaltem. Meæ ſunt omnes ferę ſyluarum, iumenta in montibus & boues. Fors, rationales oues aſpexit, præcipue quas, relictis nouenis choris in vaſto cæli excelſo, deſcendit quærere, medicare, paſcere, inque cauſas cæleſtes ſuper humeris ſuis deferre. Non eſt opus numerare, quantas ex vtraque fætatione ad ouile quod condidit adduxerit: in hoc vnicum quod propoſui animaduerto, quę nam illa, inter omnes oues vnica ouicula, Deo Paſtori præ omnib. alijs electa atq; dilecta? Non aliam puto, quam Diuam eius Parentem Mariam, quæ noua Rachel, nouum Saluatorem enixa. *Rachelis* nomen, Diuo Hieronymo ſignificat, *ouem*. Bonum omen. Maria ouis. Maria Rachel, vna vnica, ex omnibus plaſmatis rationalibus ouibus, tam illis nonaginta nouem Cæli aſſeſſoribus, quam his vnius ſtirpis terram pererrantibus, dilecta, amata, exaltata.

Quęris cauſam, cur adeo vehementer dilecta? Aſpice typum. Audi prophetiam. Quia illa rorem aureum ipſum in ſe ſuſcepit, ex ſe mutuata ſanguinem, tanquam puriſſimum vellus.

Typus præceſſit in Gedeonis vello: Prophetia in Dauidis oraculo; quę & Prophetia eſt & typicę imaginis interpretatio. *Deſcẽdet*, inquit, *ſicut pluuia in vellus, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram*. Torquent ſe hic locuſtę Hebraicę, graminibus depaſcendis aſſuetæ, dum detorquent vellus ad herbam demeſſam vel arroſam. Propter verbum Gazaz, quod volunt vt ſignificet tondere, pro demetere. Nobis firma ſententia cum ſeptuaginta interpretibus manet, herbam marceſcentem illis relinquere, & vellus vt ab eis legitur retinere. Aſtruendę nimirum integritati Marianæ, & humanitatis velleri ex ea aſſumpto. In hanc ſententiam eunt doctiores Patres. Hieronymus, Ambroſius, Theodoretus, Bernardus, atque quod magis eſt, vniuerſa Eccleſia Orthodoxa. Recito Quattuor virum illorum a Spi-

Beniamin Ioſepho ſiſtitur.

expl. loc. 4. Eſdræ. 5. de Maria qua ouis.

Rachel, ouis, typus Mariæ.

1. cauſa quare noua Rachel. ouis ẽlecta, quia vellus mini ſtrauit rore ſuſcipiendo.

a Spiritu Diuino dicta dogmata.

in Comment. Pſal. 71. *Hieronymus* præit. Sicut, *inquit*, in vellus Gedeonis pluuia deſcendit, ita hic illapſus eſt in vterum virginalem per Spiritus ſancti infuſionem: & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram: arida enim erat terra humani corporis, cum aduenit, nec vllum fructum exhibere poterat ſanctitatis: ſed ipſe eam prædicationis ſuæ ſtillicidijs, fæcundam fructibus repleuit æternis.

ſerm. 13. in natal. Domini. Sequitur *Ambroſius*. Quid, *inquit*, tam ſilenter & ſine ſtrepitu fit, quam cum imber in lanæ vellus infunditur? Nullius aures ſono verberat, nullius corpus humore repercuſſionis aſpergit, ſed ſine inquietudine hominum, totum imbrem per multiplicem effuſum partes, toto corpore in ſe trahit. Recte ergo Maria velleri comparatur, quæ ita concepit Dominum, vt toto illum hauriret corpore, nec eius diſciſſuram corporis pateretur: ſed eſſet mollis ad obſequium ſolida ad ſanctimoniam. Recte inquam Maria velleri comparatur, de cuius fructu ſalutaria populis veſtimenta texuntur. Vellus plane Maria, eſt ſiquidem de molli ſinu eius, agnus egreſſus eſt, qui & ipſe matris lanicium, hoc eſt, carnem geſtans, molli vellere cunctorum operit vulnera populorum. Omne enim peccati vulnus, Chriſti lana ſuffunditur, Chriſti fouetur ſanguine; & vt ſanitatem recipiat, Chriſti indumento veſtitur.

in Comment. *Theodoretus* tertium ſe his iungit. Sicut lana, *inquit*, imbrem recipiens, nullum emittit fragorem, & ſtillicidia inſtar roris in terram delata ſenſum nullum auribus præbent; ſic Domini conceptio facta, eſt, neque ipſo ſponſo reſciſcente, qui cum ipſa habitabat; deinde enim poſt vterum, aliquam indignitatem ſuſpicatus occulte dimittere eam voluit: verum ab Angelo fuit edoctus, cæleſtem eſſe fœtum non humanum.

Bernardus autem interrogans, *reſpondet*. Quid illud vellus Gedeonis ſignificat, inquit, quod vtique de carne tonſum, ſed ſine vulnere carnis in area ponitur, & nunc quidem lana, nūc vero area rore perfunditur: niſi carnem aſſumptam de carne Virginis, & abſque detrimento virginitatis? Cui vtique diſtillantibus cælis, tota ſe infudit plenitudo Diuinitatis: adeo vt ex hac plenitudine omnes acceperimus, qui vere ſine illa, non aliud, quam terra arida ſumus. Huic quoq; Gedeonico facto, Propheticum dictum pulchre ſatis conuenire videtur, vbi legitur. Deſcendet ſicut pluuia in vellus. Nam per hoc quod ſequitur, & ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, idem datur intelligi, quod per inuentam rore madidam aream. Pluuia quippe volūtaria, quam ſegregauit Deus hæreditati ſuæ, placide prius & abſque ſtrepitu operationis humanæ, ſuo ſe quietiſſimo illapſu virgineum demiſit in vterum. Poſtmodum vero vbique terrarum diffuſa eſt per ora prædicatorum. Non iam ſicut pluuia in vellus, ſed ſicut ſtillicidia ſtillantia ſuper terram, cum quodam vtique ſtrepitu verborum ac ſonitu miraculorum. *hom. 2. ſuper miſſus eſt.*

Neceſſum fuerat iſtorum grauiſſimorum Patrum teſtimonia, verbis ipſorum proponere, vt ſubpudeat nouatorum frons effrons, quibus veteres Heluidij ſuſcitare blaſphemias, magiſque peruicaciæ Hebrçorum, quam puritati Ieſu & Mariç fauere lubentia fuit. Ganniant & & grinniant ranç & locuſtæ abyſſales, herbas corroſas; nobis conſtat, Ieſum Agnum immaculatum de cęlo emiſſum (iuxta quod Vates orabat

Digitized by Google

bat. *Emitte agnum Domine Dominatorem terræ, de Petra deſerti ad montem filiæ Syon*), ſuo illapſu Virginem non contaminaſſe, neque de viroſo aut contaminato ſemine, ſed ex puriſſimo ſanguine Virgineo carnem ſumpſiſſe, illaque, ceu vellere aureo ſeſe cooperuiſſe. Satis oculeus fuit Ioſeph maritus, qui obſeruabat, ne quis ſponſę, quam ſciebat virginitatis vinclo illigatam, ne dicam thorum ſed & aurem vel oculum temeraret. Huic verenti, & reuerenti partum quo illa non ex ipſo onuſta, Angelus apparens teſtatur; non de virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine, verbum carnem in ea, ex ea ſola induiſſe. Quod, inquit, in ea natum, eſt de Spiritu ſancto eſt. Rachel itaque merito geſſit typum Mariæ: quia in huius vterum tanquam in vellus aureum, deſcendit ille Agnus, cuius caput plenum rore, & cincinni madentes nocturnis guttis. Deſcendit vero ſine fragore, ſine lęſura. Virginem inuenit, Virginem ſeruauit, Virginem egrediens reliquit. Beatam quæ ſola poſſit cantare. Et de meis viſceribus, ſolis, ſolis, genui Deum & hominem. Et de meo lanicio miniſtraui Agno cęleſti temen & ſubtemen, ad ſuperadotandam texturam, in qua habitu inuentus vt homo.

Maria Ouis.

2. quia innocens & tamẽ obediens.

Secundo conformat ſe Maria typo Rachelis, innocentia, & obedientia legi cui non ſubiecta. Cautum erat lege Moſayca. *Mulier quæ ſuſcepto ſemine pepererit maſculum, offeret pro peccato*. Maria innocens ab hac lege. & quia non ex ſemine, & quia ſine peccato concepit, geſtauit, effudit, illum qui ſine vllo peccato, ipſa quæ ſine vllo peccato. Poſt *Origenem* hom. 8 in Leuiticum, *Euſebium Emiſſenum* in ſermone de purificatione, *Diuum Cyrillum* lib. 8. in Leuiticum, *Diuus Bernardus* innocentem euincit.

ſerm 3. de purif.

Quis, *inquit*, non aduertat in ipſo ſententiæ huius initio, liberam matrem Domini ab hoc præcepto? Putas enim, quia dicturus Moyſes mulierem quæ peperiſſet filium, immundam eſſe, non timuerit ſuper matre Domini Blaſphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiſerit: ſi ſuſcepto ſemine? Alioquin, niſi parituram preuidiſſet, ſine ſemine Virginem, quæ neceſſitas erat de ſuſcepto ſemine fieri mentionem? Patet itaque, quod lex iſta matrem Domini non includit, quæ non ſuſcepto ſemine filium concepit & peperit.

innocẽtia Deiparentis.

Putas ergo non poterat moueri animus eius, & dicere: Quid mihi opus eſt purificatione? Cur abſtineam ab ingreſſu templi, cuius vterus virum neſciens, templum factus eſt Spiritus ſancti? Cur non ingrediar templum, quæ peperi Dominũ templi? Lex obligat mulierem, quę ſuſcepto ſemine concepit. ego non de virili ſemine, ſed myſtico ſpiramine. Meum ille vterum non aperuit, qui deſcendit ſicut pluuia in vellus. Porta ego clauſa, nemini aperta. vir non tranſiuit per eam. clauſa quoque etiam ipſi Principi, cui nihil clauſum. Flos de mea radice aſcendit, non proſcindens ſed integrum corticem conſeruans.

Lex iubet offerri ſacrificium pro peccato. Sed ego gratia plena, Deo plena; benedicta inter mulieres, nulli vnquam maledicto ſubiecta, lilium inter ſpinas. nihil deinde in hoc cõceptu, nihil in partu impurum fuit, nihil illicitum; nihil purgandum, nimirum cum proles iſta fons puritatis ſit, & purgationem venerit facere peccatorum. Quid igitur in me legalis purificet obſeruatio, quæ puriſſima facta ſum partu immaculato?

Innocens Maria iſta nõ dixit, ſed obe-

Digitized by Google

obedientia ſeipſam vicit, filium in vlnas accepit, ad templum maturauit, ipſum & par turturum pro ipſo obtulit. Docta a filio, qui licet innocens Agnus, nulla indigens circumciſione, tamen circumcidi paſſus; ſic & ipſa innocens Rachel, licet nō eguerat purificatione, purificari ſuſtinuit. vt ſcilicet eſſet inter mulieres tanquam vna earum, ſicut & filius in numero puerorum tāquam vnus eorum.

Quam vero lubens legi ſeſe ſubdiderit? non difficile eſt explicare.

Cum enim per omnia Diuinæ ſe voluntati conformaſſet, vidiſſetque quāti animo procedere Ieſum ſponſum de thalamo cęleſti, & gigantem geminæ ſubſtantiæ exultantem ad currendam viam: ipſa quoq; non minus alacri corde & vultu, quæ ſaluti humanæ conducebant, parili voto ſoluebat. Obtulit, (forte dicebatur) ſeipſum ad circumciſionem, non quia opus habuit, non quia ſub legis edicto fuit, ſed quia voluit, & ex animo voluit: offeret ſe poſtmodum in cruce, non quia meruit, non quia Iudæus præualebit, ſed quia ipſe voluit, & exultans volnit. Me quoque par eſt, legi a Magno Dictatore vulgatæ parere. Parebo. Volēs itaq; & lubens procedam, & meo exemplo ſanciam diſciplinam obedientiæ, quæ præ cæteris Deo dilecta. Quid nos hic refractarij, qui Diuinis mandatis, quibus deuincti, adeo inobedientes? rebelles?

Iobo data inauris vna & ouis vna. Iobum poſt tot calamitates, cum benigniore oculo aſpexiſſet Deus, amici honorario donantes, obtulerunt, vt eſt in hiſtoria, ***Ouem vnam, & inaurem vnam.*** Exemplo Mariano docemur, innocuæ menti adiungere, obedientiæ ornamentum, Domino iubente qui ait: Oues meæ vocem meam audiunt, & ego cognoſco eas, & ſequuntur me.

Beato Iob, (***explicat Gregorius***) nemo inaurem ſine oue, nemo ouem ſine inaure obtulit. quia profecto redemptori ſuo non obedit, qui innocens non eſt: & innocens eſſe nō poteſt, qui obedire contemnit. Quia vero ipſa obediētia non ſeruili metu, ſed charitatis affectu ſeruanda eſt, non terrore pœnæ, ſed amore iuſtitiæ; cuncti qui ad conuiuium veniūt, auream inaurem obtuliſſe perhibentur; vt videlicet in ea quæ exhibetur obedientia charitas fulgeat, quæ virtutes omnes quaſi auri more cætera metalla, tranſcendat. Sed quia nulla eſt innocentia, nulla eſſe vera obedientia in multiplicibus hęreticorum diuiſionibus poteſt; ad cognitionem fidei venientes offerant ouem, ſed vnam; offerant inaurem, ſed vnam. ideſt tales veniant, qui in vnitate ſanctæ Eccleſiæ, innocui obedientesque exiſtant. Vnum quippe diuidi per numeros non poteſt: quia & hoc ipſum quod dicimus vnum, numerus non eſt. *expl. loco Iob 42. lib. 35. moral. c. 14.*

℣. Offerant igitur ouem, ſed vnam; offerant inaurem, ſed vnam; ideſt, ad ſanctam Eccleſiam cum innocentia atque obedientia venientes, eam mentem deferant, quam ſectarum ſchiſmata non diuidant.

3 Rachelem appellaui Mariam, tertia de cauſa, quam profero. quia vt illa vetus, idola Labani Patris correpta operuit, cultibusq; eius ſub traxit. ſic & iſta quà prece, quà lanicio, operit multitudinem peccatorum noſtrorum, noſque a dura ſeruiture Dæmonis, aſſerit in veram libertatem. *3. cauſa quia tegit peccata atque a dæmone vindicat.*

Vnicum recitabo exemplum, non abſimile illi quod narratur de Theophilo. Alano Rupeñ. S. Roſarij cultum reuocante, quidam miſer amiſſis opibus, eiurauit religionem Chriſtianam, ſeque Dæmoni obnoxium fecit, Syngrapha proprio ſcripta ſanguine, *Alan. li. de SS. Roſario.*

guine,ad maiorẽ fæderis firmitatẽ. Sciuit hoc Alanus, & inſaniam hominis vehementer doluit. tum occaſionem quærens hominis ſaluandi,tandem vltro ſe offerentem accepit. Venerat miſer ille ad templum ſub tempus Concionis. Tum Alanus,vt erat acer,ſeruitutem Dæmonis miſerrimam eleuare, Dei benignitatem atque miſericordiam commendare,Diuæ Virginis patrociniũ inculcare verbis ardẽtiſſimis cæpit. Simulq; deplorãdum eius animum qui attentus audiebat, quaſi ignito iaculo fodicauit, & doctrinam quã protulit in pectus demiſit. Dum lachrymãtem vidiſſet, accurrit, & SS. Roſarij oratione vt ſe Virgini commendet,hortatur. Acquieuit ille,& Sacellum ingreſſus Diuæ Deiparæ Sacrum, ante ſimulachrũ eius pronus cecidit, eiulans atque conteſtãs. Virgo dulciſſima, *inquit*, mortalibusque beneficentiſſima, miſerrimi has preces accipe;quas in tam acerbo luctu,dolor me cogit effundere. Roſarium tibi offero, propter quod tu tuis Sodalibus multa impertire conſueſti. Hoc ego nixus, tuum Deipara nomen imploro, ac me tibi ſiſto,tua benignitate ex hac miſeria recreandum, quæ talis eſt, vt commemorationem aures ipſę reformident. Hem? præ dolore. Furiali quodam nexu tuis hoſtibus me obligaui. Nomen tuũ & tui filij amens abiuraui, totumq; me Sathanæ permiſi. Scio non tibi difficile eſſe, pactionem, quamuis meo cruore ſignatam reſcindere; cuius voluntatẽ Dei immortalis donum adimplere conſueuit. Ego a te hinc non diſcedo; moriendum ſit etiam mihi, donec ſyngrapham reſtitutam a maligno,a te vero deletam aſpexero.

SS. Roſarij orõne quidam Dæmoni obſtrictus liberatur

Hæc dicere perſeueranti, atq; ad Mariæ imaginem identidem aſpicienti, viſa eſt ex Virginali manu cartula illa obligatoria decidere, quam Dæmoni dederat perpetuæ ſeruitutis teſtem. Eam vbi recepit, ſcripturam agnouit, obducta; ſenſim aſpexit. tanto ardentior in cultu virgineo perſeuerans,quanto maius cæteris periculum, a patrocinio eius euaſiſſet.

Aiunt qui viderunt,purpurã tauros non ferre,a qua irritantur:neq; velleris Mariani aſpectũ põt ſuſtinere malignus: neque Rachelis decorem poteſt aſpicere tenebroſus. itaq; quandoq; negotium vobis faceſſit,in animo,in corpore,in fortunis, hanc Rachelem innocẽtem opponite. Potis illa omnia in perniciem veſtram cogitata idola præripere; Potis inſeſſu ſupprimere; Potis & ſepelire in capulo adamantinæ rupis, voſq; bonis fortunæ, corporis & animæ beare. O feliciter, Amen.

IN FESTO S. MATTHIAE Apoſtoli.

Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus leue. *Matth. 11. c.*

CONCIO.

Suaue & leue eſt iugum Chriſti.

ET liber,& non liber eſt omnis homo. Liber eſt, quia Deus reliquit illum in manu conſilij ſui. Non liber autem amplius, poſtquam alteri quem elegit ſeſe dediderit. Namque iure iuſtiſſimo ſancitum, vt qui ſe alteri obſtrinxit,*Subula forari patiatur* aurem, a conſuetudine Hebræa; vel ſupponere ceruicem iugo ſeruili, a Gentium more. Libertate male vſus homo ſtatim in paradiſo, Deo ſe ſubduxit, atque Sathanæ fidem obli-

Homo Dei ſeruus ſubulatus.

obligauit. ideoque grauius iugum, quam olim Romani Cannenſi prę-lio ſubacti, protoparentes à ſerpente proſtrati; ſuis & noſtris ceruicibus iniecerũt. Gemebat Orbis ſeruitute dira & dura oppreſſus, depulſorem oneris optans. Venit tandem Princeps & Aſſertor libertatis Ieſus, vt *iugum oneris* Zabulici, & *virgam in noſtris humeris* defatigatã Principis tenebrarum, demum & *ſceptrum exactoris* irrequieti, deijceret, trãgeret & ſuperaret *ſicut in die Madian.* pro intolerando leue, pro duro ſuaue, pro difficili facillimum imponens, nos in veram, eueheret libertatem. Quam leue & ſuaue ſit iugum Chriſti mandatorum, in præſenti diſcutio.

Quaſi ad præſentem Chriſti ſermonem Dauid aſpexiſſe, videtur, quando illum verſum euulgauit. *Nunquid adhæret tibi ſedes iniquitatis, qui fingis laborem in præcepto?*

expli. loc. Pſal. 93. de ſuauitate oneris Chriſti.

Velut enim fingere videtur laborem, in hoc præcepto, quo iubet nos iugum ſuum aſſumere dum ait: *Iugum meum ſuaue eſt, & onus meum leue.* Si enim iugum: quomodo ſuaue? cum omne quod premit, quia premit, inſuaue? Et ſi onus; quomodo leue? cum omne quod onerat, quia onerat, non eſt leue? Dicit iugum, & ſuaue tamen. dicit onus & tamen leue. Fingit in hoc pręcepto laborẽ quaſi non labor ſit, qui labor ſuauis & onus oneràs nõ onus, qđ leue. Verſi tamẽ quia Throno illius nulla adhæret iniquitas, confiteamur quia fingit laborem in præcepto, ſine vlla mendacij commiſſura. Attẽdite quomodo id fingat. ¶Duo ſunt in verbis quæ explicanda propoſui; 1. iugum ſiue onus, & 2. obligatio oneris ferendi, quod homo pleno iure, ferre tenetur. Iubet ad ſe venire hos quos exonerauit iugo ſeruitutis impuræ, ſub quo laboraſtis inquit, & onerati eſtis. iubet deinde vt eius iugum tollant ſuper ſe. hic labor atque ſeruitus ſub alio titulo videtur. ideoque dicitur laborem imponere, quia tamẽ ille eſt ſuauis, leuis, & dialis tantum, quo Magnam mercedem meremur; dicitur fingere laborem in præcepto; non autem tale pondus quod delaſſet aut obruat, ceruicibus mortalium imponere. Leuitatem oneris Chriſti, à facilitate ſeu leuitate eorum quæ præcipit intelligo: Suauitatem autem à gratia & charitate quam infundit. Beatus ille eſt qui percipere poteſt.

Examino facilitatem pręceptorum Dei, ab ipſa natura præceptorum. Nihil illis facilius & magis ſecundum naturam animaduerto. Præcipit imprimis: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex totis viribus tuis.* Quid hoc facilius? quid leuius? Non iubet, vt te graphijs cõcidas in eius cultura: non vt filium vel filiã in viuicomburiũ inijcias; non vt teipſum fœda aliqua morte conficias. Ama tantum; & amorem, innocentia vitæ, quę ex fide eſt, teſtare; improbitatem autem quam caro, ſanguis, & dęmon excogitauit deteſtare, impleſti præceptum, Deoquę feciſti ſatis. Amare an difficile? Ipſe ſua ſponte, in rem formoſam, diuitem, ſuauitate refectam erumpit. Deum ſi talem ex fide credidiſti, & habes perſuaſum, ama: & cũ tanta facilitate, cum quanta neque patrem neque matrem, neque conſortem aut filios, aut ſi quid magis amas ſupra iſtos, voluntati Diuinæ conformis, iugum ſuſcepiſti ſed leue; onus aſſumpſiſti ſed ſuaue. Dulce pondus fuit Aeneæ Troiano, Parens & Dij penates, quos ex medijs extulit flammis. quia amatum. Nec tibi in ſuaue erit onus Dei dile-

Leue onus Chriſti a facilitate ipſa mandatorũ.

Amore nihil facilius.

dilectionis, ſi cognoſti, ſi ſpeciẽ, diuitias,felicitatemque eius prægustaſti. Vt purpura,auro vel ſcorto amato potiaris,quid non moliris? Quid non facis? Quos non ſuffers labores? Pericula? calamitates? Hic ſufficit amare, cor offerre, animam donare; citra laborem & dolorem.

Præcipit deinde *proximum diligere,vt,*inquit,*teipſum*. Duos amores innuit & iniungit. Tui videlicet, & proximi. Te diligere, an non ipſa docuit natura? An non & eadem iuſſit æque proximum vt teipſum? Eo autem quod ſecundum naturam eſt, quid facilius? Quid magis leue? Id autem quod natura interuit, obſoletatum Christus inſtaurat dum iubet: *Non iraſceris, non dices fratri Raccha aut fatue, Non mæchaberis*, Non aſpicies aliquam ad concupiſcendum, *Non periurabis, non reſiſtes malo, non falſum dices teſtimonium, non rem alicuius deſiderabis aut manu continges. Non malum pro malo reddes.* Hæc omnia an grauia? An in ſupportabilia? Imo plumis leuiora cenſeo. qui cenſeo nihil loqui, nihil meditari, nihil agere, qualia ſunt quæ recenſui præcepta, ſtipula a vento correpta leuiora eſſe. Iam illud; *benefacite qui oderunt vos, orate pro perſequentibus & calumniantibus vos. quod vultis vobis fieri ab alio, alteri facite*, nihili eſt præ odio quo animus exæſtuat, & prę excandeſcentia qua corpus vacillat, & homo ſe in maximos labores, dolores atque mortes violentas offerr & infert. Gentiles qui magnanimi, iniurias remiſerunt atque hoſtes beneficijs quam maximis exornarunt: quid niſi ſecundum naturam fecerunt? Quid graue,quod etiam tu eiuſdem naturæ conſors pręſtare non poſſis?

Teipſum ſi reſpicis,nihil tibi graue impoſitum; omnia leuia atque ſuauia, vt pote ſecundum naturam. Non iuſſit funambulariam diſcere, ne præceps cadas; non gladiatoriam, vt ſanguinem ſpargas; non theatricam pugnam, vt te cum beſtijs periculo committas: non foſſoriam, vt terrarum mole aurum quærens obruaris; Non alias artes quibus citam mortem tibi acceſſire poſſis. Quę iuſſit; vitę, ſanitati, dignitat, idelicijs, felicitati,famę immortali parandę, ęternę demum beatitudini promerendæ facillima eſſe voluit. Quis labor, Non theſaurizare ſuper terram? Laborem ſcio vel maximum in auro congerendo. Quis labor non ſe vitijs contaminare? Audio omnes, vociferantes: Laſſati ſumus in via iniquitatis. Quis labor caſtum, ſobriumque eſſe? Video a libidinibus, a luxuria vitæ, ab ebrietate, grabbatha, quin & ſepulchra impleri. Quis labor, vbi ſi quid boni feceris,non ſe ventilare in omnem ventum? Aſpicio noctilucas candelæ alicui aduolantes, ſcilicet laudipetas, ab eo quem lucellum ambiunt amburi,& perpetuum riſum, an dolorem ſibi creare. In ſumma, vt Pater Diuinus,perfectus eſt abſque omni labore: vt ſidera quę ſemper curſus ſuos explicant irrequieta, nec vnquam ſubſiſtunt, nec quicquam ſuum faciunt, ſine dolore; ſic & homini quod eſt impoſitum iugum, ſi illud agnoſcit, ſuaue eſt, & onus leue. Labor videtur eſſe in præcipiendo, qui non percipitur in ſuſtinendo.

Secundum eſt quod indulcat onus Chriſti, vt ſuaue videatur; nempe Charitas, multarum virtutum parens, quę ſuaue faciunt iugum. Eandem quam aliqua ex parte abſolui quęſtionem, mouebat Diuus Gregorius. Quomodo, inquit, iugum Chriſti ſuaue eſt,& onus leue, ſi in præceptis Dei, viæ duræ ſunt quæ

2. Suaue iugũ Chriſti a charitate.

quæ cuſtodiuntur? Namque ait Dauid. *Propter verba labiorum tuorum ego cuſtodiui vias duras*. Sed hanc, *inquit*, quæſtionem citius ipſa veritas ſoluit, qa via Dei & inchoantib. anguſta eſt,& perfecte iam viuentibus lata . & dura ſunt, quæ contra mundi vſum ſpiritualiter animo proponimus; & tamen onus Dej leue eſt,poſtquam hoc ferre cœperimus. jta vt pro amore eius, etiam perſecutio placeat, & omnis pro eo afflictio,in mentis dulcedine veniat, ſicut Sancti quoque Apoſtoli gaudebant, cum flagella pro Domino tolerabant. Ipſa ergo anguſta porta,amantibus lata fit,& ipſæ vię duræ ſpiritualiter currentibus molles & plane fiunt, dum ſcit animus ſe pro temporalibus doloribus, gaudia ęterna recipere,'& hoc incipit,quod affligit,amare.

hom. 16. in Ezechiel.

Fere ad mentē Magni Leonis,Diuus Gregorius Magnus.Leo ſic docet. Nihil arduum humilibus, nihil aſperum mitibus,& facile omnia pręcepta ueniunt in effectum,quando & gratia præcedit auxilium, & obedientia mollit imperium;nec dura ibi neceſſitate ſeruitur,vbi diligitur, quod iubetur. Aurea ſententia, & digna quæ expendatur .

Nihil arduum humilibus.

Nihil, inquit, *arduum humilibus*. Ille enim qui ſe vermem & peripſema mundi, mundo indignum æſtimat, quid non facit, vt conſcendat cælum? Veterum quidam Philoſophi, vt ſe ſodalitio Magni alicuius pręceptoris,atque perinde ſapientię ab eis diſcendæ inſinuarent,nō modo vilia,ſed & ardua paſſi. Quid nō faciet homo,qui ſe vilem dicit, tantę dignitatis aſſequendæ quanta eſt a Chriſti ſeruitute? Dicet,quod Dauid lubenter. *Ut iumentum ego apud te*. jmponis quodvis iugum? feram. Frenos inijcis? obſequar. Flagris cædes? patiar. *Tene dexteram meam, & in voluntate tua deducito me*. Non recalcitrabo. Namque virum vanum & nihili dicit Iob,qui in ſuperbiam erectus, *quaſi pullum onagri ſe liberū eſſe putat natū*. Non ego inter effrænes onagros, qui ſine iugo ſine fræno, ſine ſeſſore. Male ceſſit Pharaoni, qui Dominū noſſe nō voluit. Male & illis qui dixerunt; *Recede a nobis, ſcientiam viarum tuarum nolumus*. Male & his omnibus qui ex leges,'qui Deum prouocant *in eo quod non eſt Deus*. Nam & hos omnes prouocat Deus, *in eo quod non eſt populus*. Ego vero vt iumentum ſeruiſſe apud te, promptum iugari, & frænari.

Iob. 11.

Nihil aſperum mitibus.

Nihil, ait, *aſperum mitibus*, qui patientes oneris. Namque tales ad onus & opus inclines, Deus gratia ſua præuenit ad auxilium. Promiſit ſiquidem per Oſeam Prophetam. *In funiculis*, inquit, *Adam traham eos, in vinculis charitatis*. id eſt. non agam cum ipſis vt aliquis tyrannus qui vim infert, vt opprimat, ego more humano humanitate & benignitate, alliciam ad meā ſeruitutem. *Si quis vult, veniat & bibat*. Si quis vult,ſermonē meū impleat; ſi quis deſiderat, aperiat pulſanti,ego intrabo & cænabo. Si quis cupit, collum ſubmittat, iugum ſuſcipiat, onerari ſe patiatur. Promiſſis & pignore dato pelliciam, non cathenis aut compedibus vinctos ducam Onus meum,honorem: iugum delicium: introitum, cænas; crucem, Regium eſſe decus dicam. imo & faciam. Sequitur in Oſea. *Et ero eis quaſi exaltans iugum ſuper maxillas eorum, & declinaui ad eū vt veſceretur*. Voluit dicere. Cum autem ſe mihi permiſerint, meoque onere onerari paſſi fuerint,ſi quid eis graue aut aſperum videbitur, ego gratia mea emolliam, atque ipſe præſens adero, vt eleuem & ſimul cum

Oſeæ.11.

Nihil durum a Chriſto adiutis.

cis

eis partiar onus. Portaui eos in brachijs meis velut aliqs nutritius, licet neſcirent quod curarem eos, quid ni cum eis deferam iugum, quod volentibus manſuetis impoſui? Quinimo ſi recreare illos neceſſe fuerit, ego me ad ipſos inclinabo, & eſca aliqua ſpirituali, vel latice cæleſti refocillabo. ne deficiant in via. Et ſi nutabunt ſub pondere, ego manum ſupponam, ne cadant, ne offendant pedem ad lapidem, neue collidãtur.

Lego exultantes martyres in tormentis. Vnde illis lętitia, niſi a Chriſto in tormentis adiuuante? Audite quam iubilans Dionyſius; quam inſultans. Vincentius? Prior Romæ paſſus, iubente Diocletiano fuſtibus prælumbatus, deinde equuleo ſuſpenſus & virgis cęſus, admotis etiam lãpadibus miſerabiliter vſtulatus, pro eiulatu exultantis vocem emittebat, qua ſe Chriſti ſeruum eſſe aſſeueraret. *Et ſi millies*, inquit, *occidi poſſem, Dominum meum Ieſum Chriſtum confiteri non ceſſarem*. Itaque Imperator, non modo vt idola adoraret efficere nequiuit, ſed etiã vt Chriſtum taceret, donec caput id iam optanti amputari iuſſit. Adiuuabat Chriſtus ne laſſaret, quem a tormentis in cælum vocabat.

Dionyſii martyrium.

9. *Vincentij conſta.*

Vincentius martyr in Hiſpania Cæſarauguſtæ paſſus eſt, vere Vincentius. quia Chriſto in eo vincẽte, vicit omnia tormenta, dum a Chriſto adiuuatur. Quum in equuleo ſublatus a Daciano præſide per ludibriũ rogaretur, vbi nam eſſet? *In ſublimi*, inquit, *vnde te poteſtate terrena tumẽtem; altior cum Chriſto cui iungor deſpicio*. Grauiora minitanti: *nõ minari mihi videris*, reſpõdit, *ſed quod votis omnib. concupieram afferre*. Igitur quum vngulas, faces, prunas, laminas ardentes, toto corpore dilacerato conſtanter exciperet, ait. *Fruſtra fatigaris Daciane. Non poteris tam horrenda excogitare tormenta, quã ipſe paratus ſũ ſuſtinere. Carcer, vngulæ, candentes laminæ, mors deniq; ipſa ludus iocuſq; Chriſtianis ſunt, non tormentum*. Si mortes tam acerbæ, tamen adeo dulces fuerunt martyribus, propter Chriſtum aſſiſtentem, eleuantem, conſolantem; quid non ſuaues erunt labores ſua natura leues atque optandi, propter eundem Adſtitem, Paracletum, Adiutorem?

Præſertim vero, ſi id diligitur & quod iubetúr, & propter quod iubetur. Quod diligitur, opus: propter quod diligitur, merces magna nimis atque opulenta. Non fuit graue duobus viris exploratoribus, geſtare botrum Paleſtinum, & quia onus ſuaue, & quia terra, quam viderant delicata. Non fuit arduum, illis quos paterfamilias conduxerat in vineam ſuam; & quia opus vindemiationis non inſuaue, & denarius diurnalis æſtimandus.

Non fuit durum, animantibus illis iugari, & plauſtrum trahere nouum, cui impoſita arca illa vetus. Et quia ad iugum natæ, & quia pignora a quibus auulſę, longe chariſſima. Sic etiam nihil oneris in tolerandi videtur, qui & onus ipſum diligunt, a quo gloria & honore coronantur: & ipſa deinde merces optata, qua poſt breuem & leuem laborem, in ęternum pręmiantur. Hic amor patriæ cæleſtis, Petro crucem, Paulo gladium, Mathiæ lapides Iudaicos, & Romanam ſecurim dulcorauit.

Paſſionis iugũ Apoſtolis, martyribus, & virginibus tenellis; ab his cauſis quas vulgaui, tam ſuaue, tam leue imo tam optandum: quid nobis graue erit Actionis, dicã & otiarionis tam facile? Eia torporem excutiamus, colla Deo ſupponamus. Credamus exoneranti a ceruicibus noſtris

noſtris onus importabile, credamus & imponenti portabile atque ſuaue. *Suſtineas vt onus, nitendum eſt vertice recto:*

Ouid. 2. de Ponto. *At flecti neruos, ſi patiare cades.* Erigimini & ſub hoc onere dulci, *viri eſte. Feceritis ſi* humilitate, obedientia, charitate, prompti ad opus. Adeſt Chriſtus, qui iuuabit, qui ferentes coronabit. Amen.

IN FESTO S. THOMAE Aquinatis.

Qui autem Docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti. *Daniel. 12.*

CONCIO.

D. Thomæ Aquinatis laudes.

lib. 1. natu. quæſt. c. 4. PARIANVS Artemidorus apud Senecam docebat, modum nubis, qualis eſſe debeat, vt ſolis imaginem reddat. Si ſpeculum, inquit, concauum feceris, quod ſit ſectæ pilæ pars, ſi extra medium con ſtiteris, quicumque iuxta te ſteterint, vniuerſi a te videbuntur, propiores tibi quam ſpeculo. *nubes Solē referēs qualis* Idem, inquit, euenit, cum rotundam & cauam nubem intuemur a latere, vt Solis imago a nube diſcedat, propiorque nobis ſit, & in nos magis conuerſa. Color itaque igneus a Sole erit, qui in nube receptus, alterum Solem, ſed nobis propiorem præſentabit. Sed hæc arguta Philoſophis relinquamus. nobis conſtat, illos qui ſe inſtar ſpeculi terſi, puritate Angelica expoliuerunt, vel inſtar cauæ nubis ſeſe humilitate profundarunt, ad ſplendorem Diuinæ lucis adiunctos, lucem ſupernam in ſe recipere. atque ita collucere, vt eius ſimilitudinem in omnium oculis & aſpectu, nunc ſed magis in futuro oſtendant. Non immerito Saluator, Apoſtolos nuncupabat, *lucem mundi*. Daniel autē præuidebat eos, qui Docti fuerint, effulgere *quaſi ſplendorē firmamenti Stellati*. Inter Doctores virgines celebris eſt Thomas Aquinas; huic an ſymbolum firmamenti conueniat? ad eius laudem & gloriam inquiremus.

Firmamenti cœleſtis nomine, Octauum Cœlum intelligo, varijs Stellis, præcipue vero duodecim Signatis intertextum; inter duos polos, ſuperiorem videlicet qui nobis eſt Arcticus & inferiorem qui dicitur Antarcticus depactum, variaque rotatione non immotum. *Firmamentum ſignificat Chriſtū, Eclesiā, Angelos Doctores. expl. Græſio.* Apud Sacrorum interpretes ſignificat, *Angelos, Chriſtum, Eccleſiam, Sanctos Doctores.* *Ezec. 1. hom. 7. de Chriſto et Angelis.* Angelis & Chriſto accōmodaſſe, lego Diuum Gregorium, dum elucidat illud Ezechieli viſum firmamentum, cuius Propheta meminit. *Et ſimilitudo*, inquit, *ſuper capita animalium firmamenti, quaſi aſpectus cryſtalli horribilis extenti ſuper capita eorum deſuper.* Poſſunt, *inquit*, firmamenti nomine, cœleſtes poteſtates intelligi. Quod firmamentum recte quaſi aſpectus cryſtalli dicitur: quia videlicet cryſtallum forte quidem nimis eſt, ſed ex aqua ſolidatur. Et natura Angelica, quando creata eſt, liberum arbitrium accepit; vtrum vellet in humilitate perſiſtere, & in conſpectu Dei permanere, an ad ſuperbiā collabere, & a beatitudine decidere. Vnde per ſimilitudinem aqua fuit. Sed quia cadentibus alijs, ſancti Angeli in ſua beatitudine perſtiterunt, atque hoc acceperunt in munere, vt iam cadere omnino non poſſent, quia in eis natura ſua iam deijci mutabiliter non poteſt, quaſi in magnitudine cryſtalli durata eſt. Quod vero cryſtallum horribile & extenſum

ſum ſuper capita animalium dicitur; intelligitur quia illæ poteſtates Angelicæ, quæ omnipotentis Dei cō ſpectui aſſiſtunt, nobis adhuc in hac corruptione poſitis, terribiles atque pauendæ ſunt. Quarum nunc gaudia, quia ſenſum noſtrarum mentiū excedunt, ſuper capita animalium eſſe memorantur. Quis enim in carne corruptibili poſitus, compræhendere valeat, quæ ſit illa Angelorum ineffabilis & ſine fine lætitia? Quæ beatitudo, ſine defectu vultū videre creatoris, atq; in eius delectatione, ſine immutatione perſiſtere?

Neque immerito *D. Gregorius* Angelos appellat nomine firmamenti. nam adeſt ratio ſimilitudinis, a puritate, claritate, vario ornatu Stellarum, & incorruptibilitate. nā & Angeli ſicut cęlum Stellatum, ab omni næuo, ſic illi ab omni materia depurati Spiritus; claritate intelligētiæ pellucidiores, quam cęlum firmamenti; æuo quoque non minus perpetes quam ipſum firmamentū. Varietati Stellarum, reſpondet in Angelis varietas radiorum ſeu ſpecierum inditarum atque infuſarum, per quas omnia intellectu conſpiciunt, & quibus alter alterum illuſtrat. Propter quarum multiformē rerum præſentationem, a D. Dyoniſio Angeli ſpecula nuncupantur.

Thomas Aquinas ſimilis Firmamento.

Traduxerim ego iſta omnia, ad Diuum Aquinatem Doctorem Angelicum. Quā enim cunque a parte Stellatum Orbem firmamenti reuoluo; ſiue etiam illius ſymbolo Angelicas poteſtates ſignificari intelligo, ab omni ratione, & toto quod aiunt circulo, recidit in Doctorem Angelicum.

1. Excellentia animæ.

Puritate animæ, paulominus ille minoratus ab Angelis, parte qua fuit, vt ita dixerim, adhuc *virgo tabella*, nullis exarata characteribus. Cū autem eſt delineata & quaſi cōiugata figuris & imaginibus ſcientiæ profundæ, quam ab eo qui character & figura eſt bonitatis Diuinæ accepit, non nimis audaculus videbor, ſi dixero, Angelici Doctoris mentem, ſupra aliquas mentes Cęleſtes prælatam. Nam ſi non vulgarem habent locum in cęlis, qui nō plebeia virtute & ſcientia fulſerunt in terris: nemo mihi ſuccenſebit, ſi D. Thomæ animam, multis Spiritibus antepoſuerim, qui tanta, quantā acquiſiuit & infuſam ſuſcepit, ſcientia fulſit in Eccleſia.

2. Incorruptione.

Firmamentum ſuæ debet naturæ quod nulli corruptelæ obnoxium. Angeli vero cryſtallinę duritiei, quia ad malū inflexi. Talem ſe Thomas exhibuit a Dei gratia quam adhuc tenellus hauſit, & a voto quo ſe prope puer aſtrinxit. Gratiæ Diuinę non obſcura, in puſione eluxerunt indicia. Abluebatur in pollubro. abſcedente nutrice, ille cartulam fors Cęlitus delapſam, digitulis corripuit. Venit nutrix, gerula, mater, ſchedam in manu infantis vident, eripiunt. Ibi tamdiu infantulus flere & eiulari, donec perlectam redderent. Scripta erat intus Salutatio Diuæ Deiparę, quam Paranymphus dixit. Reſtitutam, ne iterato auferretur, ori inſeruit, & tandiu edentulus inter gingiuas volutauit, donec deglutiret. lacte & melle ſuauiorem putans cibum, qui a cultu Dei atq; Diuorum. Portendebat ingluuie illa, ſe futurum helluonem Pietatis, religionis, & deuotionis; inſuper & ſacræ Doctrinę. Suſcepit iam tum in tutellam, nouum filiolū Deiparens, quem aſpexerat rara indole natum; & gratia pręformatum. A cuius patrocinio illud obtinuit, vt nullius mortalis criminis, vnquam ſenſerit contagiū. *Thomas helluo pietatis.* Iactas firmamētum illime? immaculatus Thomas. *3. Puritate.* Angelos ſuſtlaminatos? Obfirma-

tus in gratia Thomas ipſo gratię ſuſtlamine. Fecit cum illo Deus, quod hortorum peritus topiarius. Iſte quoſdam florum in calice, quoſdam & fructuum in acerbitate decerpit, & in mel ac ſaccharum recondit; ſic & ille Magnus horti mundani cultor, vidit Thomam in hoc ſippario tanquam florem venuſtum, & a ſeculi blandi ijs præuellendũ ſibi putauit, quem melligine Diuinæ ſapientiæ condiret, inque Orbis verterem vſum. Hoc mellinio gratiæ Dei ille indulcatus, omnia mundi oblectamenta, mella venenata eſſe cenſebat, atque faſtidiebat, vt cogitaret, in præcoci ætate, voto caſtimoniæ & religionis ſeſe obfirmare.

4. *Conſtantia.* Firmamentum gemino polo inditum, non nutat, non mutat: ab hoc etiam bifido voti firmamento ſcopulo, Thomas non variabat tenorẽ virtutis. Quod ſemel apud ſe ſtatuit, dum ſibi *Sancus* fuit. *Sperne aiebat Thoma hoc ſeculum, maior iſto ſeculo. Sume ſuperbiam, infuſam a gratia. Nemo magnus in puſillo. nemo felix in turbido. Quid in eo expectas? Delicias? Falleris ſi quæris gaudiorum flores, vbi nonniſi tricæ & ſpinæ. Fortunas? Ne cupias, apud eam cuius alea ambigua, & nonniſi ludibria rerum humanarum. Honores? Cui bono? Etiamſi tu Atlas, aut Alexander, qui manu vna Orientem, altera Occidentem tangas, miſer ſuper alius miſer. Omnia quæ ſplendere videas, ſi ad melius metallum componis, ſubærata ſunt. Præſtrue, & prætenta gradum ad maiora: ad virtutem & Sapientiam, quæ te Magnũ adornabunt*. Semel in iuuenta ſanxit, nec vnquam ab hoc *Quadrato* receſſit.

quã duobus facinoribus iuuenis oſtendis. Proinde in Religione Prædicatoria, cui nomen iuuenis dedit, quam immotum ſe pręſtiterit, ex facinore quod narro conijcite. Aegre fuit Matri, quod Nobili ſtirpe ſurculus dignus, Patria ſtemata obſcurare viſus, dum ſe pannoſis Mendicis iunxiſſet, Religioniſq; toga & clauſtro ſplendorem Maiorum abdidiſſet. Monet Filios natu maiores, pergant ad Cęnobiũ, & vel Suada, vel ſi elingues, vi ex Monaſterio Thomam, educant aut trahant. Parent dictis Parentis. vadunt, Thomam a conſpectu Religioſorum rapiunt.

Neſcio an Prothoparentes adeo męſti, dum pulſi a Paradiſo, vt Thomas auulſus a Religionis delicio. Siſtũt illũ Matri, a dolore emorienti. Plangit illa erat cur ſe reliquiſſet? quare purpuras collobio, pallatia clauſtris, opes mendicitate, felicitatem ſumma miſeria commutaſſet? Suadet, obſecrat, per viſcera obteſtatur, ad mentem, ad ſeculum, ad beatitatem redeat. jlle perſtat immobilis, Caucaſo abruptior. Laceratur veſtis ſemilacera? ille partes, vt poteſt colligat.

Truditur in carcerem, tetrum, obſcurum ſquallidum? ne hilum frangitur, Adamante inſuperabilior.

Flectendo adoleſcentulo, ſubmittunt, fęmellam, venuſtam, comptã, blandulam? Flectere potuiſſet Cathonem. Thomas obriguit inflexus. Quin animos ſumens, cum ſibi dixiſſet. *jn alia re oportet eſſe mollem, in re honeſtatis & probitatis fas & par eſt, eſſe crudelem*: titione aſſumpto meretriculam ſcintillantibus ignibus exegit, & carcere excluſit. *Serua*, inquit, *hunc Sacrum theſaurum, magis quam aliquis precioſum depoſitum, aut olim Romani Palladium. Nam tu ab hoc Sacer, Magnus, & Beatus. Vitrea illa Diua, dum allicit aut tangit, in pecudes & feras demutat. Terræ illa progenies ad terram ducit, & interrat. Aſpis illa ſi quem habitu ſuo afflauerit, vel ſpiculo percuſſerit, venis venena*

nena inſtillat. Abige itaq; hanc procul a te, ne cubi propinquior te titillet. Fuge, non pugna. Namque ceſſiſſe preſtat quam inceſſiſſe. Ut in ſpeculo non repurgato, imaginum ſpecies videri non poßunt; ſic animus perturbationibus, quæ carnis ſenſu ſuggeruntur, obtenebratus, Spiritus ſancti illuſtrationem recipere non poteſt. Dum hanc pugnam vincebat, ad fuerunt duo cęlites, Stola Cęleſti iuuenem cingentes: *Ex parte Dei*, aiunt, *te cingimus cingulo caſtitatis, quod nunquam diſſoluetur*. Beatum te ab iſta cinctura, quæ te in Angelum, adhuc in carne transformauit. vt ſicut ille per naturam caſtus, tu per gratiam eſſes.

5. *varietate virtutũ.* Huic circino ſeu cingulo, ſicut *Zodiaco firmamenti, duodecim ſtellas* Auctor naturæ inſeruit, Thomas intexuit varietatem virtutum, quas dixiſſes ſyderum agmen. *Innocentia & pudor* æque vt in puero ſic poſtea in viro, tam fulgentes, vt ipſa *Virgo*, aut *Gemelli cæleſtes*, non tam radiantes, vt hę ſororię virtutes. Vbi aliquid, etiam ſi honeſtum, fuiſſet dicendum, verecundiam non potuit excutere; adeo illi ex alto ſuffuſus erat pudor. Recte. Nam huic mens honeſta. & cui talis, etiam frons imbecila: vt Symmacus dixit. *Humilitas & manſuetudo, tam* profunda, tam demiſſa, vt *piſces ſiderej* non magis muti. Scitis a ſcholaſticis, bouem mutum appellatum. Magnus tamen Albertus, vbi ingenium & virtutes eius experiri cępiſſet, deprehendens quorſum tenderent illius ſilentia, & ex quo fonte manarent; *Bos iſte mutus*, inquit, *talem mox edet mugitum, vt ſonum eius totus admiraturus ſit mundus*. Et cum omnium doctiſſimus atque ſanctiſſimus euaſiſſet, tunc ſane apparuit, quantum humilis taciturnitas, vanę arrogantiæ eſſet præferenda. Præclarum eſt & illud humilitatis exemplum, quod iam vir Bononiæ dedit. Hoſpes Frater venerat ad cænobium, in quo tum ille Doctor. Superioris permiſſu, vt in vrbem prodiret, negotiaque expediret, aſſumpto Comite Fratre qui primo obuius eſſet, incidit in Sanctum. iubet veniat ſecum. Nam que ita Prior iuſſit. Comitatur ille per vicos, per plateas quà per lutum, hac per ſordes, toties madidus a ſudore, a ſequela.

innocentia pudore.

manſuetudine.

Redeunt in monaſterium. Fratres vident. Mirantur. *Qui? Vnde tibi auſus, hunc talem ac tantum fatigare?* Prohibet Diuus, *ne infeſtent*. *Chriſtus* enim *inquit* docet. *Diſcite, a me, quia ego mitis & humilis corde*. Alius ſupercilium arrexiſſet, interrogaſſet. *Num ego?* Non arrexit humilis Doctor. Habent hoc proprium, humiles mentes; quo celſiores, humiliores. Paleas ventus tollit in auras, triticum non rapit. Arbor pomis grauida ramos demittit, quos tremulas ad altum tollit inflata. Iactantur fluctibus naues inanes, onuſtæ autem pondere ſidunt. Sic magis celſos, qui vera ſapientia & virtute excelſi humilitas, modeſtia, manſuetudo, demittit.

diſcendi & orandi ardore. Iam *diſcendi, & orandi* pares ardores ſe exerunt & commiſcent, non magis quam ſigniferi ardentes atque iugales ardores. Diſcendi imprimis. quæ? Futiles argutias? Non illas. ſed quod eſt in Pſalmo. *Bonitatem & diſciplinam*. Huic rei, ſemper illi in manu non in ſinu, imo in oculis, quinimo & meditullio in cordis, Sacræ collationes Patrum Caſſiani. Ab iſtarum lectione, proh quam ille Magnus? Ingenerabat illi cupidinem virtutis & gloriæ, viſa & laudata Orbi, ſanctorum, quorum monita & exempla pone Diuina legebat, Virtus & gloria.

Digitized by Google

Quendam Romanorum, viſum M. Alexandri ſepulchrum & Magna excitauit: Diuum Aquinatem ad Maiora, Maiorum lecta, & ad vſum ſellecta decermina, quę in ijs ſellectis. Ab eis didicit, Sanctã Ambitionem, ambitionis expertem: humilitate ſcilicet certare Ab ijſdem ſanctam auaritiam, ab auaritię ſordibus immunem: contemptu ſcilicet terrenorum, cęleſtia mercari. Ab illis ijſdem ſanctam Superbiam, a ſuperbia abhorrentem: deſpectu videlicet inferiorum, ad ſuperna contendere. Rota quę in terra voluitur, parte ima & minima eam tangit, cętera extat & eſt in alto: ſic ille didicerat decurrere per hęc humilia, quantum neceſſe eſſet corpori ſubleuando, optima autem & maxima parte eſſe eleuatus ad cęlum. Proinde predidicit, ſui & honorum contemptum. Offeret aliquis Vrbanus, vel alius ſummus, ſummos honores Epi, Archiepiſcopatus? A Caſſiani libello doctus diſciplinam & bonitatem ſeruare, quam alij non ſuſciperent, imo faſtidirent & excluderent, honores iſtos humiliter retractare. Virtutum aliarum cumulũ poſſem excumulare, niſi temporis anguſtię me tenerent. Dicam in ſumma. omnes quę cenſentur ſummæ, didicit prius, ante q̃ prius aliqd didicit, vt nonnemo poſſet tunc dicere, *factum ante Magiſtrum Bonitatis & diſciplinæ, quam diſcipulum ſcientiæ*. Quam tamen dum ad illud animum appoſuit, ita didicit, vt fuerit Thomas abyſſus ſcientię. Non mirũ. Diua virgo inſtituit. Diui Apoſtoli inſinuarunt. Scio quia illi vaticinia prophetarum legenti, cum in locum obſcuriorem incidiſſet, hæreretque velut in ſalebra, atque a Deo intelligentiam efflagitaret, Petrus & Paulus Apoſtoli apparuerunt, & quod quærebat docuerunt. Scio.

contemptu ſui.

Beatiſſimam Deiparam, lumine quo amicta, non ſemel viſam, mentem illius illuſtraſſe. Scio & Chriſtum ipſum in ſua imagine cruci affixa, Neapoli, Thomæ teſtimonium veridicæ doctrinæ dediſſe, voce quam exanimis imago protulit. *Bene ſcripſiſti de me Thoma.* Scio Manicheorum ſtultitiã, Græcorum errores, Hæreticorum omnium quotquot fuerunt, ſunt, erunt blaſphemias, ſannas, tenebras depulſas, depelli, depellendas fore, huius firmamenti ſplendore. Concilia Eccleſiæ, Conſtantien. Florentinum, Tridentinum (vt alia omittam) hoc Sole Aquinatico ſplendentia, omnes tenebriones vel illuminarunt, vel depulerunt. ¶Non ſatis fuit Diuo Aquinati, vnum aut alterum præſlogiſmum nectere; niſi profundam venam ſapientiæ inueniſſet. Aurum & gemmas, non lauros quærebat. & vt hi qui terreas quærunt, non ſummam terrę cutem leuiter ſtringunt; ſed in viſcera eius penetrant & immergunt; ſic ille qui veram, manſuramque doctrinam, in altiora loca & ſenſa meliorum Doctorum quã qui Elementarij ſemper ſeſe immit tebat. Non abiungebat a ſtudio diſcendi, contemplationem, atque adeo ſummã in Deum charitatem. Extaſes teſtantur. Miracula clamãt, ſanctitas predicat; quia ille Sanctus, quo sãctitas nõ sãctior. integer, quo integritas non integrior; iuſtus, pius abſtemius, quo ne virtutes quidem ipſę, maiores. Putabat omnes ſibi colligendas eſſe virtutes. Namque vt in cythara, ſi vel vnica fides diſcrepat, concentus & harmonia tota perijt, ſic in virtutibus, ſi deſit vna aut diſcrepat, oẽs. Quamobrem vt ij qui in ſuaui concentu Muſico fuere, ſonores & harmoniam ſecum in auribus ferunt, ſic ille in omnibus Diuinis, Diuinas quas a Dei con-

charitate.

tem-

templatione hauriebat virtutes, ſemper & prius exemplo quam verbo aut ſtillo ferebat & præferebat. Magnus Doctor. Excellus Doctor. Dignus qui Angelis, non tantum firmamento, componatur Sanctus. Natus ad ciendam ipſis Angelis inuidiam, innocentia pudore, caſtitate, doctrina zelo manſuetudine, charitate, & alijſque præclaris virtutibus; hic in ſublunari Eccleſia dum viueret ful[illegible] : fulgebit etiam hic Doctor Angelicus in Eccleſia ſupra lunari ſicut firmamentum & velut Angelus in perpetuas æternitates. Amen: & nos ab eius Magiſterio ſcintillemus. Amen.

IN FESTO ANNVNCIAtionis Beatiſſimæ Virginis.

In Sole poſuit tabernaculum ſuum. Pſal. 18.

CONCIO,

Maria Sol.

epiſt. 80.
Tres ſoles Viſi. portende. Incarnat Verbi.

PRO miraculo fuerunt Diuo Auguſtino duo illi Soles quos narrat Heſychio, conſpecti ante Aduentum in carnem Magni Dei. ego & miraculi & portenti inſuper loco, iudico apparuiſſe. Miraculi, ea ratione, quę Diuum mouit: porteti autem, quia portendebant breui affore ſeculum illuminationis, in quo duo Soles rationales aſpicerentur in Orbe. Sol Ieſus, Sol Maria, in Sole & ex Sole Maria. Ipſa de ſe, non incongrue viurpat, quod eſt in Eccleſiaſtico: Qui creauit me, requieuit in tabernaculo meo. Plaltes vero locum tabernaculi Ieſu, in Sole aſſignat dicens: In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo. Sponſum vero iſtum Malachias Solis nomine appellat: & orietur vobis, inquit, timentibus Sol iuſtitiæ. Solem itaque in Sole quieſcentem dum videmus, duos Soles habemus. Ieſum & Mariam. Quod Solari titulo, digna Maria, ex geſtis hodiernæ feſtiuitatis demonſtrabimus.

Sol omnium ſiderum Princeps, Maria omnium ſuperium & inferiorum creaturarum. Quod ſtellæ errantes, & inerrantes ad Solem, hoc Angeli & Sancti ad virginem. Parelias quas hiſtorici imagines Solis, Philoſophi virgas Solares vocant, producit aer in nube ſpiſſa & ſoli vicina. Hęc in modum ſpeculi rotunda, & caua cum a Solis radijs ſplendeſcit, refert Solis imaginem, Parelia Senecæ dicuntur; quæ accedunt ad aliquam ſimilitudinem Solis, non autem in totum imitantur, quia tantum figuram imaginemque, non autem ardorem: nam ſunt hebetes ac languidi eorum radij; neque ipſam luminis plenitudinem perennem, cum ſint euanidi, repræſentant. Parelias dixeris cæteros Sãctos, ad Solem Mariam, ſi plenitudinem, perennitatem, denique ardorem radiorũ atque multitudinem reſpectas.

hierogl. Mari &, Sol.
1. a lumine pleno. ex lib. 1. natural. Seneca c. 11.

Fateor Stephanum Apoſtolos, Ioãnem, aliosque innumeros Sanctorũ, de plenitudine Solis iuſtitiæ, mutuaſſe plenitudinem gratiæ, qua alij velut ſtellæ, alij ſicut ſcintillæ alij vero ad inſtar ipſius Solis fulgerent: plenitudo tamen illorum luminis ad Marianam plenitudinem, ſicut ſtellæ ad Solem. ſcilicet pro menſura cuiuſque animæ, ad proportionem officij cui deſtinata. vt ſtella quæuis plena quidem eſt lumine, ſed ad modum ſuæ menſuræ, vt ſit apta id agere ad quod creata, non autem ad menſuram Solis, quia non adid condita, ad quod Sol conditus. Sic & in

nam non tam plenum, etiã in ſupremis Angelis.

Deo

Deo plenis mentibus. Apoſtoli gratia repleti, vt Deum in corde & in ore digni geſtare, ſuoque officia pares eſſe poſſent. Cæterum quia Maria virgo deſtina muneri quod nemini in Orbe conceſſum: proinde & facta capeſſendæ gratiæ amplior quam quiuis vllus. Cui enim ſiue hominum, ſiue Angelorum? quærit Bernardus) aliquando dictum eſt: Spiritus ſanctus ſuperueniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi: ideoque & quod naſcetur ex te ſanctum, vocabitur Filius Dej? Denique veritas de terra orta eſt, non de Angelica creatura; nec Angelos ſed ſemen Abrahæ apprehendit. Magnum eſt Angelo, vt miniſter ſit Domini, ſed Maria ſublimius meruit, vt ſit Mater. Fœcunditas itaque virginis ſupereminens gloria eſt, tantoque excellentior Angelis facta munere ſingulari, quanto differentius præ miniſtris nomen matris accepit. Talem inuenit hodie Angelus, iam plenam gratia, vt charitate feruida, virginitate integra, humilitate deuota, fieret ſine viri cognitione grauida, ſine muliebri dolore puerpera.

quia non tam magno munere deputati. ſerm. in natiuit. B. Virgo.

Docet *Plinius*, ſpecula concaua aduerſa Solis radijs facilius accendi, quam quemuis alium ignem. quæ ſi criſtallina fuerint, tanto aptiora capiendo & tranſmittendo radio quã vitrea vel ærea. Nubes etiam quæ imaginem Solis referunt, quo magis illimes & ſpiſſæ, eo pulchriorem figuram Phœbi præſentant. Eſto fuerunt alij humilitate profunda, puritate candida, vnione ſenſuum cum ratione, & huius cum Deo, velut ſpecula concaua criſtallina, aut velut nubes depuratę & vnitę, vt pulchrificam fontani Radij gratiam ſuſciperent: nullus tñ tam profunda demiſſione, tam candida innocentia, tam vnita charitate vt Diua Regina. Vis humilitatem qua nulla humilior? Super omnes aſſumitur, & ancillam ſe dicit. Regina orbis & Mater Altitonantis inauguratur, & extremam ſe fœminarum nuncupat. Vis ipſam puritatis niuem? *Hic Terminus, ne Ioui ceſſit.* ſcilicet. Diuino fętu grauidam, Archangelus fore pronunciat: illa vero vt ſuum ſeruaret candorem, nec Angelum audit, nec Deo fętari cupit. ſi ſcilicet aliqua labe taminanda foret. Vis Herculeum nodũ quo in ſe vincta, atq; Deo deuincta? Si audis. *Fiat mihi, ſecundum verbum tuum.* nullum magis Deo innexum videbis, quam hanc Diuam Diuarum, quę verbum Dej vtero tulit, quem mente antea geſtauit. Habet illa ſpeculi profundum, pelluciditatem criſtalli, puritatem nubis depuratę, denique & lęuorem denſatum ſuper omnia creata. Non mirabere ſi dixerim, illam ab emanatione cleritatis omnipotentis Dei ſincera quam ſuſcepit, ſolam eſſe ſuper alias Solé, cęteros Parelias vel ſtellas, ad ipſam.

ideoque neque tanta humilitate diſpoſito lib. 1. c. 107.

2 *a modo luminis Maria quoque lumen in deficiẽs, & immubilatu?*

Pareliarum lumen non perannat, quia euanidum. Neque Sanctorum aliorum lumen, perpetuo dum hic viuerent fulgebat; quia variabile, & facile obnubi. Da etiam Ioannem illum ſuper omnes alios dilectum? Clamabit. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus. mendaces ſumus, & veritas in nobis non eſt.* Da Iobum ex veteribus virum quo nullus ſanctior in orbe? & iſtius manus etiam ſi mundiſſimæ fuerint, ſordibus tinguntur, a Deo Scrutatore. Da etiam Angelum; & in his quoque reperiet iniquitatem ſi volet. nimirum. Non tantam radiationis plenitudinem & claritatem quanta in Maria. quæ ſola gratia plena, inuariabiliter plena, perpetuo plena.

Asbeſton lapis ſemel accenſus perpetuo lucet, inuariato fulgore. Mariæ anima, ſemel in vtero mate

no, a

no, a carbone ignito accenſa, inque Tabernaculum Solare, illius qui Sol eſt oriens euecta, lucem perennat. Aliorum Sol interuentu lunę occultatur, Luna autem terrę obiectu, quã do nonnemo aut mutat mutatur. Nam homo, nunquam in eodem ſtatu permanet, ſed variat perſępe concupiſcentia ſua illectus: vel a terreo aliquo puluiſculo reſperſus. Maria aũt, quia Lunam pedibus preſſit, Soli iuſtitię indiuidua facta, ſemper lucet, eadem plenitudine lucet nunquam eclypſat.

lib. 2. c. 10. Narrat Plinius, ſupra Lunam eſſe pura omnia, ac diuturnę lucis plena. Beatam Mariam, quæ ſe ſupra noſtram extulit Lunam, ipſique Soli ſe immerſit, vt nunquam obſcurare tur, nũquam ab illa plenitudine qua ſemel replena, deficeret aut decreſceret, ſed ſemper remaneret pura, atque Dia luce plena. Parelias dicamus alios ſanctos. hãc ſolam Solem indeficientem.

3 *ab irradiatione. Eccl. 43. loc. explic. de Maria* Iam quoque ſi radiorum ardorem deſpicias, dices, illud Eccleſiaſtici in Mariam. *Sol in aſpectu, annuncians in exitu, VAS admirabile opus excelſi. In meridiano exurit terram, & in conſpectu ardoris eius. quis poterit ſuſtinere? Fornacem cuſtodiens in operibus ardoris; tripliciter Sol exurens montes, radios igneos exufflans, & refulgens radijs ſuis obcæcat oculos*. Diſpungo ſingula & explico.

Sol in aſpectu Maria. Quidni? Nã ſi mulieris bonę ſpecies, quæ eſt nata & æducata in ornamentum domus ſuæ, eſt velut Sol oriens mundo: qũo Maria quæ creata & ornata eſt ad ornamentum Orbis totius, in ſuo aſpectu, Sol non poteſt cenſeri? Dum aliqua materfamilias, gratis ac renidentibus oculis, natos, familiam, coniugem aſpicit amęnat, & prouida circumſpectione diuitat, Solem ſibi oriri putat tota illa domus: quando Maria gratiarum fulgore illuſtris, orbem ſuperum & infernum, peccatores, innocentes, iuſtos, viros, Virgines, imo & Angelo ipſos, irradiat, ditat & felicitat parturitione ſua felici, Sol ipſa quoque eſt in aſpectu, longe venuſtior, quam iſte qui ſub cęleſtia ornat & ditat. Solem placuit vocari Solem, quaſi vnicum & ſolum, quia ipſa ſolus *in exitu ſuo annunciat* vniuerſo viuentium generi, bona quę optant: Placet etiam Mariam appellari Solem, quaſi vnicam & ſolam, cui debemus quod confuſionem ęternæ noctis effugimus, quodque vera vita, a fonte vitę animati ſumus.

Vere Sol Maria, *Vas admirabile*, quo nullum capacius. Quem cęli capere non poterant, ipſa Virgine vtero clauſit. *Vas* ornatum omni lapillo prætioſo, quo nullũ prętioſius. Nam omnia quę fuerant Vęhi, datę ſunt huic Eſtherę. *Vas, opus*, ſuper opera *excelſi*, quo nullum ſublimius. Attende Cherubim & in illius ſublimioris naturæ contemplationem te attolle. Videbis quicquid maius eſt, minus Virgine, ſolumque opificem opus iſtud ſupergredi. Radij Mariani fulgoris, excedũt ardorem meridiani Solis. Huius ignes non fert terra, quin dehiſcat, timiſque faтiſcat. Illius flammam non ille cui darum ſuper terram repere, terramque comedere. Statim vt hic Sol ortus eſt, tenebroſæ noctis animalia, Leones, Dracones, Baſiliſci, ſe in ſpelæa condiderunt. *In conſpectu enim eius ardoris, quis ſuſtineret?* quę ad hoc nata, vt cymmeria monſtra fugaret? contereret? aſpectu ipſo necaret? *Fornacem ardoris* vocat ſapiens, hoc mundi ſidus: magis ego Mariam nuncupauero, ipſum incendium amoris. Dura, ait, ſicut infernus mea æmulatio: lampades eius lampades ignis atque

que flammarum. Carbones & ſcintillę ſolum corpus depaſcuntur & conſumunt;& materia pereunte, ſimul abſumptæ intereunt: amor autem & zelus meus interiorem flammam ſemper adaugent, & magis magiſque inflammant: & animum interea cura maiore,& noua, & acriore pergunt conficere:vtque volucres illæ finguntur Titij recreſcens iecur, ſic iſtæ ſibi ipſis materiam ſuggerentes, pergunt exedere. *Triplıciter ſol exufflans igneos radios exurit montes,& oculos cæcat.* Audis quā vrentes Matiani fulgores? *Vulneraſti* inquit ſpōſus, *cor meū Soror mea ſponſa, vulneraſti cor meum in vno oculorum tuorū,& vno crine colli tu*? An vides oculorum radios, ignea vi inuulnerabile conficere?

expl. loc. Cant. 4. de Marię irradiatione

An & ex cęſarie quot capilli, tot radij flammantes, qui vulnerarunt eundem ſponſum? Plane trifidum lumen, mentem adurens illius qui ardet noſtri amore. Tonanti Ioui aſſignabant veteres trifidūm fulmen: tollatur huic,detur Mariæ, quæ ternātibus oculorum flammis, Deū ipſū quaſi exanimabat & ſi fas dicere emētabat. Nā audio teſtantē. Auerte oculos tuos a me,q̄a ipſi me auolare fecerūt. Aſpexit hodie humilis virgo, & ſuauens ſpirans ex oculis amores, Ieſum quaſi telo igno confecit,vulnerauit, & alligaturam habitus humani,aſſumere coegit. Dixit cum humiliter inclini annuiſſet collo; *Fiat mihi ſecundum verbum tuum*; & quaſi adamante textu vincijt, vno crine colli ſui, vt illaberetur in hanc arborem ſpecioſior quam Abſalom,cęſarieque eius illigatus, penderet immotus. Guillelmus, non indoctè, per oculū vnum, intelligit charitatis maternæ, circa filium ſolicitudinem; per crinem vnum colli,humilem Dei timorem. Quattuor, *inquit*, pennata animalia in circuitu & intus plena oculis,ſanctorum typum tenent,qui pleni piarum ſollicitudine curarum, quibus non tantū ſibi ſed ē͡t alijs inuigilant. Quid fruſtra malignus expādit rete ante oculos eorum? Vndique ſunt oculi eorum aperti: ideo fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum. Quis vero tam plenus oculis, quam mater luminis? quis pari ſollicitudine ſibi & alijs inuigilauit ac mater pietatis? Hæc circa fideliū ſalutē,tam deuotæ ſollicitudinis,& tam ſollicitæ deuotionis vigilantia, fuit oculus vnus quo ſponſum vulnerauit. De Samſone legimus quod *ſeptem crines* habuit, in quibus, eius fortitudo poſita illa inſignis erat; quib.raſis omne robur illius elāguit. Septem crines ſeptem dona Spiritus Sancti ſunt;ſapientia,intellectus conſilium,fortitudo,ſcientia,pietas, & timor Domini. Caput animæ eſt ratio contemplans, collum eiuſdem eſt ratio actiua. Septē illis virtutib. quis æq; excelluit, ac mater ipſa virtutum? Pluſquam Samſon hæc. Nā ſeptem illis crinibus nouaculam Dalilę non timuit: ſed quantumuis in cæteris, maxime tamen vltimo, nempe timore Domini excelluit, quo animam ſponſi vulnerauit.

hierogl. pietatis Mariæ oculus.

Lego quendam Imperatorum, ad veſaniam vſque munditiej ſtudioſum,capillum quoque ipſum auro tinxiſſe, vt aureum vellus imitaretur. Ridendus hic cultus. At non irridendus in Maria, quæ crinem colli ſui Sole ipſo venuſtauit, inque radios flagrantes capillum deformauit. quo ligaret,quo ſauciaret Ieſum dulcem. Dicamus parelias eſſe alios Sanctos, hanc vnam vnicum Solem.

Imperator quidā capillum inaurabat.

Vno ſidere Solari omnia implentur, dum ab eo, Luna & alia minora aſtra lumen mutuantur. Ab vna Diua Deiparente, tanquam a Sole om-

omnia accipiunt omnes. Captiuus redemptionem, ęger curationem, triſtis conſolationem, peccator veniam, iuſtus gratiam, Angelus lætitiam, denique tota Trinitas gloriam, filij perſona carnis humanæ ſubſtantiam, vt non ſit qui ſe abſcondat a calore eius. Et quemadmodum Sol ſuper bonos & malos indifferenter oritur, ſic ipſa quoque præterita non diſcutit merita, ſed omnibus ſeſe exorabilem, omnibus clementiſſimam præbet, omnium denique neceſſitates, ampliſſimo quodam miſeratur affectu. Vultis exemplum? Audite.

SS. Roſarij oratione Maria euocatur e cælis. Lanſper. in operib. minorib. lib. 11.

Carthuſianę familię apud Treuiros quidam vir, pręerat ſanctitatis admirandę, cui ſolenne fuit ſingulis diebus Roſarium percurrere, quod Chriſti matriſque ſanctiſſimæ, vitę myſteria complectitur. Cumque cęleſtem quendam raptum pateretur alienus a ſenſibus, animi oculis vidit vniuerſitatis autorē Deum, eiuſque matrem Sanctiſſimam ex Roſarij illius formula quod ipſe terebat, ab ipſis cælitibus celebrari. Vidit ad Ieſu nomē in genua procumbentes, Mariæ ad caput demittentes. Vidit audiuitque hos eoſdem cœlicolas, beneficia ac dona illis omnibus comprecantes, qui in terris Roſarij illius myſteria ſimiliter premerent, contēplarenturq; quotidie. Vidit coronas pulcherrimas & ſpecioſiſſimas præparatas omnibus illis, quibus hoc Roſarium curæ eſſet. Vidit toties peccata condonari, munusque aliquod rependi, quoties Roſarium a mortalibus diceretur, idque pijs hominibus virgine deprecante concedi. Intellexit etiam in illa mentis arreptæ viſione, hac Sancti Roſarij precatione, tantum cœleſtium bonorum theſaurum contineri, quantum cogitatione cōprehendere mortalis nemo poſſet. quę ipſa expromere prompta, omnibus, qui ei atque Filio deuoti. Nam, vt Georgius Nicomędien. ait: habet vt mater in filio fiduciam, quæ infringi, infirmarique non poteſt habet vires inſuperabiles, & robur inexpugnabile. Nihil, *inquit ad Mariam*, tuę reſiſtit repugnatque potentię, tuis viribus omnia cedunt, tuo cuncta imperio obtemperant & ſeruiunt poteſtati. qui ex te natus eſt, cunctis ſuis operibus te reddidit celſiorem. Tuis ille gaudet poſtulatis, rogari abs te vult, neque impedit quominus quæ ſpetiueris compleantur. Tuam gloriam ducit ſuam, & cum filius ſit petitioni ſatisfacit, & quaſi debitum matri perſoluit.

Prouoluamus nos ſublunares, eius ſacratis pedibus, & adoremus locum in quo Diuini ſteterunt pedes. tum demū ſupplices ei ſiamus. Nam & ipſa exaudietur pro reuerentia ſua. Rogemus vt radijs vrentibus & fulgentibus, illuſtret, accendat, & ornet. O ornes, accendas, & illuſtres in ęuum. Amen.

IN FESTO S. VINCENtij Confeſſoris Ordinis Prædicatorum.

Nemo accendit lucernam & ponit ſub modio. *Math. 7.*

CONCIO.

S. Vincentius lucerna ardens.

Scintillæ a ſtellis cadētes.

NArrat Plinius inter cęli oſtenta, ſcintillam e ſtella cadere, & augeri terræ appropinquātem; ac poſtquam Lunæ magnitudine facta ſit, illuxiſſe ceu nubilo diei: deinde cum in cęlum ſe reciperet, lampadem fa-

ctam, ſemel vnquam proditur, Cn. Octauio C. Scribonio Cos. Vidit hoc Syllanus Proconſul, cum comitatu ſuo. Vt vt eſt, non cadant aut cadant tales ſcintillæ: creſcant vel non in corpus Lunare, & in lampada deſinentes, reuolent ad ſidera: Nobis conſtat animas velut ſtellas a Diuinæ manus potentia creari, corporibus adiungi, & in his, virtutum ſtudio quæ charitate informatæ, in Lunas & ſtellas atque ipſam ſimilitudinem Solaris fulgoris abire; hic in candelabro Eccleſiæ poſitas, vitæ ſanctimonia, doctrinæ radio & miraculorum fulgore lucere; atq; hinc ad perpetuas æternitates velut ſiderea lampada commigrare. Talem lucernam ſideream fuiſſe Diuum Vincentium, nunc paucis probabo.

S. Vincentij Conſ. Mox vt aliqua melioris mentis anima, in hunc mundum prodijt, iam adhuc in cunis, vel ſtatim ab illis, puriores ignes cintillare cæpit. Athanaſius ille magnus, puer adhuc in agmine puerorum, ad mare Epiſcopum ſe finxit, ac Epiſcopi more baptizauit: alios diaconos, alios preſbyteros ordinauit, in feſtiuitate annuæ memoriæ Petri Alexandrini epiſcopi martyris. Id cum vidiſſet

1. Infantia. Alexander epiſcopus Alexandrinus, omine captato, Athanaſium & ſocios parentibus ſub obteſtatione Dei commendauit, vt ad id quod per ludum imitati fuiſſent educarentur.

Factum fuit. Athanaſium illum produxit, qui Diuinitatem Dei vnigenæ contra Arrianos propugnauit. Talis Diuus hic noſter. Iam ab ipſa infantia ferme, nullus eo frequentius Eccleſiarum limina terebat, nullus crebrius ieiunabat. Nullus auidius ſacris concionibus intererat. Aliquando puer congregatis alijs paruulis, in editiorem locum, cęteris conſidentibus aſcendebat, & quæ a concionatoribus audierat, voce geſtuque reddebat. pueros ſubinde rogans, num aptus ineptusve Concionator ipſis futurus videretur. Putatis quam ille futurus Magnus? Si necdum vix loqui doctus, & iam docere promptus? Qui mirabantur, dicebant paruam iſtam ſcintillam, cum adoleuiſſet ætas, euaſuram in magnam Lunam, vt de illo quoque diceretur ſuo tempore. *Quaſi Luna plena in diebus ſuis.*

Tales animæ quæ ad Magna natæ, iam ſtatim a iuuenta. contentione honeſta mouentur, non vt alijs inuideant bona quæ illos ornant, ſed vt ipſi quoq; participes eorum, quæ in alijs & per quæ alij fulgent. *2. Iuuentus in religione.* Alexander viſo Achillis ſepulchro, propemodum collachrymari cæpit, ſtudio gloriæ & æmulatione virtutis: eumque felicem prædicare, cui contigiſſet habere laudum ſuarum præconem Homerum. Fuit & Themiſtocles in tantum illuſtrium virorum ęmulus, vt plane fateretur Miltiadis trophęa ſibi ſomnum adimere. Maior, quia maioris & verioris glorię cupido in Vincentio. qui ſedecennis, cum Diui Dominici familię ſe addixiſſet, ante omnia S. Patris illius pręclara geſta attentiſſime ſibi legenda propoſuit. Vt illa cum primis ſibi rudimenta Virtutis colligeret, quibus ſe imbueret, & in quo Diuum Parentem imitaretur. Celebrata Ezechieli ſcintillantia animantia, quorum vultus ſuperintenti ad firmamentum, quod capiti eminebat. Nec minus laudatus hic Diuus ſcintillans, qui oculo in conniuente, ad ſuum ſidus.

Scite olim Anaxagoras, ſuo Pericli: *Quibus*, inquit, *opus eſt lucerna, oleum infundunt*. *3. ſtudia literarum.* Deriuo ego & aio. Qui volunt eſſe & haberi lucernæ, oleum hauriant a Minerua, lumen a lumine, mutuentur. Pręſum-

Digitized by Google

ſumptuoſus ille, qui ſcire ſe iactat, quod nec audiuit. Cęcus Dux cęcorum, qui in tenebris palpat, inque tenebras pellit. Non talis D. Vincentius. Sed poſtquam pectus ſuum capeſſendę ſapientię apium, meliore metallo firmaſſet, ſtatim ſacrarum literarum ſtudio accenſus, ad illarum diſciplinam animum dedit. vt auidius hauſta ex his floribus mella, opportuno tempore, populis expromere poſſet. Iam tum iunior commentatione, dictioneque ſeſe excolebat, vt ſe dignum redderet quæſito puerili. Num aptus ineptuſve Concionator videretur; tum cum iam omnium doctus, eloquens, & quod maximum eſt, igneus dicebatur.

4. *Concionandi munus.* Noluit hoc iubar ſub modio deliteſcere Chriſtus. ſed *qui præcipit mane diluculo, vt oriatur*, & huic fulgentiſſima ſpecie, cinctus agminibus Angelorum, & DD. Patribus Dominico & Franciſco comitatus apparens, tacta eius maxilla, e lecto ſurgere, tenebraſque Orbis lumine quo radiabat illuſtrare iuſſit. Surrexit, perrexit: tantaque mortalium felicitate illuxit, vt ab eius luna, *nox peccatorum, ſicut dies illuminaretur.* Incredibile dictu eſt, quam vberes fructus ex ſuis Concionibus retulerit. Ibat in ſingulos dies, nulli labori parcens; dum iret *flebat, mittens ſemina ſua*, quibus & arida corda, & verbi Dei ſemen irrigabat. *Veniens* autem veniebat *cum exultatione* referens *manipulos ſuos.* Quam numeroſos? Ad octo millia Saracenorum, Mahumedum abiurare Chriſtoque ſe ſubijcere iuſſit. Ad viginti quinque millia Iudæorum, ex Moyſi diſſipatis caſtris, Chriſto nouo Legiſlatori adiunxit. Supra centum millia Publicanorum perd torumque hominum ad meliorem frugem, & anteactæ vitæ ſeriam pænitentiam traduxit. Proh quam innumera ſtellarum agmina, ad cælum tranſmiſit? Quanta luce ipſe radiauit? Quot coronas ſibi contexuit? Non mirum ſi illi tanta vis dicendi: namque mira illi fuit ratio viuendi.

5. *Ratio viuendi.* Nocturnum tempus, breui ſomno excuſſo, orationibus & ſacris lectionibus aſſignabat. Summo mane, maximo lachrymarum imbre madidus, Sacris quotidie operabatur. Totos dies ieiunijs & abſtinentia incredibili tranſigebat. Corpus laboribus, & abſtemia exſuccum, flagris ferreis lancinabat. Virginitatis florem a lacte intaminatū cuſtodiebat. Ideoque datum huic animæ ſanctæ, Spiritu prophetico, dono linguarum & interpretatione ſermonum, tam potentem eſſe. Pendebant ab eius ore, Prouinciæ, regna, Imperia, populi, Reges, Epſcopi, Cardinales, Cōcilia, Summi Pontifices, quos ille dulci mellinio verborum, at magis Sanctimoniæ muta loquela recreabat. 6. *Munera & officia.* Eius felicibus auſis ſchiſma Eccleſiæ trium Pontificum ſiue electione, ſiue quauis alia de cauſa ortum ſublatum eſt. Eius Concionibus, & doctrinæ, & ſanctitati tantum detulerunt, Patres Concilij Conſtantienſis, vt ad eum legationem, ſplendidam, in negotijs fidej illuſtrandis expedierint. Nec tantum clerus, imo ipſi Principes arbitrio eius Regna ſua permittebant. Narrat Lipſius, memorabile eius iudicium, quo Ferdinando regnum Arragoniæ aſſignauit. *Monit. Polit. lib. 1. c. 3.* Obierat Martinus rex, idque ſine liberis; & inter agnatos vel cognatos varie certabatur. Ius, fauor, factio comparabantur: & iam ad cætus & arma res ſpectabat. quippe inter potentes competitores, Ludouicum Andegauenſium Ducem & Neapolitanorum regem, Iacobum Comitem Vrgelitanum, Alfonſum Marchionem Villenæ & Ducem

Digitized by Google

Gandiæ,atque Ferdinandum.Electi nouem,ſanctimonia vitæ, & doctrina aut prudentia conſpicui,qui arbitrarentur, & quemcumque Regem ij dixiſſent,eſſe.Inter hos Diuus Vincentius, annuente ſummo Pontifice qui præerat,Benedicto(& ſi in ſchiſmate)ſurrexit,vir Magna ſanctimoniæ opinione, & inſigni ac feruida eloquentia. qui concione ad rem appoſita, proceres & populum conſentire, obedire denique nouo Regi hortatus eſt. Quis is erit?ſuſpendit aliquamdiu omnium animos,& grandi tandem voce protulit *Ferdinandum*.Clamor coronæ,& iubilus, fauſta precantium. Tanta fuit potentia dicentis.

7 *Miracula*

Longè maiora ſunt miracula,quibus doctrinam illuſtrauit. Inter illa non eſt vulgare illud, quod infantem diſſectum & coctum ſuſcitauit. Quidam Auditorum inuitauerat Concionantem. ad prædiolum. Hic quod haberet vxorē rixoſam, bilem ei mouerat, antequam iret ad Templum.Percita illa furore,infantulum quem vnicum habebat communem,mox in fruſtra diſſecuit,lebeti impoſitum,igni coxit.Redit maritus cum conuiua : iubet fercula quæ parauit apponere. Perdita, carnes filioli diſco impoſitas, menſæ intulit. Obriguit Pater ad facinus inuiſum. Tum Sanctus merentem ſolatus, bene ſperare iuſſit. Membra deinde elixa infantis, membris componit, caput aptat trunco, & oratione præmiſſa,in Chriſti nomine infanti ſurgere ad vitam præcepit. Obediuit natura, corpuſculum redingrari, animamque ſuſcipere paſſa. Tam Magnum hoc ſidus Diuus Vincentius. Dignus admiratione & imitatione. Tandem laboribus fatigatus, ætate in graueſcente, Sacramentis Eccleſiæ munitus, felicem animam, tanquam ſplendentem lucernam Cæleſtibus adinſeruit. cum quibus radiat in ſecula ſeculorum. Amen.

IN FESTO S. AGNETIS Politianæ Ordinis Prædicatorum.

Theſauro abſcondito in agro. *Matth.* 13.c.

CONCIO.

S. Agnetis laudes. *20. Apr. celebr.*

SPONSAE Cęleſtis Diuinum ornatum, quiſquis diligentius euoluerit, mirabitur, cur ſponſus ei polliceatur: *Muranulas*, inquit, *aureas faciemus tibi vermiculatas argento*. Quid enim Muranulas? Cur non torquē aut diadema? vel ſi etiam aurium aurea ornamenta, cur vermiculata argento? Quis artifex auri fulgorem obſcurauit,pallido argenti candore? Secretum ſenſibus abſconditum felicitatis æternę, per muręnulas intelligebat. quam non oculis ſed aure, quamdiu in hac aura mortali,vſurpamus. Aurea hęc eſt, ſed abſcondita, quam nec oculus vidit, nec auris comprehendit, nec in cor hominis aſcendit. auris tantū nonnihil de cęleſti harmonia,quoddam Alleluiah exaudiuit; & ſi multorum Sanctorum, inter hos etiam Diuę Agnetis Politianę ex Muręnulæ aureæ, ſed vermiculatæ argento, appenſæ,Cœleſtis ſuauitatis, nō ſemel deguſtatę in hac vita mortali. Hoc ad quem modum fuerit paucis demonſtrabo.

expl. loc. Cant. 1. de felicitate Sanctorum.

Pro Muranulis *Diuus Ambroſius*, virias vertit, quæ aurium ornamenta, in murenæ piſcis ſimilitudinem, lenteſcentis metalli in virgulas, flexuoſo

Murænis ſeptē macula inſtar Septemtrionis inſitę l.9.c.13

xuoſo contextu, variegato auri & argenti colore. vt candor flauedini mixtus, auri ſplendorem augeat & decus. Felicitatem animorum ſignificant iſta emblemata murænularum: quod ab indice iſto colligo. Plinius refert *in Gallia Septentrionali, murænis omnibus, dextra in maxilla, ſeptenas maculas, ad formam* SEPTEMTRIONIS, *aureo colore fulgere. Sed duntaxat viuentibus. nã cũ anima pariter extinguuntur.* Septeno in cęlis radio effulgere animas, pręſertim illas quæ Diuitiora merita in cœlum retulerunt, nemo eſt qui ignoret. ſcilicet 1. Lumine infuſo, 2. viſione, 3. delectatione a Dei conſpectu, 4. florida conuerſatione inter albentia lilia, gaudio bino, vel trino iuxta corollas promeritas, de hoſte vel per 5. virginitatem, 6. aut Doctrinam, vel denique 7. vitam pro Chriſto vel cũ ſanguine præfuſam, ſiue etiam gladio doloris conciſam proſtrato. Septeno hoc radio præluſtris Agnes adhuc in terris. vt merito quoque ei murænulas aureas, appenſas fuiſſe dicamus, a ſponſo cui ab ipſis fere cunis deſponſa.

Septem gaudia Sanctorũ per Septẽtriones ſignificata.

1. Lumen infuſum.

Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, amiciri *lumine ſicut veſtimento.* contigit iſte amictus Diuæ Agneti vix ab vtero materno, in terras effuſæ. Qua enim hora ex aluo materna prodijt, cereæ faces cœlitus demiſſæ, apparuerunt accenſæ in eo conclaui, in quo eam Mater enixa. Miramini? Eſt cur admiremini. Nam lumina quibus iam tum circumfuſa, prænunciabant natam Virginem, quæ foret *Magna* orbis *Lucina*. Qua hora ipſe natus, lux circũfulſit in terris. Voluit & Agnetis cunabula lumine fulgere. vt ſicut lux vera, lumine ſe prodebat quis & quantus; ita & ſydus iſtud, luce miranda ſe indicaret, quod & quam illuſtre futurum eſſet.

2. Viſio Dei

Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, videre Deum *facie ad faciem.* contigit Diuæ Agneti per ſpecilla quidem *& in ænigmate*, videre Ieſum. Peruigilio Aſſumptæ virginis talem ſenſit affectum, vt nihil aliud niſi cœlum cœlique gaudia, atque illius diei triumphum Angelorumq; circa Deiparam aſcendentem tripudia cogitaret. Ergo virginem enixe precatur, vt ſe Filij æterni dignetur aſpectu. Hæc flagitanti, Regina cœleſtis apparuit ea ſpecie, qua tum fuit, cum eum in Bethleemi porticu peperit. Viſio iſta, Agnetem plane colliqueſcentem, animoq; deficientem proſtrauit. Quam cum Diua Deipara recreaſſet, confirmaſſetque, Ieſum puerulum in manus e' tradidit, amplexandum & diſſuauiandum. Diues tali theſauro Agnes, contabeſcere cupiebat in amoribus Ieſu. quem lachrymis irroratum, cum redderet Deiparæ; pia rapina, Crucem ex Chriſti collo ſerico filo appenſam, corripuit, ac ſibi retinuit.

Alio quoque die eadem Regina cœlorum, ſe oſtendit Agneti, treſq; gemmas ſeruãdas dedit. fore enim, inquit, *vt non ſerò templum ædifices nomini meo quod ſanctiſſimæ Triadis teſtimonio & confeſſione tanquam ſolido fundamento conſtitues.*

Quid hac virgine fœlicius, cui datum videre Ieſum? Iudæi beatos ſe putabant, ſi eminus aſpicerent Deũ in nebula & flamma conſpicuum. hæc cominus, facie ad faciem contemplatur, oſculis & amplexibus fatigat. Aliqui Sanctorum, quos aſpectu ſuo dignauerat Deus, ſtatim ad conſpectum lumen ruebant; hæc ſe attollere auſa. auſa & ſtringere manu, & quod pluris, auſa quoq; collo ſuſpenſa cymelia detrahere ſponſo.

3. Delectatio.

Gaudent in cœlis animæ Sanctorũ, inebriari *ab vbertate domus Dei,*

&

& torrente voluptatis inexplicabilis potari: prægustabat Agnes ſuauitatem dulcedinis cœleſtis, quã ex cultu virtutum, quã ex Chriſti aſpectu. Nonum agens annum, religionem Diui Dominici in ſacro Veſtalium cœnobio ſuſcepit. ſed cum quanta alacritate? cum quali gaudio? Gaudebat ſe iunctam ſpõſo, quo nullus Nobilior, ſi genus ſpectes. nullus venuſtior, ſi formam; nullus ditior, ſi fortunas: nullus ſuauior, ſi conuictum: nullus liberalior, ſi profuſionem Ieſu conſiderabis. Gaudebat ſe reliquiſſe Patrem & mortalẽ matrem, proque illis Patris ſui Patrẽ, & matris ſuæ matrem beneficentiores Parentes elegiſſe. Gaudebat ſe emerſiſſe ex Scyllæo & Charybdino periculo mundi huius, ad littus ſecuritatis & pacis. Depoſuit veſtem ſecularem. *Nudum*, inquit, *oportet eſſe naufragum, qui tranare cupit ad portum felicitatis æternæ*. Induit ſanctiorem tunicam. *oportet*, ait, *eſſe veſtitam, quæ deſiderat pertinere ad cęnam Agni*. Demeſſuit capillum; ne occaſionem eius capiẽdę, hoſtis captaret. Velauit caput; verecunda Rebecca, vt ſe pudore ſuo, ſponſo probaret. Voto virginitatis ſeſe aſtrinxit. vt ſe cęlitibus aſſereret. In cella paſſa eſt ſe recludi, vt cœlo propior, extra iniuriam ſublunarium eſſet. Totam ſe Ieſu permiſit, atque inſeruit, vt ſicut ſurculus trunco inſitus, ab illo humorem, ſic & ipſa a Chriſto vitalem aſpirationem. O quam pulchre ab hac floruit inſitione? quanto gaudio exultabat, a tam intima cum Chriſto coniunctione? Margarita iunioribus Veſtalibus præfecta, quoties Agnetem videbat, non puellam ſed Angelum ſe videre affirmabat; cuius tum mente, tum corpore figuram & ſpeciem candida Agnes exhibebat, atque gaudia præſumebat.

Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, a florida Ieſu, Diuæ Deiparæ, Angelorum & Cœlitum conuerſatione. præuſurpabat & Agnes *paſci inter hæc lilia* verna. Aliquando SS. Apoſtoli Petrus & Paulus ei apparuerunt, & particulis ſuarum veſtium eandem pro magno munere donarunt. Sæpius eidem Angelus Euchariſtiam ſua manu porrexit. Aliquãdo etiam viſa eſt ab ipſis Sororibus, ante Chriſti imaginem in Cruce confixi, in altum præcabunda ſuſtolli, & pedes imaginis oſculari, quæ in altum ſublata pendebat. Quinetiam terram Chriſti ſanguine in paſſione fuſo cruentatam Diuinitus accepit, ac fruſtum quoque peluis, vbi ipſe infantulus Ieſus a Virgine Matre fuit ablutus. *4. Conuerſatio.*

Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, de Satana per virginitatem, vel Doctrinam, vel mortificationẽ carnis proſtrato: pręcipiebat & Agnes has coronas, de tricipiti monſtro, trifido iaculo per eam confecto. Virginitas ei immaculata, quã ſponſus Ieſus deperibat, interque eius lilia paſci & cubare optabat. Doctrina ſupra ſexum & ipſam ętatem. quam Summi Pontifices mirabantur, atque vt ſe exereret in commodum Eccleſię excitabant. Puellari ætate nondum exacta, iuſſu Pontificio præfecta fuit Veſtalibus Porſenenſibus, nec multo poſt Politianenſibus. Quam difficili gregi ad regendum? Tamen rexit, & ſancte: aduſque miraculum illud correxit, iſtud rexit. Mortificationẽ ſi quęris? Vultum & corpuſculum exangue, ſi reſpiceres, mortem animatã dixiſſes. Lectulus, terra; ceruical, ſaxum: operimentum, catena quã ſe verberabat fuit. Obſonia? vix vncia panis, & guttula aquę. Mortem viuentem, putaſſes. *5. 6. 7. Victoria de hoſte per 5. virginitatẽ. 6. Doctrinam. 7. mortificationẽ.*

Dixi, quia pręcipiebat illas tres corol-

Digitized by Google

corollas quæ in cœlis, hęc poſita in terris. Namque violę, roſę, lilia, & alij varij flores ſubito enati in loco ex quo geniculata ab oratione ſurgebat; tum deinde ros atque manna candidum, in modum crucis effigiatũ, quo illa de cœlo deciduo cõſpergebatur, quid niſi ſe offerebant, vt ex illis Pancarpium faceret, ſerta pangeret, dulcedinemq; pręlibaret in terris, quam oculus videbit, auris audiet, cor ipſum hauriet in cœlis. in quo nunc ſeptena variegatione Agnes fulget in æuum. Amen.

IN FESTO S. ADALBERTI Epiſcopi & Mart.

Erit vnum ouile, & vnus Paſtor. *Ioan. 10. cap.*

CONCIO.

Eccleſiæ Catholicæ amplitudo.

Gen. 32. IACOBO Patriarchę reduci ad patrem & Patriam, duæ turmæ fuerunt. Ita lego in hiſtoria. *Reuerſi autem ſunt nuncij ab Eſau, ad Iacob, dicentes: Venimus ad Eſau fratrem tuum, & ecce properat tibi in occurſum cum quadringentis viris. Timuit Iacob valde & perterritus diuiſit populum, qui ſecum erat. Greges quoque & oues, & boues, & camelos in duas turmas. Interim quoque orans dicebat. Domine minor ſum cunctis miſerationibus tuis, & veritate tua quam expleuiſti ſeruo tuo. In baculo meo trãſiui Iordanem iſtum, & cũ duabus turmis regredior.* Iacobus, typum geſſit Chriſti Paſtoris, duæ autem turmæ animantium, Chriſti ouium quæ in eius ouili. Magnum, Ampliſſimum, totoque orbe videndum ouile, quod innumerabilis multitudinis fidelium capax. Gloriantur mercennarij vel potius raptores ouium rationalium, apud ſe eſſe Eccleſiam. Falſitatis vel ex hoc conuincuntur. Quia in eorum haris non oues balantes, ſed porci ſubantes. Neque infinitus grex, ſed pauculi aliqui de grege abducti, inque porcos, Cyrceo illorum veneno, demutati. Chriſtus autem duas turmas ouium ſe habere teſtatur. Alias, *inquit*, oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili, quas oportet me adducere. & fiet vnum ouile, ſub vno Paſtore. Contra hæreticos paucitatem ſuam iactantes, non erit abs re, ſi Eccleſiam, multitudinis gentium congregationem, hodie demonſtrauero.

Iacob reuertens cum duabus turmis typus Chriſti.

Eccleſiam a Chriſto fundatam nemo eſt qui ignoret, ſua incrementa habere. Creſcit doctrina; a luce diluculi, ad vſque perfectam diem. Creſcit ſanctimonia; a paruuli menſura, ad viri ſolidum robur. Creſcit manifeſtatione, ab auroræ ſplẽdore, per Lunarem, ad Solis fulgorem. Augetur numero; a puſillo, ad innumerabilem ouium gregem. Duodecim erant primitus vocati, quibus dicebat: nolite timere puſill⁹ grex. At ab his velut a principibus mãdræ, quã magna poſtmodum multitudo, illorum quos per Euangelium pepererunt? Oportebat namque prædicari ab eis Euangelium, non in ſola Paleſtina, ſed ab Ieruſalem, vſque ad extrema terræ. 1. Nimitũ ſcripturæ Propheticæ implendæ, 2. amplificandæ Chriſti Monarchię, atque 3. magnificandæ cauſa. *Eccleſia incrementa*

Primum ex Diuo Auguſtino euinco, qui in parentes nouatorum Donatiſtas paucos, paucitatem pręferentes, hoc telum ſcriptorium fecit. Quid in Propetus? inquit. Quam multa, & quam manifeſta ſunt teſtimonia Eccleſiæ, per omnes gentes toto orbe terrarum diffuſæ? Pauca com-

Eccleſia ex gentib.

1 prophetia implendæ lib. de vnit. Eccleſia

commemorabo. Accipiamus, *ait*, per os Eſaiæ ſancti Diuina reſponſa & eius ora tanquam Dei oracula ſuſcitentur. Sileant humanatum cōtentionum animoſa & pernicioſa certamina, inclinemus aurem verbo Dei. Dicat Eſaias, vbi Eccleſiam ſanctam Deo reuelante præuiderit, vt in verbis futura dicentis, iam nunc præſentia videamus. *Repleta* eſt, inquit. *vniuerſa terra, vt cognoſcat Dominū, vt aqua multa operiēs mare. Et erit in illa die radix Ieſſe, & qui exurget principium habere in nationes, & in eum gentes ſperabunt*. Radicem Ieſſe Chriſtum eſſe ex ſemine Dauid, ſecundum carnem natum, nullus quoquomodo Chriſtianus ignorat. Et ſi contentioſus eſt, cum Apoſtolo contendat, qui hoc teſtimonio in literis ſuis vtitur. Item dicit: *Germinabit & florebit Iſrael, & replebitur orbis terrarum fructu eius*. Iſrael nempe fuit filius Iſaac, nepos Abraā, cui promiſſum eſt, quod in ſemine eius benedicentur omnes gentes. Quod ſemen Chriſtum interpretatur Apoſtolus. Venit autem Chriſtus ex ſemine Abraham & per Iſaac & per Iſrael, & deinceps, ſicut generationes ad ortum Chriſti pertinentes Euangeliſta contexit. Qui ergo vult contra diſputare, contradicat Euangelio: neget ex ſemine Iſrael veniſſe Chriſtum, vt poſſit negare quod Eſaias dicit: Germinabit & floreſcet Iſrael, & replebitur orbis terrarum fructu eius. Item dicit: *Ego Deus primus, & in his quæ aduenient ego ſum. Viderunt gentes, & timuerunt fines terræ*. Hoc eſt, quod alibi dicit ſcriptura, primus & nouiſſimus, vt ſit α & ω, quę ſunt, literę in ſigno Chriſti omnibus notæ. Pro eo enim quod ibi eſt nouiſſimus, hic politum eſt; & in his quę aduenient, *ego ſum*, Huic ergo manifeſtationi contradicunt qui nolunt credere; immo qui nolunt iam videre completi quod ſequitur: Viderunt gentes, & timuerunt fines terræ.

Iſai. 41.

Item paulo poſt: *Indicium gentibus proferet, non clamabit, neque ceſſabit, neque audietur foris vox eius. Cum veritate proferet iudicium. Et in nomine eius gentes ſperabunt*. Hoc teſtimonium de Chriſto intelligendum, & in Euangelio poſitum eſt. Qui audet contradicat; qui autem non audet, ſperet in eum cum gentibus, & ab vnitate gentium in eum ſperantium, non recedat; aut ſi receſſerat, redeat ne pereat. Iſai. 49.

Item audiamus quid Eſaias adiungat: *Et dedi te*, inquit, *in teſtimonium gentium, vt incolas terram, & poſſideas hæreditatem deſerti. Ecce iſti a longinquo venient, & hi autem ab Aquilone & mari, alij aut ex terra Perſarum. Exulta cęlum, & in lætitia eſt. terra; emittant montes iucunditatem; quoniam miſertus eſt Deus populi ſui, & humiles populi ſui allocutus eſt*. Cum igitur per Apoſtolicā vocē, non ſinamur hoc de populo Iudæorum ſed de Chriſtianorum intelligere, quid intellecturi ſumus in eo, quod hoc loco ait Iſaias: *Et breui ędificaberis ab his a quibus euerſa es*, niſi Reges terrę, qui primo perſequebantur Eccleſiam, poſt adiuturos eam, tanto ante prędictum? Deinde quia omnes gentes adiungerentur Eccleſię, ſequitur & dicit: *Circumſpice vbique oculis tuis, & vide vniuerſos. Viuo ego dicit Dominus, omnes hos indues te, & diſpones eos vt ornamentum nouæ nuptæ. Quoniam quæ deſerta fuerunt in te, & corrupta, & delapſa, nunc in maxima arctura erunt, per eos qui commemorantur. Iſti a longe a te efficientur qui te tranſuorabant. Dicent enim in aures tuas, filij tui quos amiſeras;*

An-

Anguſtia eſt nobis in loco iſto: facito itaque nobis etiam nunc locum in quo commoremur. Tu vero dices in corde tuo: Quis genèrauit mihi iſtos? Cum ſciam eſſe me ſine filijs & viduam? Quis ergo iſtos educauit mihi? Ego enim derelicta fui ſola, hi autem vbi mihi erant? Sic dicit Dominus. Ecce tollam in nationes manus meas, & in inſulas ſignum meum, & adducam filios tuos in ſinu; filias etiam tuas ſuper humeros portabunt, & erunt reges educatores veſtri, & reginæ nutrices veſtræ. Super terram declinantes faciem deprecabuntur te, & veſtigia pedum tuorum lingent, & ſcies quoniam ego Dominus, nec erubeſces. Quis tam ſurdus? Quis tam demens? Quis tam mente cæcus, vt his tam euidentibus teſtimonijs obloquatur, niſi qui neſcit, quid loquatur? Sed ad manifeſtiora veniamus.

Chriſtus ſponſus Eccleſia ſponſa. Certe ſanctiſſimas nuptias in ſcripturis nouimus, ſpóſum & ſpóſam, Chriſtum & Eccleſiam. Vtrūque deſcripſit Eſaias, ne forte in aliquo eorum erremus. Quod cui acciderit, vtrumque amittit. *Epheſ. 3.* Quia de hoc coniugio in Sacramento dictū eſt, ſicut teſtatur Apoſtolus; *Erunt duo in carne una.* Ne longum ſit omnia memorare, hoc paululum aduertite. *Et peccata*, inquit, *eorum ipſe portabit, ideo hæreditate poſſidebit multos, fortium partietur ſpolia, propter quos tradita eſt in mortem anima eius, & inter iniquos deputatus eſt, & ipſe peccata multorum ſuſtinuit, & propter iniquitates noſtras traditus eſt.* Hæc de Domino noſtro Ieſu Chriſto tanto ante Prophetata fatemur. Hic ergo ſponſus, vt quid traditus eſt ad mortem? Vt quid inter iniquos deputatus eſt tāta humilitate celſitudinis ſuæ? Quid egit? Quid acquiſiuit? Quis ita ſurdus eſt, vt hæc non audiat? Quis ita obtuſus, vt non intelligat? Quis ita cæcus, vt non videat? *Ideo*, inquit, *ipſe hæreditate poſſidebit multos, & fortium partietur ſpolia*: propter quos tradita eſt in mortem anima eius, & inter iniquos deputatus eſt. *hæretici ſuggillātur.* Quid eſt hæretici, quod de paupertate gloriamini, ſi propterea Dominus noſter Ieſus Chriſtus traditus eſt ad mortem, vt *hæreditate multos poſſideret*? Et qui ſint hi multi, vel quam late occupent terram, quæ ſequuntur audiamus. Prænunciato ſponſo, procedat & ſponſa. In verbis Eſaiæ legamus eam, in veritate paginarum ſanctarum, & agnoſcamus in orbe terrarum. Hoc teſtimonium de ſancta Eccleſia prędictum, etiam Paulus Apoſtolus poſuit. Nō eſt quo fugiat contentioſa tergiuerſatio hæreticorū. *Lætare*, inquit, *ſterilis quæ non paris, erumpe & exclama, quoniam filij deſertæ multi magis, quam eius quæ habet virum.* Vbi, eſt, *inquam*, quod de paucitate gloriamini? Nonne iſti ſunt multi, de quibus paulo ante dictum eſt; *ideo ipſe hæreditate poſſidebit multos*? Nam quæ eſt hæreditas eius, niſi Eccleſia eius? *Multi*, inquit, *filij deſertæ magis, quam eius quæ habet virum.* Synagogam ſcilicet Iudęorum volens intelligi virum habentem, quoniam acceperat legem. Hinc iam poteſt diiudicari, quod dicimus.

Nota contra ſectarios modernos. Comparent iſti multitudinem ſuam in Aphrica (*in Septentrione*) conſtitutam, cum multitudine Iudæorum per omnes terras quocunque diſperſi ſunt, & videant quam ſint illorum multitudine pauciſſimi. Quomodo ergo de ſe dictum aſſignabunt, *Multi filij deſertę, magis quam eius quæ habet virum*? Rurſus comparent multitudinem Chriſtianorum Catholicorum per omnes gentes quibus nō communicant, &

videant quam pauci ſint in comparatione omnes Iudæi, & tandem aliquando intelligant, in Eccleſia Catholica toto orbe diffuſa, iſtam Prophetiam eſſe completam. *Multi filij deſertæ magis quam eius quæ habet virum.*

Sed cui habenti virum, hæc deſerta prælata fuerit in multitudine filiorum, ſit obſcurum? ſit in ænigmate? Hanc tamen eſſe eccleſiam Chriſti, de qua dictum eſt; *Multi filij deſertæ* quiſquis contradicit, non mihi ſed Apoſtolo cōtradicit. Vnde autem multos filios eſſet habitura, conſequenter adiūgit, & ait. Dixit enim Dominus. *Dilata locum tabernaculi tui & aularum tuarum. Fige, noli parcere. longos fac funiculos tuos, & clauos tuos confirma. Adhuc in dexteram & ſiniſtram extende, & ſemen tuum gentes poſſidebit, & Ciuitates deſertas inhabitabis. Ne timeas, quoniam præualebis, neque verearis, quod deteſtabilis fueris. Confuſionem æternam obliuiſceris, ignominiæ viduitatis tuæ non eris memor. quoniam ego Dominus qui facio te.* Ecce quouſque iuſſa eſt extendere funiculos. *donec*, ſcilicet. *Deus eius, Dominus Iſrael vniuerſæ terræ vocetur.* De illa quippe, etiam dicitur alio loco per eundem Prophetam. *Propter Sion non tacebo, &* Iſai. 62.
propter Ieruſalem non quieſcam, donec prodeat ſicut lux iuſtitia mea; ſaluatio autem mea ſicut facula ardebit. Et videbunt omnes gentes iuſtitiam tuam, & reges honorē tuum. Quid dici adhuc manifeſtius exigēdum eſt? Ecce ex vno Propheta, quam multa? quam clara? & tamen reſiſtitur & contradicitur non cuiquam homini, ſed ſpiritui Dei, euidentiſſimæ veritati Et tamen ab eis, qui nomine Chriſtiano gloriari volunt, gloriæ Chriſti ipſius inuidetur, ne iſta quæ tanto ante de illo prænunciata ſunt, credantur impleri cum iam non prænunciantur, ſed oſtenduntur, tenentur, videntur.

Iam etiam de Pſalmis pauca audiamus, tanto ante cantata, & iam nunc compleri cum magno gaudio videamus. 2. *Chriſtus hæres orbis.* *Pſ. 2.*

Et prius illud quod de Chriſto. *Dominus* inquit, *dixit ad me filius meus es tu, ego hodie genui te. Poſtula a me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Quis enim Chriſtianus vnquam dubitauit, hoc de Chriſto eſſe prædictum; aut hanc hæreditatem aliud quam Eccleſiam eſſe intellexit? Et quia bonos & malos intra eadem retia Sacramentorū erat habitura; *Reges*, inquit, *eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli conteres eos.* Eadem quippe firma & inflexibili iuſtitia boni reguntur, & mali conteruntur.

Quis autem tam deuius & abſurdus eſt a Diuinis eloquijs, qui non ipſum Euangelium recognoſcat, cū cantatur ille Pſalmus, vbi ſcriptum eſt. *Foderunt manus meas & pedes meos, dinumerauerūt omnia oſſa mea, diuiſerunt ſibi veſtimenta mea, & ſuper veſtem meam miſerunt ſortem?* *ex merito paſſionis.* Quando etiam cum hoc Euangeliſta narraret, huius Pſalmi memor fuit. Quid autem huius crucis precio? quid tantæ celſitudinis, tanta humilitate? quid illo innocentiſſimo & Diuino ſanguine comparatum eſt, niſi quod illic in conſequentibus dicitur; *Commemorabuntur & conuertentur ad Dominum vniuerſi fines terræ? Et adorabunt in conſpectu eius, vniuerſæ patriæ gentium? Quoniam Domini eſt regnum, & ipſe dominabitur gentium?*

Nonne etiā Apoſtolus de prædicatoribus noui teſtamenti dictum expoſuit, quod ſcriptum eſt: *In omnem terram exiuit ſonus, eorum, & in*

in fines orbis terræ verba eorum?

De quo vero alio, niſi de Chriſto intelligitur, Deus Deorum Dominus locutus eſt, & vocauit terram; A ſolis ortu vſque ad occaſum, ex Sion ſpecies decoris eius?

Cuius deinde, niſi Chriſti vox eſt, *Dormiui conturbatus*? Et vnde conturbatur? Sequitur & dicit. *Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittæ, et lingua eorum machæra acuta.* Quorum? niſi eorum qui clamauerunt, Crucifige, crucifige? Vt quid hoc totum? Cui bono? cui lucro? Audi quid ſequatur. *Exaltare ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* Ecce habes Chriſtum in paſſione dormiuiſſe, & reſurrectione ſuper cœlos aſcendiſſe. Et vnde *gloria eius ſuper omnem terram,* niſi quia Eccleſia eius per omnem terram? In his duabus ſententijs breuiſſimis, vos hæretici totum quod inter nos agitur interrogo. *Exaltare,* inquit, *ſuper cælos Deus, & ſuper omnem terram gloria tua.* Cur Dominum Chriſtum exaltatum ſuper cœlos prædicatis, & eius gloriæ ſuper omnem terram, non communicatis?

3. *Chriſti monarchia in toto orbe.*

Pſalmus ſeptuageſimus primus in Salomonem titulatur. Sed quia ita dicta ſunt, quæ in illum regem temporalē, & poſtea grauiter peccantem conuenire non poſſunt, etiam contra ipſos Iudæos de Chriſto eſſe prędicta inuictiſſime defendunt. Nullus autem hoc Chriſtianus negat. Talia enim dicta ſunt, de quibus dubitari non poſſit, quod ad Chriſtum pertineant. Ibi enim dicuntur hæc, ex quibus agnoſcatur Eccleſia toto orbe diffuſa, omnibus etiam Regibus Chriſto ſubiugatis. *Et dominabitur,* inquit, *a mari vſque ad mare, & à flumine vſq; ad terminos orbis terræ.* a flumine vtique, vbi eum Spiritus ſanctus, in columbæ ſpecie, & vox de cœlo manifeſtauit. Deinde ſequitur. *Coram illo decident Aethiopes, & inimici eius terram lingent. Reges Tharſis & inſulæ munera offerent, Reges Arabum, & Saba, dona adducent. Et adorabunt eum omnes reges terræ, omnes gentes ſeruient ei. & benedicentur in eo omnes tribus terræ, omnes gentes magnificabunt eum. Benedictus Dominus Deus Iſrael, qui fecit mirabilia ſolus. & replebitur maieſtate eius omnis terra, fiat, fiat.* Ecce manifeſta eſt in Pſalmis Eccleſia toto orbe diffuſa, ſuper quam requieſcit gloria regis eius.

Ite nunc Donatiſtæ, Lauderani, Caluiniſtæ, & clamate: nō fiat, non fiat. Vicit vos verbum Dei dicens, fiat, fiat. Quid ad hæc dicturi ſunt de paucitate gloriantes? Vtrum hæc falſa eſſe, an obſcura? Sed falſa eſſe non audebunt credo dicere: præmuntur enim mole, tantæ authoritatis. Nam & Chriſti teſtimonio ſunt roborata, qui inquit, *Oportet impleri omnia, quæ ſcripta ſunt in lege Móyſi, & Prophetis, & Pſalmis de me.* quę autem ſcripta fuerint, ipſe enarrat. *Quoniam ſic ſcriptum eſt & ſic oportebat Chriſtum pati, & reſurgere tertia die, & prędicari in nomine eius pænitentiam & remiſſionem peccatorum per omnes gentes, incipientibus ab Ieruſalem.* *Luc. 24.*

Teneamus ergo Eccleſiam ex ore Domini deſignatam, quę incepit ab Ieruſalē, & peruenit in omnes gentes Europęas, Aſianas, Africanas, Amæricanas. & ſi quæ adhuc aliæ reperiūtur, quas ſuo Sole colluſtrat. Fugiamus conciliabula impiorum frigore Boreali, & cymerya caligine tenebrarum condemnata. Amplectamur hanc in qua Diuus noſter Apoſtolus Adalbertus natus, adoleuit in virum Sanctimonia, Doctrina, rebus feliciter geſtis magnū.

Digitized by Google

Seruemus inuiolatum patris depoſitum, quod per manus Patrũ qui ſeculis numerantur, accepimus. Ab hoc amplo Dei ouili, transferendi ad Regnum, in quo Oues quæ oues, Regnant in ſęcula. Amen.

IN FESTO S. PETRI Mart. Ordinis Prædicatorum.

Qui vicerit, & cuſtodierit vſque in finem opera mea, dabo illi ſtellam matutinam.
Apocal. 3. cap.

CONCIO.

Petri ſydera.

Halo ſidera coronari qd.

HALO ſydera coronari, *aiunt Aſtrologi*. ſed falſo, vel ipſo Seneca euincente. Fulgor enim ille qui ſtellas circumnectit, plurimum ab eis abeſt. quamuis cingere eas & coronare videatur. Non longe a terra fit talis effigies: quam viſus noſter ſolita imbecillitate deceptus, circa ipſum ſidus putat poſitam. Quo die Auguſtus vrbem ex Apollonia reuerſus intrauit, circa Solem viſus eſt coloris varij circulus, qualis eſſe in arcu ſolet. quem Græci halo vocant, nos dicere Coronam aptiſſimè poſſumus. ſed non circa Solem. Namq; in vicinia Solis & ſtellarum nihil tale poteſt fieri; quia illis æther tenuis eſt. in craſſo ſpiſſoque aere apparuit, cui variæ formæ imprimi poſſunt. Quid ſi ego, ſidera ſideribus coronari ex Theologia demonſtro? Facile id quidem. Namque in capite eius, quæ Sole amicta, Ioannes vidit coronam ex ſideribus plexam. & *qui vicerit*, ſtellamque ſe fecerit dignam Cælo, *dabo*. inquit Ieſus, huic *ſtellam matutinam*, quæ caput eius ornet. Talis nobis Petrus Martyr, nouum iubar, non vno ſed trino ſidere, in vno lumine coronatus. Vt & illi quoque apte conueniat, quod eſt in Apocalypſi; *Qui vicerit, dabo illi Stellam matutinam*, non vnam, ſed trinam. Quæ hæc ſidera, & cur data Petro? pronunciabo.

Corona certantibus debetur.

Coronæ, non niſi agonothetis debentur. *Nemo coronabitur*, inquit Paulus. *niſi qui legitime certauerit*. Proinde vt certauerit, & quot victorias de varijs hoſtibus reportauerit, ſic coronabitur.

Apud Romanos erant Ciuicæ, caſtrenſes, murales: apud Deum pro vario certamine variæ. Veſtalium aurea, aurea Doctorum, aurea Martyrum ſuprema.

Si enim qui vnum vicerit ab eo audit *Dabo tibi ſtellam matutinam*: itaque qui trino iſto agone decertauerit, trina inaurabitur ſtella.

Decertauit Petrus nouus pugil, in triplici arena: & vbique victor vicit, hoſte ſubacto, inque ipſo ſtadio ſepulto.

1. Petrus virgo certauit. Plutarc.

Prima quã pugnauit pugna fuit, cõtra ſeipſum. In hac retulit aureolam virginitatis, propter ſuperatam carnem. Atrox duellum, ſed etiam inſignis laurea, huic qui ſeipſum ſeipſo concidit. Annibal in gloria ponebat Romanos, quibus cum certabat; atque illud ſæpe dicebat: *Sibi rem eſſe cum hoſte, qui nec victus, nec victor poſſet quieſcere*. Magis Petrus glorioſum reputabat certamen ſui, cum ſua carne. Namque illa, ſiue proſtrata, ſiue erecta, ſemper claſſicum contra ſpiritum canit: ſi ad aliquod, magis certe ad lubricum libidinis duellum. Quam felix ille, qui non ſuccumbit? Dauidem puerum ſcio quia leones edentauit, vrſos diſcerpſit, lupis prædam ex faucibus extorſit: tamen Bethſabeæ amorib. proſtratus iacuit. Quid Samſon? Quid Salomon? Quid illa agmina Sanctorum, quæ Sanctorũ quidam

ſub

ſub hac arbore cecidiſſe vidit, de quorum ſanctitate non minus du bitabat, quam de Ambroſij aut Hie ronymi? *Felix ſterilis, & incoinquinata caro*, quę adhuc mortalis, cum cœlitibus de gloria certat: certat? imo ſuperat, & ſi non felicitate; tamen virtute. Namque illorum tota a ſtatu immobili eſt, iſtorum ab electione obfirmata. ſine pugna aut labore illa, iſta a certamine parata: & quæ laudem habere, illa admirationem tantum poteſt. Salamandrā aiūt inter mira eſſe, quod in igni me die, qui omnia domat, non ſolum læ tatur ac viuit, ſed eum omnino extinguit. Magis mirum puto, illum qui carni immerſus, quæ omnia inquinat, nō ſolum non taminari aut aduri, ſed illā perfecte ſanctificare.

Talis Diuus Petrus, qui corpus & animam ab omni impuritate ita cuſtodiuit, vt nullius mortiferi peccati labe ſe inquinatum vnquā ſenſerit. Quamobrem Eccleſia ita de illo concinit.

Petrus flos pulchritudinis.
Et virtutum ſacrarium.
Nullum mortalis criminis
Senſit vnquam contagium.

Propter tantam puritatem prope Angelicam, meruit aurea Virginitatis coronari. Iam Doctrinæ eius tela ſi aſpicio, magnam hoſtium phalangem his ab eo proſtratam video. Puer adhuc Septennis dum ſcholas frequentaret, ſymbolum Apoſtolorum imprimis didicit. Doctus iam ab vbere *mittere manum in cauernam reguli*, delectarique *ſuper foramine aſpidis*, quam confeſſione veræ fidei contereret. Interrogatus a patruo, *quid tandē didiciſſet*, conſtanter reſpondit: *Chriſtianę fidei ſymbolum*. Patruus, quod Hæreticorum errore imbutus eſſet, blanditijs, minis, verberibus, conabatur paruulum a fidei conſtantia auellere. Nō

2. *Doctor Petrus certauit.*

potuit. iam enim erat fundatus Petrus, ſuper firmam Petram. A qua grandi r poſtea factus, vbi in Prędicatorum ordine maximos in literis & pietate progreſſus feciſſet, nihil antiquius habuit, quam ſpicula doctrinæ, in Sathanam contorquere; & hos quidem moribus corruptis ad Sanctitatis perfectionem, alios vero erroribus implicatos ad verę veritatis agnitionē traducere. Vnde non in templis tantum, ſed & in compitis, & in campis, quo eum millena agmina ſequebantur auditorum, Verbum vitę diſſeminabat. tanto cum fructu, vt & ipſe potuiſſet dicere. *Italiam ſe inueniſſe Manichæam, reliquiſſe Catholicam.*

Contigit vna dierum cum ſub dio prædicaret, ardore intolerando vix non incendebantur populi. Ille mox in Deum fiducia concepta, bene illos ſperare iubet, atque refrigerium expectare. Superuenit Nubes atra, quæ inſtar papilionis auditores obumbrauit. & cum magna quidem vis aquarum circa eos qui ad audiendum conuenerant. in terram defluxiſſet, nullum tamen ex innumero hominum numero attigit. Pauor tunc pariter ac pudor omnes cæpit. quo percuſſi, apud ſe ſtatuerunt immane eſſe, Nolle illius præceptis obedire, cui inſenſibile elementum paruiſſet. Itaque non ſine melioris vitæ propoſito finita prędicatione abierunt multi, dum commiſſa deflerent: lachrymis madidi, pluuia nemo.

3. *Petrus Martyr certauit.*

Ferunt Poetę Cadmum Agenoris F. ſerpentem interfeciſſe; cuius dentes cum ſeuiſſet, natos fuiſſe protinus armatos homines, qui mutuis vulneribus ſe confoderunt. Si quis Hęreticos notare vellet, hoc apologo, non abnuo. Sunt enim illi egeries peſſima Serpentis antiqui. de quibus quod eſt in Pſalmo poteſt

vſur-

vſurpari. *Filij hominum, dentes eorum arma & ſagittę, & lingua eorum gladius acutus*. Contra hoc certandum ſibi pręcipue, Diuus Petrus exiſtimauit. Indoluit enim illi, hos neque Deo neque ſacris, neque hominibus parcere, ſed omnia temerare. Quamobrem in ſalute animarum procuranda cum alias aſſidue verſaretur, in confutandis hæreticis, peculiari dono gratiæ ornatus, magis ac magis laborabat. propterea in odium illorum maximum incurrit, & hinc ſibi viam ad martyrium aperuit, quod Spiritu prophetico olim ſibi prædixerat. Cum enim Sanctæ Inquiſitionis munus gereret, atque multos deuios ad gremium Eccleſiæ Catholicæ indies reduceret, Sathan dolens ſibi tot animas eripi, Hæreticos permouit, vt necē Petro ſtruant. Struxerunt. Como ſiquidem Mediolanum redeuntem, impius ſicarius, ſemel atq; iterum in capite vulnerauit. iamque pęne mortuum, Symbolum fidej, quam infans virili fortitudine confeſſus fuerat, in ipſo ſupremo ſpiritu pronunciantem, iterum latera mucrone tranſuerberauit. Fudit cum purpureo ſanguine, charitate purpuraſcentem animam. quæ ad cœlorum ſedes penetrans, trina fulget corona in ſecula ſempiterna. Amen.

IN FESTO S. ANTONINI Archiepiſcopi Ordinis Prædicatorum.

Quis mihi tribuat, vt ſim iuxta menſes priſtinos, quando lauabam pedes meos butyro, & petra fundebat mihi riuos olei. Iob. 29. c.

CONCIO.

De beneficentia S. Antonini.

SOL, Deorum cœleſtiū Maximus, ideo a Gentilibus nuncupabatur, quia omnium beneficentiſſimus eſſet. Si detrahas beneficium, *inquit Seneca*, non erat idoneum oculis ſpectaculum, ſi otioſum ſidus tranſcurreret. Cæterum quia preces aut blandimenta non expectat vt exoriatur, ſed ſtatim fulget & ab omnibus ſalutatur: neque plauſus, aut laudes requirit vt benefaciat, ſed ſponte ſua, ſuperioribus & inferioribus ſe affundit, ideo inter ſidera primatum habet. Ita etiam inter homines, is maximus, & prope Diuinus habetur, qui beneficus in compares, illud ſecum volutat. Hunc ego locupletauero; huius dignitati aliquid ſplendoris affundam, hunc a calamitate liberabo. Maximus ſui temporis inter Orientales Iobus, quia patiebatur beneficentiæ pinguedinem, in ſuppedaneos deriuari. Sed non minor Diuus Antoninus, vir vt Cōſiliorum, ſic & Beneficiorum, rite ſalutandus. Id vero quomodo pręſtiterit, in præſenti propalabo.

hierogl. beneficentia. Sol.

Butyri, olei, & id generis pinguedinum nomine, beneficentia ſignificatur, in ſacra Scriptura. Cauſa eſt in promptu. Quia vt illa ſupernatant cæteris liquoribus, ſic beneficentia pręſtat omnibus virtutibus.

hierogl. benefic. butyrum & oleum

vt

vt pinguedines ſuapte natura diffuſiles,amant deriuari: ſic bonitas gaudet, & procurrit diffundi. Quamobrem Vates prædicebat de Saluatore,quia *butyrum comedet.* alius vero in eundem concinnebat. *Vnxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præconſortibus tuis*: non ob alium niſi beneficentiæ finem,vt ipſe explicat. *ad annunciandum manſuetis miſit me: vt mederer contritis corde, & prædicarem captiuis indulgentiam, & clauſis apertionem. vt conſolarer omnes lugentes, vt ponerem lugentibus Sion, & darem eis coronam pro cinere, oleum gaudij pro luctu. pallium laudis pro ſpiritu mæroris.* Olei itaq; & butyri nomine, beneficentia deſignatur. Porro pedum vocabulo pauperes infimiores, vel infirmiores notantur. Ita Auguſtinus exponebat. Pedes,*inquit*,Chriſti qui ſunt, niſi per quos peragrauit totum mundum? Quam ſpecioſi pedes eorũ, qui annunciant pacem, qui annunciant bona? Pedes ergo Domini quanti ſuſceperunt, vt ſuſcipiendo iuſtum in nomine iuſti, mercedem iuſti acciperent,& ſuſceperunt Prophetã in nomine Prophetæ, vt mercedem Prophetæ acciperent. Nam *quicunque potum dederit*, inquit, *vni ex minimis iſtis,calicem aquæ frigidę tantum,in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.* Qui ergo tali humanitate pedes Domini ſuſcipit, quid impendit, niſi quę habebat in domo ſuperflua? Merito quia capilli quia ſuperflui ſunt, inde Magdalena pedes Domini detergebat. Superflua tua, neceſſaria fiunt tibi, ſi inde fueris obſecutus pedibus Domini.

Expl. loc. Iob 29. de benefic. Hinc habemus ſenſum optatę orationis Iob. dum orat, vt ſit iuxta menſes priſtinos,quando *lauabat pedes butyro,et petra fundebat illi riuos olei.* quod nihil aliud poſtulet, quam vt affluẽtia bonorum tum ſpiritualium quæ per oleum, tum terrenorum quæ per butyrum deſignantur, quibus olim ditiſſimus fuerat, tanta etiam tunc ſibi afforet, vt ſicut antea, ita & nunc cum in ſterquilinio ſederet, poſſet Dei pedes, ſcilicet pauperes recreare. oleo doctrinæ illuminando in tenebris errorum ſedentes; butyro eleemoſynę refocillando, in miſerijs & ſquallore cõſtitutos. Beneficentia enim omniũ virtutum pręſtantiſſima. hęc felicitatis comes. hęc aſſidet Deo, & magna eſt cum ipſo neceſſitudine coniuncta.

Præclare *Seneca*. Quomodo mũdi officium eſt, circumagere rerum ordinem: quomodo Solis loca mutare,ex quibus oriatur,in quæ cadat, & hęc ſalutaria nobis facere, ſine prẽmio: ita viri officium eſt inter alia,& beneficium dare. Diuus autem *Ambroſius* docebat. *Lib. 1. off. c. 11.* Nihil,*inquit*, tam commendat Chriſtianam animam,quam miſericordia. Primũ in pauperes, vt communes iudices partus naturæ, quæ omnibus ad vſũ generat fructus terrarum, vt quod habes, largiaris pauperi, & conſortem, & conformem tuum adiuues. Tu nummum largiris,ille vitam accipit. Tu pecuniam das,ille ſubſtantiam ſuam ęſtimat. Tuus denarius, cenſus illius eſt. Ad hæc plus ille tibi confert, cum ſit debitor ſalutis. Si nudum veſtias, teipſum induis iuſtitiam. Si peregrinum ſub tectũ inducas tuum, ſi ſuſcipias egentem, ille tibi acquiret Sanctorum amicitias & ęterna tabernaculá.Non mediocris iſta gratia. Corporalia ſeminas, & recipis ſpiritualia. Miraris iudiciũ Domini de Sancto Iob? mirare virtutem eius qui poterat dicere, Oculus eram cęcorum, pes claudorum.

Ego eram infirmorum Pater,vel-

leribus

lctribus agnorum meorum calefacti ſunt humeri eorum. Foris non habitabat peregrinus. Oſtium autem meum omni venienti patebat. Beatus plane, de cuius domo nunquam vacuo ſinu pauper exiuit. Neque enim magis quiſquam beatus, quam qui intelligit ſuper pauperis neceſſitatem, & infirmi atque inopis ærumnam. In die iudicij habebit ſalutem a Domino, quem habebit ſuæ miſericordiæ debitorem.

Beneficentia augétur beneficia.

Neque tantum in illo die, ſed etiã in præſenti, magno ſeipſum beneficio afficiet, quiſquis pauperi benefaciet. Pro ſimplo enim quod diſtribuet, centuplum accipiet. Acceperunt multi, & dabo aliquot exempla. Sabba monachus, dum Hilarionem abbatem, cum trium milliũ Monachorum comitatu venientem excipiens, in vinea ſua ad vuas, quæ iam maturæ erant inuitaſſet. & omnes earum paſtu refocillati eſſent: vſq; adeo multiplicatum inde collegit fructum, vt vinea quæ integra centum lagenas æſtimata fuerat, depaſta, trecentas redderet. Iodocus cum ad fluminis ripam in ſolitudine ſibi domicilium cõſtituiſſet, vno duntaxat diſcipulo contentus, partem quartam panis, quem tunc vnicum habebat, mẽdicanti dedit: mox iterum, & tertio, & quarto, diuerſo ſemper, ne agnoſceretur, habitu petitum reuertenti ſemper partem largitus, nihil ſibi, neque diſcipulo, niſi certam in Domino ſpem dereliquit. Et dum hæſitantem diſcipulum conſolatur, ne de victu dubitaret, ei ſeruiens, qui irrationabilia quoque paſceret animalia, aſpiciunt duos lembos proximæ ripæ appliciuiſſe, vectore nullo. Cumq; comperiſſent omni cibariorum genere, quo ipſi veſci ſolebant, plenos, Deo gratias egerunt, qui pro vno pane pauperi dato, tam vberem alimentorum copiam ſibi ſine cunctatione prouidiſſet.

narratio de Sabba Abbat.

de Iodoco

Epiphanius etiam Cypriorum metropolis Salaminę Epiſcopus, facultates ſuas pauperibus diſtribuit. Ad eum tanquam ad communem æconomum pecuniæ quæ pauperibus darentur, vndique mittebantur. Quodam tempore cum totum exhauſiſſet Eccleſiæ ærarium, Eccleſię œconomus ægre id ferebat, & prodigum appellabat. At non multo poſt incerto authore loculi auro referti, in ædes œconomi illati Diuino teſtimonio, Epiphanij pietatem confirmarunt. Reuera Magnus quæſtus eſt, benificentia in pauperes.

de Epiphanio.

Hanc virtutem inter cęteras Diuus Antoninus ſectatus eſt, & cum quidem eſſet vir inſigni doctrina, tum deinde dignitate Archiepiſcopali illuſtris, oleo doctrinæ illuminabat, butyro autem beneficentię recreabat ſuos Florentinos. Propter olei exuberantiam vir Conſiliorum ſalutabatur. Propter miſericordię butyrum, vir Miſericordiarum nũcupabatur. Hoc balſamo inunctus, cum Eccleſię ſuę pręfuiſſet & profuiſſet, Sanctorum cętui ſe inſeruit, factus ſicut oliua fructifera in domo Dei: ad quam aſſumptus viuit in ſecula. Amen.

S. Antonini beneficentia.

IN

IN FESTO S. CATHERInæ Senen. Ordin. Prędicat.

Dilectus meus deſcendit in hortum ſuum, ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. *Cant. 6. c.*

CONCIO.

S. Chatherinæ virtutes ex Hierogl. lilij.

HORTVM amęnitatis Diuinę, Eccleſiam inferiorem, nonnemo recte appellauerit. Appellauit Magnus quidam. Hortus, *inquit*, ſancta Eccleſia exiſtit; quia dum populos multos in fide gignit, quaſi flores pulchros bona terra emittit. Qui hortus concluſus bene eſſe dicitur: quia charitatis vallo circumquaque munitur, ne intra numerum electorum reprobus aliquis ingrediatur. In hoc horto, hortulanus ille cęleſtis ſemper adeſt, varia ſemente conſerens ſuos puluillos. tum deinde flores vernantes, omnigenę pulchritudinis animas decerpens, inque conditorium Regni cęlorum transferens. has roſas martyrio punicantes, has violas conuerſatione cęleſti purpurantes, hæc lilia nitenti caſtimonia candicātia. Inter quę lilium venuſtiſſimum, Catherina Senenſis, quod hodie Eccleſia odoratur & & adorat. Quam recte per lilium adumbrata? paucis expedio.

Gregorius in 4. c. Cant. Eccleſia hortus cõcluſus.

Lilium, vt Plinius ſcripſit, *roſæ nobilitate proximum eſt, & quadam cognatione. Nulli florum excelſitas maior interdum cubitorum trium, languido ſemper collo, & non ſufficiente capitis oneri. Candor eius eximius, folijs foris ſtriatis, & ab anguſtijs in latitudinem paulatim ſeſe laxantibus effigie calathi, reſupinis per ambitum labris tenuique filo & ſemine, ſtantibus in medio crocis. Ita odor colorq. duplex, & alius calycis, alius ſtaminis, differentia anguſta.* Explico & Diuę Senenſi applico.

lib. 21. c. 5. hierogl. Virginitatis liliū.

Florum flos eſt roſa; ſanctorum Sanctus Ieſus. *Roſæ, & nobilitate & cognitione proximum eſt lilium:* & nobilitate & agnitione proximiores Virgines Chriſto. Nobilitate. ille virgo ex Virgine matre: Virgines ex Virgine, mente & carne. Et hinc cognatio virginitatis. vt qđ ille ab æterno per naturam virgo de Virgine patre, & in tempore, per dignationem, virgo ex intacta matre; demum & flos illibatus in Virgine carne: ſic & Virgines idē per gratiā in Virgine carne. Talis Diua Senenſis, quæ vix in carne apparuit, Diuinam cognationem cupide exambiuit. Nondū enim tenellos agreſſa annos, vt eſt in hiſtoria, exemplo Sacrę Deiparæ virginitatem ſuam voto nuncupato, Deo in perpetuum conſecrauit.

Virginū 1. nobilitas.

Lilio inter flores *excelſitas quam maxima: quæ interdum eſt cubitorum trium*. Poſt Ieſum nullæ animæ excelſiores, quam Virginum. Inter eas eminet Diua Deipara Maria, quæ ad ipſum Trinitatis ſubſellium proximè aſcendit. Sunt & alię mentes excelſę atque ſuper vulgarem magnitudinem eleuatę, quibus non infimior eſt Diua Senenſis ſtatu virgineo quem virgineis exornauit virtutibus.

2. excelſit.

Candore niueo nemini florum cedit flos lilij; Catherina nemini puritate mentis, quam ſtatim ab ipſis cunabulis illibatam ſeruauit. Carnis puritas ſi ſola eſt, ignobilis cenſetur. Oportet huic extimæ niui, iunctam eſſe intimam, linguæ, auris, oculi, & penitus cordis.

3. candor et purit.

Pulchre Hieronymus. Pro ſigno,

Digitized by Google

inquit, ſunt interioris hominis verba erumpentia. Libidinoſum enim qui ſua verba & vitia celat callide, interdum turpis ſermo demonſtrat, vultuque & oculis diſſimulari non poteſt conſcientia, dum luxurioſa & laſciua mens lucet in facie, & ſecreta cordis, motu, corporis & geſtibus indicat.

cui ſeruādæ infra ſcripta pręcepta.

Philoſophorum quidam, cum aſpexiſſet quendam adoleſcentulum *loquere*, inquit, *vt te videam*. Nimirum innuens, indicem eſſe mentis linguam. Si hæc pudica, & animus pudicus: ſi lubricans in luxuriæ cęnum, & mens non procul a ſorde. Ex abundantia enim cordis os loquitur; Sicut bulliens olla ex intrinſeco ſpumat.

Linguæ itaque ſordes, oportet abſtergat, qui caſtus corpore audit. Neque huius tantum, ſed & auris. Recte a quodam pronunciatum eſt. Qui caſtus & purus eſt, caret aurium macula. Scilicet, nihil admittit quod titillat. Seneca docebat. Sapiens eris, ſi clauſeris aures ego aio, caſtus eris, ſi idem feceris. Parum eſt ceram obdere auribus, firmiori ſpiſſamento opus eſt, quam vſum in ſocijs Vlixem ferunt. Non hic ex vno ſcopulo, ſed ex omni parte vox blanda, ſed timenda circumſonat, neq; vnus ſed omnes loci inſidioſa voluptate ſuſpecti pręteruehendi ſunt. Ideoque Virginem oportet eſſe ſurdam, etiam amantiſſimis. Sed pręſtat Auguſtinum audire, doctorem Virginib. hæc ſaluberrima monita inſtillabat, quæ ſi obſeruāt, ſunt Virgines: ſi non, nec illæ quod videri volunt.

epiſtola 31.

lib. de Sobrietate & virginitate.

Dominica, *inquit*, virgo debet agnoſcere quibus pręceptis conueniat inſiſtere, vel a quibus vitijs debet abſtinere, ſi vult & in ſeculo poſita cum Deo, & cum eodem poſt huius vitæ reſolutionem in claritate cæleſti regnare.

1. Dominica virgo primitus publicos debet vitare conſpectus, & platearum frequentiam declinare, atque in domo poſita lanificio inſiſtere, vel lectioni Diuinę.

2. Dominica virgo in fæminarum laicarum conuentu conſidens, vel conſiſtens ne verbis ſcurrilibus, neque lubricis earum aut canticis pręſentiæ tuę copiam facias, ſed magis fugias, oculos tuos aureſque concludas, ne Dei timore priuata, diabolicas cogitationes ſenſibus tuis immittas, quibus in breui forte diſpereas.

3. Dominica virgo, nec ornatu capitis, nec habitu comæ, nec oculis erectis aut lætis, ſed pronis ad terram cum vultu procedat; ne in ſcurriles indurata amores, & ſi ipſa non pereat alijs cauſa perditionis exiſtat. Oculorum enim cupiditas, quos animæ interitus faciat, Euangelica nobis vox pronunciat. Math. 5.

4. Dominica virgo ab omni inuerecundo ſermone vel riſu ſe debet penitus abſtinere, & cum ſilentio & diſciplina, omnem vitam ſuam ornare.

5. Dominica virgo quæ vultum ſuum ob ſpendorē genarum aliquo fuco infecerit, in Eſaia Propheta de filiabus Sion promiſſam ſententiam pertimebit. Eſaiæ 3.

6. Dominica virgo, vt de viduis Apoſtolus docet, aut ſermone garrula, aut loquaciter verboſa, vel curioſitate ſuperflua, caſta non poteſt iudicari, imo proſtituta ad luxuriam.

7. Dominica virgo nulli te virorum cuiuslibet ætatis ſine grauiſſimarum mulierum præſentia, ſingulari habitaculo vel colloquio credas; & cum ſola in tabernaculo conſiſtis, clauſis ſuper te ianuis ſedeas, nullique virorum pulſantis facile ianuam

nuam

nuam tuam pandas, ne forte in ſuſpicionem turpiſſimam, aut in pudoris tui naufragium cadas.

8. Dominica virgo male docentis, miſerabiliſque vitę fęminæ, aut aliquando ſiniſtra opinione vexatæ, conſortium colloquiumque declina; quoniam corrumpi mores bonos colloquijs malis, Paulus Apoſtolus docet.

9. Dominica virgo ob extinguẽdas libidinis vel omnis laſciuiæ flammas, ieiunijs & abſtinentiæ debet operam dare, orationibus die noctuque inſiſtere, ſi cupit & laqueos & inſidias Diaboli inſidiantis euadere, & ad promiſſa virginitatis præmia peruenire.

10. Dominica virgo non neſciat, ex conuiuali colloquio inoleſcere libidinis vitia, & exinde ad fornicationis venire peccata ideoque a conuiuijs quantum poteſt declinet.

11. Dominica virgo, vt cito concludam, ab omnibus illecebris gulę abſtinens eſſe debet, & parco victu & potu debet eſſe contenta, & honeſta taciturnitate ornata.

12. Dominicam Virginem, Dej beneficium eſt, iraſci neſcire, noſſe magis iracundiam cohibere, cunctis benignam exiſtere, oculis non annuere, dolo & malitia linguam non fabricare, alienę domus ſecreta nõ auſcultare, ſcandalum nulli apponere, nec inceſſu notabili, nec nutu aut dicto molli, nec ocioſitate verbi, nec corpore nec mente peccare.

Hę ſunt formulæ, quę virginibus S. Auguſtinus pręſcribebat. Dicet aliqua, Veſtalibus eſſe dictum, quæ ſuum florem Deo conſecrarunt. Ego intelligo omnibus promiſcue eſſe dictum, quæ eſſe & dici ambiũt Virgines. Namque & apud gentes, Nulla virgo cenſetur, quę non hoc candore tincta, linguę, auris, oculi, & pectoris.

Bonam Deam antiquitas, pręlatam gynęceis fingebat. Hęc autem Varroni adeo pudica, vt extra Gynęceium, nunquam ſit egreſſa; nec nomen eius in publico fuerit auditum: nec virum vnquam viderit, vel a viro viſa fuit. Hem an tales modo? Sed. —— Porro cuſtodię virginalis, ſymbolum Draconem affingebant. quo docerent, Virginem ſi virgo eſſe cupit, cuſtodiam ſui Vnde illud eſt apud Alciatum emblemma Palladis pictę cum Pyllaco Dracone. quod ſubſcriptis verſibus explicauit. *Bona Dea Gynæceis prælata. Macrob. lib. 1. ca. 12.*

Vera hæc effigies innuptæ eſt Palladis: eius.
Hic Draco qui dominæ conſtitit ante pedes.
Cur Diuæ comes hoc animal? cuſtodia rerum
Huic data ſic lucos, ſacraque templa colit.
Innuptas opus eſt cura aſſeruare puellas,
Peruigili laqueos vndique tendit amor.

Virginitatis emblemma.

Vinum aut odora omnia, ſi non cluſeris vaneſcunt; Striatos funiculos ſi a flore lilio detraxeris, defluet: ſic externã ſenſuum cuſtodiam ſi a virgine defloreſcet. Pura quæ ambit audire, debet eſſe labio, oculo, aure, manu, toto corpore, & animo pura. Talit fuit Diua Senenſis ſtatim ab ipſa infantia. Et quidem cum Virginitatem corporis Chriſto deſpondiſſet, hanc vt illibatam conſeruaret omni ratione aduigilabat. Ori ſuo ſigillum perpetui ſilentij impreſſerat, nunquam reſerandum, niſi vel ad orationem, vel ad proximorum vtilitatem, vel ad Eccleſię emolumenta. Aures ſuas ſpinis timoris caſti & Sancti circumſepſerat, ne vermiculorum adrepentium aut aduolantium, greſſibus vel bombis paterent. ſi quando autem Ca- *Catherinę Senen. Virtutes.*

ſpias portas aperiebat, nonniſi vel præci pauperis, vel Eccleſiæ gementis. Oculos non niſi ad Ieſum ſuum attolere ſueta. cui vt placeret, ad hãc curam omnes dies & horas appenſas numerabat. & cum ad altiſſimã vitæ perfectionem aſpiraſſet, monitiſque B. Dominici in ſomnis ſibi apparentis, Prædicatorum ordinem profeſſa eſſet, ita ſeueriſſime corpus ſuum coercebat. Imprimis paullatim cibos ſibi detraxit, vt ſolis crudis herbis, deinde nullo penitus cibo, ſola Sacra Euchariſtia, non ſine raro miraculo victitaret. Deinde ferrea cathena nuda latera ita conſtringebat, vt propemodum carni concreta videretur. Deinde, ferreo flagello ſeſquihoræ ſpacio, ſingulis noctibus adeo acriter ſe affligebat, vt ſanguis ab humeris ad terram vſque manaret. Præterea, domandæ carni horam vix dimidiam per biduum integrum dormiebat; reliquum temporis ſpacium in oratione & contemplatione conſumebat. Euolabat tanquam puriſſima columba, alis inargentatis meditationis, ad fluenta limpidiſſima, ab ipſo Diuinitatis throno profluentia, vel inalbabat mentem a claritate omnipotentis Dei ſyncera, vel inebriabat ſpiritum, a torrente voluptatis Diuinæ, vel ſe inſpiciebat effigiatam, in ſpeculo liquido & ſolido bonitatis ſupernæ. Sicque reſidens iuxta torrentes melleos ſuauitatis Cæleſtis, corpus pęne enectum, a carne auertebat, Virginemque ſe & corpore & animo conſeruabat.

4. *Sex Virtutes neceſſariæ, quæ etiã in Catherina.* Liliorum flores ornantur, *ſtantibus in medio crocis*: Sex ſtaminibus protenſis ſextili auro, ornabatur Catherinę candor. Sapientia, prudentia iuſtitia, humilitate, modeſtia, fortitudine. *Sapientia* præter ſexum & ętatem. Cedant huic Sybilę Vates, Hortenſię eloquentes, Hypathię doctrina inſignes; omnes enim has ſuperat Catherina Senenſis. cuius vaticinia non ambigua ſed certa: dictiones non ſuadẽtes ſed perſuadentes; doctrina non de aſtris minus certa, ſed de Deo nimis certa. Prædixerat poſt ſeptem decadas expletas ſedem Apoſtolicam, ſummum Hierarcham recuperaturum. Dixerat & perſuaſerat, imo & deduxerat ad eandem ſedem Gregorium eius nominis XII. Pont. Summum. Olim in Sacris promiſſum. *expli. loc. Iud. 1. de ſcientia & ſapientia.* *Qui percuſſerit Sepher Axam ei dabo. Sepher Ciuitas eſt literarum: Axa* dicitur, *adornata*. Huic, pro dote aſſignatur, *irriguum ſuperius & inferius*. Significat. Qui huius ſeculi literaturam contempſerit, atque ad ipſum Deum os aperuerit, adimplebitur adornata Diuiniore ſcientia. quę & a ſuperiore ſcaturigine & ab inferiore eructatione fluctuat. Scilicet quæ & contemplatur Altiſſima in Diuinis, & diſpicit inferiora in humanis. Vtroque irriguo affluens Senenſis ab hac pugna Sepher. Irriguum ei ſuperius, ex vulneribus Crucifixi, in membra crucifixi: irriguum ei inferius ex vlceribus ſpoliatorum, in vulnera crucifixi. Quid illud eſt ſchiſma Florentinorum, quod Catherina prudens intercepit? Quid & membra quæ diſciſſa, ſuo corpori reſarciuit?

Iuſtitiam huius, præter decora fæminea quis dixerit. immerito. Iuditha, Pontifices ſummos docet, arguit, monet. Non mirum ſi etiam Senenſis Diuiniore mente docta, doceret, quid cuiq; ſuum tribuatur. Sub cinere illo humilitatis occulebat ignes, quos exerebat in errantes, in peccatores. Quos? Sed —— Profluebant a liquido canali pectoris, flammæ non flumina, quas in vitia eiaculabatur. At quia hæc mommus carperet, ad *Humilitatem* tranſeamus,

Digitized by Google

ſeamus, quæ huic demiſſa. Fuit inſigni ſanctitate, cum Chriſto & Diuis cælitibus familiaritate, tamen infimam ſe cenſet. Apparuit illi Ieſus aliquando, aureum diadema, & ſertum ſpineum proferens & offerens *Cape*, inquit, *vtrum vis. Namque licet. & hoc aureum ſi meritis præmium, & hoc ſpineum ſi præmijs meritum accumulare placet.* Indignam ſe pręmio cenſet, quæ adhuc in merendo non ſibi ſcia. Coronas deſpuit, quæ iam fere in meta. Pręoptat ſpinam auro, merendi rationem præmiorum theſauro. *In hoc vere & flore æui*, ait, *eſt quam ſementem facio, cuius fructum ætate aduentente demeto.* Ab hac humilitate intranea, pudor & *Modeſtia* illi quæ maxima. Rubor ipſe non rubet, ad huius pudorem: & modeſtia immodeſta eſt ad eius modeſtiam. *In lilio vigor fluidus & non diuturnus*, in Catherina hæ & alię virtutes perennantes. Radium a Sole facilius decerpſeris, lumen ab eodem citius extorſeris; lilium prius corrupetis, quam Catherinę aliquam virtutem. Quam adeo deperibat Ieſus, *qui paſcitur inter lilia*, vt ſine Chatherina vix eſſe poſſet, qui nunquam abeſt a choris Angelorum. Tantam eam dignatus eſt familiaritate, vt frequenter ſolus cum illa per cellam deambulans, vicibus alternis diceret Pſalmos. Argumentum id erat pręſentiæ Chriſti. Cum enim ipſa pronunciatura eſſet, *Gloria patri*, ad Chriſtum inclinata dicebat, *& Tibi & Spiritui ſancto*. Aliquando etiam Chriſtus cum Sanctiſſima matre, alijſque ſanctis illi apparens, ſibi eam Diuina quadam ratione deſponſauit: cuius etiam corpori pretioſa ſua quinque vulnera, alio tempore mirabiliter impreſſit. Nihil mirandum. Nam totam ſe Chriſto Ieſu explicauit ab eo compellata. *Pone me, ſicut ſignaculum ſuper cor tuum, ſicut ſignaculum ſuper brachium tuum.* Lilij flores ab anguſtijs in latitudinē ſe pandunt, paulatim ſeſe laxantibus folijs effigie calathj, quod videmus: videntur eſſe quaſi ſinum expandentia ſpirituj cæleſti hauriendo. Tale pectus Chaterinæ, parte qua cœlum qua Chriſtum petebat, patebat. ideoque Chriſtus tam auidæ, tam repandæ ſeſe inſinuauit, & vulnera quæ pro noſtra tulit ſalute, eius corpori virgineo, lumine non ſanguine micantia adimpreſſit. Non alijs inuidemus notas Chriſti ſanguineas. Huic merito gratulamur ſidereas. quibus ſponſam ſideream, ſideribus ſcilicet dignam inſigniret. vt eſſet in terris lilium, in cælis & ſidus & lilium, qua cum delicietur, ſiderum & liliorum auctor Ieſus, *qui paſcitur inter lilia* æternantia. Amen.

6. deſiderium cæleſtium.

IN FESTO SS. PHILIPPI & Iacobi Apoſtolorum.

Qui ſunt iſti, qui vt nubes volant?
Iſai. 60. c.

CONCIO.

Sancti nubium hierogl. apte ſignificantur.

LVX illa immenſa Deus, & ſi lucem habitet inacceſſibilem; amictus lumine ſicut veſtimento, nunquam tamen Solem ſuum ſublunaribus exerit, ſine nube. Cæcutirent a fulgore, vrerentur ab ardore, qui nimius a maximo illo Sole. *Nubes & caligo in circuitu eius*, inquit Pſaltes. & alibi idem. *Poſuit tenebras latibulum ſuum, in circuitu eius tabernaculum eius,*

Sol iuſtitiæ non innubis apparere ſolet.

eius,tenebroſa aqua in nubibus aeris. Nube carnis velatus, orbi illuxit: Nubi inſidens leui,deſcēdit in Aegyptum. Nubibus Theophoris inditus & abditus, per orbem radios illuminationū diſtulit. quarum nubiū hodie par ſublime celebramus Philippum & Iacobum. qui quam apte Nubes Theophoræ dicantur, hodie breuiter repādo & diuulgo.

hierog. Apoſtolorū nubes. Nubium locus, ſuprema portio aeris eſt,in qua generantur, & conſeruantur: recte per nubes ſignificari Apoſtolos docet, quod ij, non terræ infixi, ſed conuerſatione altiſſima Cœleſtes. *1. Propter ſublimitatem conuerſationis.* Quam alta hæc eſt Philoſophia, qua illos imbuit Chriſtus: relinquere patrem, matrem, vxorem, filios, agnatos, amicos, & contra hos gladium diſtringere. rurſus abdicare ſe omnibus vitæ commodis, auro, argento, veſte altera, nihil ferre in via, neque peram,neque calceamenta, neq; duas tunicas, deinde abnegare ſeipſum, vt qui tolleret eis tunicam, darent & pallium;percuteret in vnam maxillam,alteram porrigerent cædenti:ſi ſanguinem ſitiret,illi profunderent & animam:inſuper & pro perſecutoribus orarent. Magna hæc ſunt,& ſupra hominem omnia quę tolerare iubebantur, non in cœno ſed in cœlo ſupremam delectationem & felicitatem quęſituri. Miratur Orbis altitudinem quam Paulus ſuperauit, ſupra tertium cœlum euectus,& ibi doctus dicere. *Noſtra autem conuerſatio,in cœlis eſt.* illudque famoſum. *Mihi mundus crucifixus eſt, & ego mundo. Viuo autem ego iam non ego, viuit vero in me Chriſtus.* Miratur & ab Iſaia vniuerſus mundus cæteros Apoſtolos,dicens: *Qui ſunt iſti,qui vt nubes volant?* Facti enim erant ſpectaculum mundo,hominibus & Angelis, a ſublimi ratione viuendi, quam tenebant a diſciplina & illuſtratione Chriſti. Nubeculæ ſolent *pro varietate colorum & figurarum, prout admiſtus ignis,aut ſuperat, aut ſuperatur,* *Plin. lib. 2.c.61.* nunc in arcus cœleſtes,quos irides vocamus, nunc in Soles aut Lunas,vel alia cœli lampada,faces,trabes, bolides,clypeos ardentes,coronas,Caſtores, figurari, atque variari. Tales Apoſtoli;præferebant quidem omnes in ſuo animo impreſſam,illuſtrem imaginem iuſtitię Solis,tamen alijs & ſingulis,alij & ſinguli; cœleſtibus fulgoribus radiabant.hic virginitatis coronam,alter clypeum tutelæ,iſte arcum orthodoxo uarię illuminationis, ille Solem vniuerſalis adminiſtrationis, alter alteram a Dei manu impreſſionem pręferebat.

Nubes ſunt quaſi receptaculum Solaris fulgoris: quid tu ſcis(rogat Iobum quidam)*ſi voluerit* Deus *extendere nubes quaſi tentorium ſuum, & fulgurare lumine ſuo deſuper, cardines quoque maris operire?* *Iob. 36.* *2. deportationem Chriſti.* Exponit D.Gregorius. Extendit nubes Dominus, dum miniſtris ſuis viam prædicationis aperiens, eos in mundi latitudinem circumquaque diffundit. Bene autem dictum eſt. *quaſi tentorium ſuum.* Tentorium quippe in itinere poni ſolet,& cum prędicatores Sancti in mundo mittuntur, iter Deo faciunt. Vnde ſcriptum eſt. *Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam,qui prȩparabit viā tuam ante te*, *Malac.3* Et vnde rurſum per Pſalmiſtam dicitur. *Iter facite ei, qui aſcendit ſuper occaſum*, *Pſ. 67.* & rurſum. *Deus cum egredereris coram populo tuo,dum tranſgredereris per deſertum,terra mota eſt.* Deus enim qui per ſemetipſum non localiter vbique eſt, per prędicatores ſuos, in mundi partes localiter ambulat. Vnde etiam per Prophetam dicitur. *Et inambulabo in eis.* Iter quippe

per

Digitized by Google

per agit, dum humanis cordibus eorum ſe eloquio infundit. Atque in hoc itinere tentoria Dei ſunt, hæc eadem corda Sanctorum, quibus quaſi in via quieſcendo tegitur, dum per hæc ad mentes hominum veniēs agit quæ diſpoſuit, & non videtur.

Vnde & rectè nunc nubes iſtæ eius tentorium dicuntur: quia ad nos Deus per gratiam veniens, intra Apoſtolorum & prædicatorum ſuorum mentes operitur. An Paulus eius tentorium non erat, cum ab Ieruſalem per circuitum vſq; ad Illyricum, ad corda mortalium veniens, in eius mente Dominus quieſcebat? Nubes quippe erat hominibus, tentorium Deo; quia quem prędicando infundebat audientibus, hunc inuiſibiliter in mente retinebat. Idem rurſus dum cathenis vinctus Romam peteret Paulus occupaturus mundum; latens in eius pectore, quaſi ſub tentorio ibat Deus: quia & occultus videri non poterat, & per verba prædicationis proditus, iter inchoatæ gratiæ ſine ceſſatione peragebat.

Nubes eius Moyſes extitit, cū priuſquam plebi Iſraeliticæ Ducatum præberet, quadraginta annis in deſerto permanens, & ſublimia appetens, a conuerſatione populi ſegregatus vixit. Sed tentorium Dei factus eſt, cum ad reuocandum populū in Aegyptum miſſus ibat, portans inuiſibilem in corde veritatem, cum omnipotens Deus qui pateſcebat in opere, latebat in corde. Et vbique præſens omnia continens, iter in ſuo famulo in Aegyptum veniens faciebat. Vnde ſcriptum eſt. Iuit Deus in Aegyptum, vt redimeret ſibi populum. *Exod. 15.* Ecce ire dicitur, per cuius circumſcriptam præſentiam cuncta continentur: quia is qui vbique ex maieſtate eſt, quaſi in via greſſus ponit ex prædicatione.

3. *Propter miracula.* A nubibus procedunt, pluuiæ, coruſcationes, fulgura & fulmina: ab Apoſtolis pluuia doctrinæ, coruſcationes miraculorum fulgura, comminationum fulmina decretorum. Vide illud fulmen a Petro diſſiliens, quo Ananiam & Sapphiram proſtrauit: quo Simonem Magum exalauit; quo Sathanam proculcauit.

Vide fulgetra illa miraculorum Apoſtolicorum, Aeneam claudum in pedes erectum, Thabitam rediuiuā, Energumenos euinculatos. alios alijs varijs infirmitatibus olim afflictos, nunc a ſudarijs, nunc a nomine, nunc vel ab impoſitione manuum, vel ab vmbræ inumbratione perſanatos. Vide complutam Orbis vniuerſi aream, hoc ſtillicidio mellitæ atque ignitæ doctrinæ, quæ ab eorū pectoris ſcaturigine depluebat. In omnem terram exiuit fragor pluuiæ eorum, & in fines Orbis terræ ignita eloquia eorum. *Eritis mihi*, inquit Chriſtus, *teſtes* Theophoræ nubes, ab Ieruſalem vſque ad extremum terræ. Tu Petre Paleſtinam, Aſſyriam, Pontum, Cappadociam, Romam irrorabis. Tu Iacobe Syrios, Afros & Iberos irrigabis. Tu Philippe Scythas, Bactros, Phrygas, Perſas madidabis. Vos alij alias cęli plagas, depluetis doctrina, illuſtrabitis miraculis, fulgetroque ad meliorem ſtatum mouebitis. Vt non ſit gens quę ſe a veſtro fluore & fulgore abſcondat.

Aduertit Diuus Gregorius. Sed quia eiſdem, inquit, prędicatoribus, nequaquam ad perſuadendum verba ſufficiunt, niſi etiam miracula addantur, cum dictum ſit a Iobo, *Si voluerit extēdere nubes, quaſi tentorium ſuum*; recte ſubiungitur. *Et fulgurare lumine ſuo deſuper*. Quid enim ſentire fulgura, niſi miracula debemus? de quibus per Pſalmiſtam *Pſ. 143.* dicitur. *Fulgura multiplicabis, & conturbabis eos.* Per has ergo nubes lu-

mine

Digitized by Google

mine ſuo deſuper fulgurat, quia per prædicatores & Apoſtolos ſanctos, inſenſibilitatis noſtræ tenebras, etiã miraculis illuſtrat. Cumque nubes iſtę verbis pluunt; cumque, miraculis vim corruſcę lucis aperiunt, extremos etiam mundi terminos, in Diuino amore conuertunt. Vnde recte ſubditur. *Cardines quoque maris operiet.* Quod faciendum quidem Heliu vocibus audiuimus, ſed authore Deo iam factum cernimus.

4. propter conuerſionẽ gentium incognitarum.

Omnipotens enim Dominus corruſcantibus nubibus cardines maris operuit; quia emicantibus Apoſtolorum & prędicatorum miraculis, ad fidem, etiam terminos mundi adduxit. Ecce enim pene cunctarum iam gentium corda penetrauit. Ecce in vna fide, Orientis limitẽ Occidentis que cõiunxit. Ecce lingua Britannia (Indię, Oriẽtalis, Occidentalis, Meridianæ & Aquilonaris) q̃ nihil aliud nouerat q̃ barbarum frendere, iam dudum in Diuinis laudibus Hębreũ cępit Alleluia reſonare. Ecce quõdã tumidus, iam ſubſtratus Sanctorum pedibus ſeruit Oceanus, eiusque barbaros motus quos terreni principes ferro edomare nequiuerant, hos pro Diuina formidine Sacerdotum ora ſimplicibus verbis ligant, & qui cateruas pugnantium infidelis nequaquam metuerat, iam nunc fidelis humilium linguas timet. Quia enim perceptis cæleſtibus verbis, clareſcentibus quoque miraculis, virtus ei Diuinæ cognitionis infunditur, eiuſdem Diuinitatis terrore refrenatur, vt praua agere metuat, ac totis deſiderijs ad ęternitatis gratiam peruenire concupiſcat.

Vnde hic quoque ab Heliu conuenienter adiungitur. *Per hæc enim iudicat populos.* Per hęc nimirum verba Apoſtolorum & Prędicatorum, id eſt guttas nubium, & per hæc fulgura miraculorum, iudicat populos Deus; quia eorum corda territa ad pœnitentiam vocat. Nam dum ſuperna audiunt, dum mira opera attendunt, mox ad corda ſua redeunt, & ſe de ante actis vitæ prauitatibus affligentes, ęterna tormenta pertimeſcunt.

5. propter Iudiciariam poteſtatem

Conforme eſt huic illud, quod Chriſtus Apoſtolis pollicitus eſt dicens. Sedebitis ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. De quo ſubſellio ita ſecurus Paullus, vt ſe Iudicem Angelorum quoque vna cum alijs pronunciaret. Et Angelos, inquit, iudicabimus. Tãta altitudo eſt harum nubium Apoſtolicarum vt Iudicium Orbis ab eis pendeat. Quid enim illud eſt, quod ijſdem conceſſit? Quorum remiſeritis peccata, remittentur eis: & quorum detinueritis, retenta erunt & in cælis.

Iudicem Vniuerſorum Ieſum, prænunciarunt vaticinia, in nubibus ad iudicium venturum. Credo non in his, quæ in ventum, vel niues aut pluuias abſoluuntur; ſed quæ extra omnem iniuriam cœli perſeuerantes, Cœlis ipſis ſe inſeruerunt: ſcilicet cum Apoſtolis veniens, in his nubibus veniet, iudicaturus Orbem ſuperum & inferum. vt reſpondeat, quod alter Balaam inſcius prædixit. *Per hæc enim* denſata repagula nubium, *iudicat*, & iudicabit *gentes*.

Repeto quod Eliu Dixit. *Per hęc*, inquit, *iudicat populos.* & inquiro in eius Iudicium miſericordię. Fas eſto o Ieſu miſericors, tuas iuſtitias iudicare. Per hęc denſata repagula, Videns & Vrens Sol iuſtitiæ, noſtras ſordes diſpicit & dijudicat, atque ſpiſſima earum charitate obſiſtente, ſeque pro nobis opponente, non tantum quantum meruimus ſe vindicat. Docti ab illa increpatione Dominica, qua ignes flaman-

Digitized by Google

flammantes & voraces de cœlo poſcebant, cohibuit. *Neſcitis cuius filij eſtis. Filius hominis non venit perdere ſed viuificare.* Docti nimirum ab hac monitione Diuina, flammas Diuini furoris, attemperare, non flammas, non fulmina, non tridentes igneos, ſed pluuias ſerotinas, ſed benignitatem Dni prece & meritis prouocare. Per has cortinas Deus iudicans populos, iubet ſtrictũ mucronem ad vaginã redire, calicem igne fumantem in vina & ambroſias abire, furorem in benignitatem conuerti. Beatus qui ab his nubibus, nouit ſibi tentorium excitare. vt a turbine & æſtu Diuini furoris protegatur. Infelix qui abutitur, nec clepit occaſionem ſaluam ſalutis. futurum eſt enim, quos patrocinatores neglexit precari, experietur vindices erroris. Per quas enim cortinas temperat ſpiritum ardoris, per has eaſdem impluet ſpiritũ furibundi furoris. dũ vt ipſe agnus in leonem de tribu Iuda, ſic & illi nubes, in leunculos deformabuntur. Tronus Salomonis ille totus ex eboris candore conſtructus, in gradibus duodecim leunculis proſtantibus, quid ſignificat? Apoſtolos orbis iudices, qui nunc deprecatores pro nobis, tunc contra nos Dictatores. Nunc flammantes gladios imbrida lacrima, & ſanguine olim fuſo reſtinguentes, tunc magis ac magis, *fluuium igneum rapidumque a throno antiqui dierum* profluentem incendentes, atque ipſi leones iram trucem in peccatores ſpirãtes, dente lancinantes, & manus in ſanguine peccatoris abluentes, atque ipſi nubes, ignem, grandinem, niuem, glaciem, ſagittas, ſulphurationem, ſpiritus procellarum, in peccatorũ calicem deſtillantes. Pauetis ad hæc tonitrua ſ a, veſtris pulueribus? Cauete potius, & doctrinam quam ſiderunt ſititore. magis cupidi nubes melliſluas, quam fulminitonas, experiri. Amen.

IN FESTO SS. CRVCIS.

Mihi abſit gloriari niſi in Cruce Domini Ieſu &c.

CONCIO.

In Cruce Chriſti omnis felicitas.

PRIMVS Adam, ligno debet ſuam ſalutem; Orbis vniuerſus ligno aſſignat ſalutem, ſiue illam in Noetica lyburna, ſiue meliorem in Ieſu Prætoria. *Salutem debet ligno mundus.* Adamus poſtquam peccauit, in ligno ſe abdidit; forte præſagus, quia ſicut in ligno corruit, ita ex ligno ſurgere deberet. Factum. & dum Chriſtus, qui vſum ligni inhibuit, in ligno pependit, ſalutem quam ille ſibi & nobis in ligno perdidit, nobis & illi a ligno recuperauit. Quamobrem recte non in aliquo alio glorienaur, *niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti.* A qua vita, ſalus, & felicitas noſtra. Quod hodie demonſtro.

Vlyſſes marinis fluctibus decennio iactatus, (*vt D. Ambroſius hodie concionatur*) cum in locum quendam curſus illum nauigij detuliſſet, in quo Sirenarum dulcis cantus crudeli varietate reſonabat, & aduenientes ſic blanda modulatione mulcebat, vt non tam ſpectaculum voluptatis caperent, quam naufragium ſalutis incurrerent, vt hoc dulce naufragium, & ſuauitatis periculum declinaret, dicitur inſerta cera auribus ſociorum, ſeipſum ad arborẽ nauigij religaſſe. quo & illi carerent pernitioſa, auribus illecebra, & ſe de piculo naufragij curſus auferret. *Vlyſsis ſtratagema.* *Ambroſ. Serm. 55.*

ret. Talis .n. erat oblectatio cantilenę. Sirenarum, vt quiſquis audiſſet vocis ſonitum, quaſi quadam captus illecebra, non iam tendebat ad eum quem volebat portum, ſed pergeret ad exitium quod nolebat. Si ergo de Vlyſſe refert fabula, quod eum arboris religatio de periculo liberarit, quanto magis prædicandum eſt, quod vere factum eſt, hoc eſt, quod omne genus hominum de mortis periculo Crucis arbor eripuit. Ex quo enim Chriſtus Dominus religatus in Cruce eſt, ex eo nos mundi illecebroſa diſcrimina velut clauſa aure tranſimus: nec pernitioſo enim ſeculi detinemur auditu, nec curſum melioris vitæ deflectimus, in ſcopulos voluptatis. Crucis enim arbor, non ſolum religatum ſibi hominem patriæ repræſentat, ſed etiã ſocios circa ſe poſitos virtutis ſuæ vmbra cuſtodit.

vt ligno ad paradiſum

Quod autem Crux ad patriam, poſt multos errores nos redire faciat, Dominus declarat dicens Latroni in Cruce poſito. *Hodie mecum eris, in Paradiſo*. Qui vtique Latro diu oberrans ac naufragus, aliter ad patriam Paradiſi, de qua primus homo exierat redire non poterat, niſi fuiſſet arbori religatus. Arbor enim quod eſt in naui, hoc eſt Crux in Eccleſia, quæ inter totius ſeculi blanda & pernicioſa naufragia, in columis ſola ſeruatur. In hac ergo naui quiſquis, aut arbori Crucis ſe religauerit, aut aures ſuas ſcripturis Diuinis clauſerit, dulcem procellam luxuriæ non timebit. Sirenarum enim quædam ſuauis figura eſt mollis concupiſcentia voluptatum, quę noxijs blandimentis conſtantiam captæ mentis effæminat. Ergo Dominus Ieſus pependit in Cruce, vt omne genus hominum de mundi naufragio liberaret.

Sed vt omittamus Vlyſſis fabulam, quæ ficta non facta eſt, videamus ſi quod in ſcripturis Diuinis exemplum ſimile, poſſumus inuenire, quod Dominus per ſemetipſum poſtea completurus, per Prophetas ſuos ante promiſerit.

expl. typus Nume. 21. de Chriſti Cruce.

Legimus in veteri teſtamẽto cum Moyſes Sanctus filios Iſrael de captiuitate Aegypti produxiſſet, atque idem populos in deſerto, graui a ſerpentibus incurſione liberaret, nec aliqua illis armorum defenſio poſſet obſiſtere, tunc Sanctus Moyſes Diuino repletus ſpiritu, ſerpentem æreum affixum ligno inter medias morientium erexiſſe turbas, & mãdaſſe populo, vt de illo ſigno, ſpem gererent ſanitatis, atque hac re tantam medicinam contra morſum aſpidum proueniſſe, vt quiſquis vulneratus in illam ſerpentis Crucem aut reſpiceret, aut ſperaret, ſtatim remedium ſalutis acciperet. Cuius facti Dominus etiam in Euangelio meminit dicens. Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis. Vnde ſi affixus ſerpens ligno, filijs Iſrael contulit ſanitatem, quanto magis ſalutem, præſtat populis, Dominus in Crucis patibulo ſuffixus? Et ſi figura tantum profuit, quantum prodeſſe credimus veritatem? Serpens igitur primus crucifigitur. Recte plane; vt quia primus apud Deum peccauerat Diabolus, primus Crucis ſentẽtia feriretur. In ligno enim crucifigitur: rationabiliter factum, vt quia homo in Paradiſo, per arborem concupiſcentiæ deceptus fuerat, nunc idem per ligni arborem ſaluaretur: atque eadem materia, quæ cauſa mortis fuerat, eſſet remedium ſanitatis. Deinde poſt ſerpentem in Saluatore, homo ipſe crucifigitur, ſcilicet vt poſt auctorem puniatur & facinus. Per primam enim

typus ſatanæ effigati in Cruce Serpens in ligno ſuſpenſus

Crucem

Crucem vindicatum eſt in ſerpentem, per ſecundam in venena ſerpentis: hoc eſt, primum ipſe auctor punitur, deinde eius malignitas condemnatur. Virus enim quod perſuaſione ſua in hominem transfuderat, nunc reijcitur, nunc curatur.

Nam cum homo paſſioni addicitur non morti traditur, ſed mortis in eo facinus emendatur. Hoc enim egit, Dominus per hominem ſuſcepit, vt dum innocens patitur, præuaricationis illius diabolicæ in eo obedientia corrigatur, & deinceps liber à culpa fieret, ac liber eſſet a morte. Habentes igitur Dominum Ieſum, qui nos paſſione ſua liberauit, in ipſum aſpiciamus ſemper, & ipſius ſigno ſperemus noſtris vulneribus medicinam. Hoc eſt. Si forte nobis venenum auaritiæ ſe diffundit, ipſum conſideremus & ſanat. Si ſcorpionis nos libido compungit, ipſum rogemus & curat. Si terrenarum cogitationum, nos morſus lacerant; eundem præcemur & viuimus. Hi enim ſunt ſpirituales ſerpentes animarum noſtrarum, propter quos conculcandos Dominus noſter crucifixus eſt, de quibus ipſe ait. *Luc. 10* Super ſerpentes & ſcorpiones ambulabitis, & nihil vobis nocebunt. Itaque *ſalus publica & priuata, a Dominica Cruce*.

Salus a Cruce Chriſti. 1.

per imitationem.

Quod ſi requiris, modum, quo vtraque dimanat, aio. Partim ab imitatione, partim a virtute. Felicem, *aiebat Seneca*, qui ſibi cuſtodem aliquem & pedagogum elegit, ad cuius memoriam ſe componat, atque ordinet. Qui, inquit, ſic aliquem vereri poteſt, cito erit verêdus. *epiſtola 11.* Quamobrem monebat. Elige, *ait*, aliquem cuius tibi placuit & vita, & oratio, & ipſius animum ante te ferens & vultus, illum ſemper tibi oſtende, vel cuſtodem, vel exemplum. Opus eſt enim aliquo, ad quem mores noſtri ſeipſi exigant. Niſi ad regulam, praua non corriges.

At quem magis eligere par eſt, quam illum qui eſt *Electus ex millibus*? Cuius oratio magis ſuada? Cuius vultus magis ad honeſtatem natus? Cuius vita ad Cenſuram exacte probata, vt Ieſu Saluatoris Crucifixi? Iactet Gentilitas illud nimis ſuperbum; *Valeriani vita, cenſura eſt*. Affingant palpones quibuſdam illud ex triuio. *O virum! natum ad exemplar modeſtiæ & virtutis*. Alij, alios, Ideas ex mente Iouis decerptas promulgent. Deceptas dixiſſent, vel etiam decerptas ſi lubet dicãt, ſed ab Iouis illius impuri, ad omnem impuritatẽ proſtitutam imaginem.

nam indicat omnes virtutes.

Chriſtus ſolus & vnicus eſt IMAGO & Figura Bonitatis Diuinæ. Ipſe ſolus Sol innubis & illimis, ſine peccato. Ipſe idem Speculum ſine macula, in quo omnes omnium virtutũ colores præſentantur. Ab ipſo diſces fundamentum virtutis humilitatem. Namque humiliauit ſemetipſum, factus obediens Patri vſque ad mortem. Quanta hic farrago virtutum ex hoc granulo erumpit? Humiliauit ſemetipſum? Itaq; aures ſibi præcluſit, & iubẽti Deo aperuit: itaque ex humilitate obedientiam didicit, & ab hac eadem deſpicientiam ſui, patientiã iniuriæ, manſuetudinem cordis, tolerãtiam mortis, denique perſeuerantiam vſque ad mortem. Vides, quanta diſciplina, ab hoc excelſo ligno? Poſſum dicere hoc, lignum eſſe Arborem vitæ; inſuper & aliam illam, ſed non iam interdictam, ſcientiæ boni & mali. Vitæ quidem, a qua vitæ prorogandæ, & melioris inchoandæ ſemina decipias: Scientiæ autem, boni, quod ſequaris; mali vero quod, vel fugias ſi vere malum, ſempiternum adducens malũ; vel ſuſtineas,

Digitized by Google

ſi, ad palatum malum, ſempiternas promerens coronas. Didicit in hoc ligno Chriſtus, ex his quæ paſſus eſt obedientiam, vt exaltaretur: didicit & in eadem exedra, ab hac quam paſſus eſt carnificina, miſeriam peccati, ne delaberetur: tu indidem diſce vitare, diſce & ſuſtinere. Vitare, vt euites inferni pœnas, quã amplius vitare non poſſis; ſuſtinere autem modicas calamitates, quas dum forti animo perpeſſus fueris, diſces illud proloquium Paullinum. *Non ſunt condignæ paſſiones huius temporis, ad futuram gloriam, quæ reuelabitur in nobis.* A Crucis ſtipite hauſit Chriſtus vitam; ab eodem & tu hauries ſalutem, ſi illud Paulli Apoſtoli audieris: *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit a peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, vt ne fatigemini animis veſtris deficientes.* Sed hanc imitationis particulam, concludo cum D. Gregorio. Chriſtus in paſſione patientiam exhibet, humilitatem cõmendat, obedientiam implet, charitatem perficit; his virtutum gemmis quattuor cornua crucis ornantur, & eſt ſuper omnia charitas; á dextris obedientia, a ſiniſtris patientia, in profundo radix virtutum humilitas. Diſcite exemplum, & viuificamini.

Hierogl. Crucis inuenta in templo Serapidis lib. 12. c. 26.

Nicephorus refert, quum Alexandriæ templum Serapidis ſolo æquaretur, & parietes euerterentur, Hieroglyphicas formas & characteres ſigno Crucis perſimiles, ſaxis inciſas apparuiſſe. Dei verbum per Aegyptios Sacerdotes, quod ante per Balaam fecerat, & quod poſtmodũ quod per Caipham prælocutus fuerat, idem prænunciauit. ſcilicet Principem tenebrarum tunc ceſſurum, mortemque adeo ipſam tunc morituram, cum vita lux mundi, in Cruce defixus appareret, & mortem ipſam ſua morte deſtrueret.

2 per virtutem.

Ab arbore vitæ manabat fluor vitalis, quem ſi prægustaſſet Adam, poterat non mori, ab eius virtute; ab hoc ligno viuifico profluit ipſa vita vitalis, quam ſi lambit moribundus, poteſt vitam prolongare, nedum illam meliorem, quæ nobis & Angelis communis eſt, ſed & iſtam, quam viuimus cũ ipſis animãtibus brutis.

Do exempla a peſte, ab igne, ab hoſte, a morbo, a Dæmonibus, eam corripientibus, eripi virtute Crucis atque prorogari. A peſte: vel ipſi Turcæ teſtes. Lego apud Nicephorum, huic euitandæ cruce ſignatos

Miracula a ligno Crucis.

1. Turcos, (verba ſunt Nicephori) quos Choſroes Conſtantinopolim miſerat. Stigmaticos liquato atramento Cruces in frontibus impreſſas Imperator habere cernens, interrogauit, qua nam gratia, quæ non colerent circumferrent ſigna? Illi, grauem ante plures annos in Perſide & patria ſua peſtem coortam eſſe dixerunt, a qua quum multi mortales interfecti interirẽt, Chriſtianos quoſdam, qui ibi fuere, hominibus, ſi hoc feciſſent, ſaluti ſuæ conſulturos eſſe, regionemque eam a tali lue intactam liberamque fore perſuaſiſſe. Idque ita eſſe ab eis factum.

2. Ab igne, profero ex eodem Nicephoro. Quum Apameni vrbẽ Antiochenam iam incenſam eſſe audiuiſſent, Thomam Epiſcopum obſecrarunt, vt viuificum Crucis lignum proferret, atque in medium proponeret. Fecit, expoſuit, lignum ædibus circumtulit; procedentẽ, magna vis reſplendẽtis ignis ſubſequi viſa eſt, non adurentis quidem, ſed qui locum vnde iret, comburere putaretur, index non excitandarum flammarum, quas metuebant.

3. Illud non poſſum præterire, quod nuper Lublini contigit, eo tempore quo Cœnobio S. Stanislai

Ordinis

Ordinis Prædicatorum præerat P. Albertus Secouius ſenior, ad immortalitatem natus. Depaſcebatur Ciuitatem illam feruens incendium, neque remedium aliquod fuerat extinguendo, ſufflantibus vndiq; ventorum turbinibus, niſi ab ipſo Deo, qui fornacem Babyloniã mitigauit. Tum ille pia ad eum oratione profuſa, ſpeque maxima concepta, iuſſit lignũ viuificę Crucis (cuius illic nobile fruſtũ ſeruatur) proferre, & domos quibus incendium imminebat circuire. Factum, & illico ignium globi, non tantum ab his quę intactę, ſed & ab iis quę iam tactę diſſiliebant, ſartaq; tecta relinquebant.

4. Ab hoſte, ſignum Crucis defendit: vel noto illo viſo: *In hoc ſigno vinces.*

5. A morbis multiuariis, tuetur & eliberat; vel noto amuleto Apoſtolorum, qui in hoc ſignaculo ſalutari, ſalutem languentibus impertiebantur.

Niceph. lib. 10. c. 3. 6. A Dæmone euincit: vel Iuliano Apoſtata experiente. Quodam ille tempore, quum celebre quoddam adytum Diuinationis gratia ſubiret, & ſubito ſeſe horrenda quædam ſpectra ingererent, eius rei propter quam ingreſſus fuerat oblitus (ætate enim prouectiore ad idolorum Sacra ſe contulerat) quòd in rebus dubiis & periculoſis, ligno Crucis tanquam præſenti auxilio vti cõſueuiſſet, veluti diſcrimine circumuentus, ad conſuetum præſidium confugit. Per timorem enim ſe Chriſti ſigno conſignauit, & confeſtim omnia euanuerunt. Non enim poteſt ferre auctor tenebrarum & mortis, vitæ & lucis ſignaculum, quin extemplo diffugiat, hominesq; charactere iſto ſignatos vitæ relinquat. Non eſt auſus ad Adamum ligno abditum adrepere, non audet quemcunque Cruce ſignatum attentare. Per lignum ille & Orbis ſalutis olim. Per lignum & nunc quoque omnis ſaluus, qui ſaluus in ſecula. Amen.

IN FESTO S. STANISlai Epiſcopi & Mart.

Fiet vnum ouile, & vnus Paſtor. *Ioan. 10. c.*

CONCIO.

De vnitate Eccleſiæ.

MIRA miranda, ab aduentu Meſſiæ futura, olim prænunciauerat Iſaias. *Habitabit*, inquit, *lupus cum agno, & pardus cum hædo accubabit; vitulus & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos. Vitulus & vrſus paſcentur, ſimul requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas*, & puer paruulus minabit eos. An hoc eſt quod hodie audiſtis; Alias oues habeo quæ non ſunt ex hoc ouili; & illas oportet me adducere, & fiet vnum ouile & vnum paſtor? Iſtud plane. Poſſederat aliam poſſeſſionem non poſſeſſionem, in qua oues non oues, ſed vel leones truces, vel pardi fallaces, vel lupi rapaces, vel vrſi crudeles, vel aliæ beſtiæ immanes. Has, inquit, oportet me in oues demutare, vt cum ouibus meis ſimul conſueſcant, conuiuant, collætentur, ſitque eorum vnum ouile, vnum paſcuum, vnus paſtor. Scilicet vna Eccleſia, vnum doctrinæ & Sacramentorum pabulum, vnus Antiſtes, qui malitia vel innocentia paruulus, ſanctitate Magnus, Prudentia Maximus. Tam maximis præmineat, minetur, & tam diffiormes ducat. De hac vnitate ouilis Eccleſiæ, ab vnitate doctrinæ & Sacramen-

explic. loc. Iſa. 11. de varietate credentium in vno ouili.

mentorum pendente, hodie mihi ſermo.

hierogl. tabella Concordiæ. Aliquis antiquariorum, nuper inuenit tabulam porphireticam, Hieroglịphicis notis inſculptam. *In medio ſurrigebatur Virga, cui bini ſerpentes circumuoluti. Caduceum Poetæ & omnes Orphici appellant, atque Mercurio aſſignant: quaſi iſte duos angues colluctãtes reperiſſet, & virga percuſſos, ſed mutuo ſeſe complexos tuliſſet, vt ſolent depingi. In eadem tabella ab vtroque latere, par elephantum ex modico germine, ex ouis ſcilicet formicarum, ſurgentes protollebantur, & elati in eadem puſilla oua deſinebant. quorum alter craterem igne plenum, alter pelluuium aqua redundans, pone ſe habebant.* Ad calcem inſcriptum erat illud tritum. *Concordia paruæ res creſcunt, diſcordia maximę dilabuntur*. Recte. Naſcetur ex *formicæ ouo* maximus animantium *elephas*, ſi aderit concordia: ſi abierit, idem ipſe deſinet in *formicæ ouum*. *Harebunt* nexu inſolubili ad inuicem, etiam ipſi *angues*, ſi eos *virga vnitatis* continuerit; ſi decuſſauerit, etiam ipſa quę videbatur *ſtabilis virga, in lubricos ſerpentes* abibit. Si deinde *aqua & ignis*, ſuis in vaſculis recluſa, non in ſe mutuo oſcilla labiorum aperient, & hic & illa perennabit: ſi ſe mutuo proritabunt; vel iſte *ardore*, vel illa *fluore*, vterque non diurnabit.

quam voluit eſſe Christus in Eccleſia, quæ vna. Perennare Eccleſiam ſuam cupiuit Ieſus. Ipſe enim quia eſt *hari*, & *hodie*, & in æternum vnus, ideoque vnam eſſe & vnitã voluit, ab Vnitate Doctrinæ, Sacramentorum, & Paſtoris. *1. vnitate doctrinæ & Sacramentorum* Doctrinæ & Sacramentorum vnitatem innuebat, dum prędiceret, *Vitulus & vrſus ſimul paſcentur, & leo quaſi bos paleas comedet.* Scilicet non alia paſcua erunt, diuitis epulonis & Lazari, non alia Regis & coloni, non alia Sacerdotis & laici. ſed quo pabulo doctrinæ vel Sacramentorum reficietur Magnus; eodem & paruus: quo Paſtor, eodem & ouis. pro menſura tamen & modulo *captiuantium intellectum in obſequium Chriſti*. Vnitatem quoque Paſtoris innocui, ſimplicis, Sancti, cæterum Potentis animarum & rerum demonſtrauit dicens. *Puer paruulus Minabit eos*. *2. vnitate paſtoris.* cui nefas erit hylum reſiſtere. *Qui enim huius Sacerdotis imperio, non obaudierit, anima eius peribit de populo ſuo*. Et. *Qui Eccleſiam* per ſuum Caput viſibile, monentem iubentem, decernentem *non audierit, erit ſicut Ethnicus & publicanus.*

Sed ad vnitatem Doctrinæ reuertor, qua vnitas Eccleſia conſtat. *Eph. 4.*

Vnitas doctrinæ in Eccleſia probatur a patrib. Dictum eſt a Paulo. *Vnus Deus, Vna fides. Vnum baptiſma.* Quid clarius contra Nouatores Variantes qui mutant in momenta? Vnus Deus, vna veritas, vna via, vna lux. *1. Clemente lib. 7. ſtromat.* igitur doctrinarum variarum & peregrinarum non auctor, ſed vnius regulæ fidej & doctrinę. Nam cũ vnus ſit Deus (*ita Philoſophatur Clemens Alexandrinus*) & vnus Dominus, propterea id etiam, quod eſt ſumme venerabile (*puta fides*) laudatur ex vnione; & ex eo quod ſit ſolum; & quod ſit imitatio principij, quod eſt vnum. In vnius ergo naturę ſortem cooptatur Eccleſia, quæ eſt vna: quam conantur hęreſes in multa (*intellige. dogmata & hinc ouilia*) diſcindere. Et ſubſtantia ergo, & cogitatione, & principio, & excellentia ſolam eſſe dicimus; quam etiam antiquam & Catholicam Eccleſiam, in vnitatem fidej, quæ eſt ex proprijs teſtamentis, vel potius quæ eſt ex teſtamento, quod eſt vnum diuerſis temporibus; in quibus Dej voluntate per vnum Dominum congregat eos, qui iam

ſunt

Epiſtola 83. ſunt ordinati, quos prædeſtinauit Deus, ante mundi conſtitutionem.

Præclare dixit Seneca. *Cito magnum interuallum fit, inter duos itinere diuerſo euntes*. Noluit Deus ſuos diuerſo itinere incedere, ſed vno. Nam ipſe vnus eſt Pater ſuper omnes, qui vocauit nos in vnam ſpē vocationis noſtræ. Ideo noluit nos interuallis fidej disiungi, ſed quod Paullus docuit, vt eſſemus *ſolliciti ſeruare vnitatem ſpiritus in vinculo pacis*. In cæteris peregrinationibus comprehenſus aliquis limes, & interrogati incolæ non patiuntur errare; (*notat Seneca*) in vita beata *ait ille*. tritiſſima quæq; via & celeberrima, maxime decipit. & quiſq; a via veritatis lapſus, in eā quæ in contrarium ducit, quo citatius fertur longius recedit. ipſa enim velocitas, maioris interualli cauſa eſt. Recte ex noſtris vnus ex patribus qui tradiderunt, hoc eſſe verę diſciplinę & magiſterij argumentum, aſſeruit, *vbi omnes eadem confitentur, nec a ſe inuicem, nec a maioribus diſſentiunt*. Vnum enim vtique (*vt alter docet*) & certum aliquid inſtitutum eſſe a Chriſto, quod credere omni modo debeant Nationes; & idcirco quærere, vt poſſint, cum inuenerint, credere. Vnius porro & certi, infinita inquiſitio non poteſt eſſe: quęrendum eſt donec inuenias; & credendum vbi inueneris; & nihil amplius, niſi cuſtodiendum, quod credidiſti; dum hoc inſuper credis, aliud non eſſe credendum: ideoque nec requirendum, cum id inueneris & credideris, quod ab eo inſtitutum eſt; quia non aliud mandat ſibi inquirendum, quam quod inſtituit De hoc quidem ſi quis dubitat, conſtabit penes nos Catholicos eſſe, id quod a Chriſto inſtitutum eſt. Doctrinam enim (*vt alter demonſtrauit*) & fidem quam accepit, & quidem in vniuerſum mūdum diſſeminata Eccleſia, diligenter cuſtodit, quaſi vnam domum inhabitans, & ſimiliter credit ijs: videlicet quaſi vnam animam habens, & vnum cor; & conſonanter hæc prædicat, & docet, & tradit quaſi vnum poſſidens os.

2. *Athana. de decreto Conc. Nicæni.*

3 *Tertul. de præſcript. c. 9*

4. *Iren. lib. 1. aduerſ. hæreſ. c. 3.*

Nam etſi in mundo loquelę diſſimiles ſunt, ſed tamen virtus traditionis vna, & eadem eſt. Et neque hæ, quæ in Germania ſunt fundatæ Eccleſiæ aliter credūt, aut aliter tradunt; neq; hæ, quæ in Hiberis ſunt; neque hæ, quæ in Celtis; neque hæ, quæ in Oriente; neque hæ, quæ in Aegypto; neque hæ quæ in Lybia; neq; hæ, quæ in medio mundi ſunt conſtitutę, (*neque hæ, quæ apud Antipodas Orientales, aut Occidentales;*) ſed ſicut Sol creatura Dej in vniuerſo mundo vnus & idem eſt; ſic & lumen, & prędicatio veritatis vbiq; eadem lucet, & illuminat omnes homines, qui volunt ad cognitionem veritatis venire. Breuiter, (vt Hieronymus ſuo etiam tempore vidit) & Gallię, & Britannię, & Africa, & Perſidis, & Oriens, & India, & oēs barbarę nationes, vnum Chriſtum adorant, & vnam obſeruant regulam veritatis.

5. *Caſſian. lib. 1. de incar. Domini. c. 6.*

Sufficere itaque debet (vt Caſſianus docuit) ad confutandam hęreſim ſolus conſenſus omnium: quia indubitatę veritatis manifeſtatio, eſt auctoritas vniuerſorum; & perfecta ratio facta eſt, vbi nemo diſſentit. Ita, vt qui contra hęc ſentire nitatur, huius prima ſtatim fronte, non tam ſit audiēda aſſertio, quam damnanda peruerſitas; quia prę iudicium ſecum damnationis exhibuit, qui iudicium vniuerſitatis impugnat: & audientię locum non habet, qui a cunctis ſtatuta conuellit. Confirmata enim ſemel ab omnib.

veri-

veritate, quicquid contra id venit, hoc ipſo ſtatim falſitas eſſe noſcendum eſt, quod a veritate diſſentit. Ac per hoc ſufficere ei etiam id ſolum conuenit, ad ſententiam damnationis, quod diſcrepat a iudicio veritatis.

hæretici ſeipſos dānant. a Damnant ſe itaque a ſe ipſę hęreſes, quibus non eſt vnitas fidej & doctrinę communis cum antiquitate & vniuerſitate Eccleſiaſtici orbis, ſed contra eādem, ingens diſſidiū & diſcordia arte Diaboli procurata. Namque certum eſt, internecinum bellum ſententiarū apud omnes extra Catholicā Eccleſiam eſſe. Sathan enim (*vt D. Auguſtinus aduertit*) videns templa Dęmonum deſeri, & in nomen liberantis Mediatoris currere genus humanum, hęreticos mouit, qui ſub vocabulo Chriſtiano doctrinę reſiſterēt Chriſtianę; quaſi poſſent indifferenter ſine vlla correptione haberi in Ciuitate Dej, ſicut Ciuitas confuſionis indifferenter habuit Philoſophos, inter ſe diuerſa & aduerſa ſentientes. Vbi etſi aliqua vera dicebantur, eadem licentia dicebantur & falſa prorſus: vt non fruſtra talis Ciuitas myſticum vocabulum Babylonis acceperit: *Babylon* quippe interpretatur *confuſio*. Nec intereſt Diaboli regis eius, quam contrarijs inter ſe rixentur erroribus, quos merito multę varięque impietatis pariter poſſidet.

6. Auguſtin. lib. 18. de Ciuit. D. cap. 51.

b Damnant itaque ſe a ſeipſis, ipſę hęreſes, in ſeipſis a ſe & ab auctoribus ipſarum diuerſę. Namque certum eſt variare, *vt Tertullianus obſeruauit*, etiam a regulis ſuis: dum vnuſquiſque proinde ſuo arbitrio modulatur quę accepit, quemadmodum de ſuo arbitrio compoſuit, qui tradidit. Agnoſcit naturā ſuam, & originis ſuę morem, rei profectus. Idem licuit Marcioni, quod Valentino, & idem huic quod Simoni. Idem licuit Lutheranis quod Luthero, idem Caluinianis, quod Caluino. Denique penitus inſpectæ hęreſes omnes, in multis cum auctoribus ſuis diſſentientes deprehenduntur. Singuli enim, *vt Caſſianus vidit*, ex ſimilitudine hęreſeos hæreſim procreantes, omnes quidē a ſe diuerſa, ſed omnes tamen fidej aduerſa ſenſerunt. Qui enim poſtquam noua potius cœpit condere (*vt Hilarius prodidit*) quam accepta retinere, nec veterata defendit, nec innouata firmauit; & facta eſt fides temporum, potius quam Euangeliorum; dum & ſecundum annos ſcribitur, & ſecundum confeſſionem baptiſmi non tenetur.

6. de praeſcript. 42.

7. de incarn. D. 2.

7. Hilarius ad Conſtantium Imper.

Periculoſum nobis admodū eſt atque etiam miſerabile, tot nunc fides exiſtere, quot voluntates; & tot nobis doctrinas eſſe, quot mores; & tot cauſas blaſphemiarum pullulare, quot vitia ſunt: dum aut ita fides ſcribuntur, vt volumus; aut, ita vt volumus, intelliguntur. Et cùm ſecundum Deum vnum, & vnum Dominum & vnum baptiſma, etiam vna fides ſit, excidimus ab ea fide, quę ſola eſt: & dum plures fiunt, ad id cœperunt eſſe, ne vlla ſit.

c Damnata itaque a ſe hæreſis Lutheri, quæ vel in Zuinglianam, vel in molliorem Melanchtonianam deſciuit: damnata Zuingliana, quæ in Caluinianam degenerauit: damnatę quæ in Atheiſmum, demutantur. Damnatæ omnes quocunque nomine cenſentur, quæ dum manentem vnam vnicam Eccleſiæ fidem variant, & acceptam perdiderunt & irreligioſa præſumpſerunt. Vna enim eſt fides vera, in qua, *vt Leo docuit*, nec augeri ab vllo quicquam, nec minui poteſt. Quia niſi vna eſt, fides non eſt: dicente Apoſtolo: *Vnus Dominus, vna fides, vnū* ba-

8. Leo.

baptiſma, Unus Deus, & Pater omnium, qui ſuper omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Huic vnitati inconcuſſis mentibus inhærere, & in hac omnem ſectari ſanctitatem, in hac præceptis Domini deſeruire debemus: quia ſine fide impoſſibile eſt placere Deo. Et nihil ſine illa ſanctum, nihil caſtum eſt, nihil viuum. *Iuſtus enim ex fide viuit.* Quam qui diabolo decipiente perdiderit, viuens mortuus eſt. Quia ſicut per fidem iuſtitia, ita etiam per fidem veram vita obtinetur æterna, in vna Eccleſia Catholica, quæ vna ab hac fidei profeſſione æternum perdurat. Amen.

IN FESTO S. IOANNIS Baptiſtæ.

Ille erat lucerna lucens & ardens.

CONCIO.

S. Ioannes lucernæ Hierogl. ſignificatur.

Lychnus ante propitiatorium.

ANTE propitiatorium vetus, voluit Deus preſtare lychnum illum admirandę venuſtatis, & pretij ineſtimabilis, ſeptenis lucernis ductilibus panſilem: ſic ante Ieſum quem poſuit propitiationem vniuerſi Orbis, pręmiſit lucernam ardentem & lucentem Ioannem, meliore auro formatum, ſeptenoque radio ſeptiformis gratiæ Sancti ſpiritus radiantē, Lippientes oculos (*ita Auguſtinus*) ad videndum prouocas, ſi exiguum ſplendorem lucernæ oſtenderis, & amplius crucias ſi lumen magnum ingeſſeris: ita Dominus & Saluator noſter, qui eſt lumen verum, cuius claritatem totus mundus ſuſtinere non poſſet, facere cum orbe voluit. Quia enim vniuerſum mundū peccatorum tenebræ & nox infidelitatiș oppreſſerant, & Solem iuſtitiæ aſpicere non valebant, præmiſit ante ſe Ioannem quaſi lucernam, vt cordis oculi qui lippitudine iniquitatis oppreſſi, magnum & verum lumen videre non poterant, ad lumen lucernæ primum, quaſi tamen ſplendorem videre conſueſcerent. vt paulatim peccatorum nubilo remoto, & infidelitatis humore digeſto, adueniente Chriſto, ab illo cęleſti lumine lætificari poſſent potius quam torqueri. Surgit itaque Lucifer, ante verum Solem erumpentem: præit columna ignea, ante Angelum teſtamenti ſubſequentem: proſtat lampas aurea, ante propitiationem propinquantem, de qua eius claritate dictum eſt. Ille erat lucerna ardens & lucens. Quod breuiter explico.

Bernardi dictū de lumine.

Diuus Bernardus docebat illud memori mente tenendum. *Tantum lucere, vanum eſt: tantum ardere, parum: ardere & lucere perfectum.* Lucent noctiluca inſecta, lucent putredine conſumpta ligna, lucet etiā Luna, modo parua, modo magna; verum quia non ardet ſicut Sol vllum eorum non inter magna lumina habetur. Sic & quiuis *mutans velut Luna*, pro ſtulto a ſapiente habetur; ille vero pro ſapiente, *qui permanet & ardet ſicut Sol, in æternum* omni momento. Arſit & illuxit Ioannes, per omnem ætatem. *Ioanne 1. 1.*

Arſit in vtero.

Arſit, & illuxit adhuc in vtero, ſed quaſi ſub modio. dum repletus Spiritu ſancto, Dei matrem venientem perſenſit, & loquentem audiuit; ſuumque modium ſub quo deliteſcebat, Matrem ſcilicet Elizabetham illuſtrauit & accendit. Fatetur hoc ingenue Elizabeta. *Ecce*, inquit, *vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in gau-*

M dio,

Digitized by Google

dio, in vtero meo. D. *Auguſt explicabat*, Ioannē cum reliquis cōponens Prophetis. Præmittitur, *inquit*, lucerna ante Solem, ſeruus ante Dominum, amicus ante ſponſum, præco ante iudicem, vox ante verbum: & ideo de ſe dicit. Ego vox clamantis in deſerto. Quid eſt quod Beatus Ioannes vocem ſe eſſe dicit? Id eſt, qa verbi annunciator & prædicator erat. Hic iam ſolicite requiramus, quid inter verbum ſit & vocem. Scripturæ ſanctæ verbum eſſe definiunt, quod intra animi ſilentium mente concipimus. Verbum eſſe definiunt ipſam cogitationem quæ adhuc intra conſcientię ſecreta continetur; vocem vero per quam verbum profertur in medium. Vox ſonus eſt, index cogitationis, verbum vero ipſa cogitatio. Sicut enim quando verbum corde concipimus, neceſſaria eſt vox quaſi quoddam vehiculum verbi; & quamlibet verbū ipſum per oris ſonum ad alium transferamus, tamē illud integrum etiam intra nos: id eſt clauſum a loquente transfertur, vt tamen in ſua ſede teneatur: ita & omnipotens Pater innoſcere nobis volens, ſapientiam & verbum illud, *quod in principio erat Deus apud Deum*, ſicut ipſe teſtatur, *eructauit cor meum verbum bonum*; Beatum Ioannem quaſi vocem per quam ad nos verbum ſuum proferret, prēmiſit. Quod quidem verbum de illa ſede, ita ad nos deſcendit, vt in ſinu, i. in profundo paterni pectoris permaneret, terrena viſitās, & cæleſtia nō relinquēs.

Ioannes vox quare dictus.

Hanc itaque gloriam Beatus Ioānes Baptiſta, non de longinquo ſicut reliqui Prophetæ, ſed vnius & proximus anteceſſit. Illi aduentum regis ante multa tempora prædicauerunt: alij dixerunt, quandoque venturus eſt; alij, ecce cito venit. Ille autem adhuc ex vtero, in vtero adhuc exiſtentem pronunciauit. Et prophetiam ſuam, per ipſum quem annunciabat, in vtero materno exiſtentem, compleuit. *Adhuc itaque in vtero matris ſuæ, Spiritu ſancto eſt repletus*, & ſuam ipſius natiuitate prophetando præuenit. Ad ſimilitudinem Domini ſanctificatus antequam natus, inter viſcera exultans, & Saluatoris aduentum materno ore proteſtans. Vere *lucerna ardens*, in quo tam ſingularis gratia Diuinæ dignationis effulſit, vt iam iamque Redemptorem affore, Sanctę genitricis voce narraret, & per eam velut per quandam veritatis lucernam, nondum in lucem prolatus, lucem mundi oſtenderet. Hic eſt ille qui noui & veteris teſtamenti idoneus mediator, & glorioſi Agni dignus oſtenſor, qui Dominum ſuum, & annunciare vno tempore meruit, & ſentire. Vna eademque ſuæ natiuitatis ætate, & noua incipiens, & vetera concludens. Quod autem nondum natus, de ſecreto materni vteri prophetauit, & expers lucis iam teſtis eſt veritatis, hoc eſt intelligendum, quod latens ſub velamine & carne litteræ, redemptorem mundo ſpiritu prædicauit, & nobis Dominum noſtrum de quodam legis vtero proclamauit. Ergo quia Iudęi errauerunt a ventre, id eſt a lege, quæ a Chriſto grauida erat; *Errauerunt ab vtero, locuti ſunt falſa*; ideo hic venit in teſtimonium, vt ex vtero adhuc perhiberet teſtimonium de lumine. *Pſal. 17.*

Arſit ex vtero ſtatim vt natus eſt, ſanctimonia vitæ, quæ tanta erat, vt Eliam rediuiuum, aut vnum ex Prophetis, alij vero Chriſtum ipſum Meſſyam eſſe illum exiſtimarent. Certe Chriſtus Angelum illum appellauit, & venientem in ſpiritu atque virtute Elię deſignauit. Ex amictu, ipſo diceres, antiquum Eliam. Nam

2. Arſit ex vtero ſanctimonia vitæ.

Nam non mollibus ſericis, ſed de pillis camelorum cilicina veſte tegebatur, Zona quam catenam propter duritiem exiſtimares, præcinctus. Tectum illi ſubdium cælum: conuerſatio inter belluas ſilueſtres; cibus locuſtæ vel herbæ deſerti; ita de eo canit Eccleſia.

Antra deſerti teneris ſub annis.
Ciuium turmas fugiens petiſti.
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

Ioannes arũdo ex ſucca melligine cæleſti plena.

Saluator de illo vulgauit. *Venit,* inquit, *Ioannes neque manducans, neque bibens.* & non temere etiam, arundini eundem comparauit. Arundo ſicca eſt & exſucca; talis Ioannes, a mortificatione carnis. Ferunt arundinibus melliginẽ quandam intus ineſſe, quam nos Arabũ vocabulo, Saccharum vocamus. Ita lego *apud Senecam*. Aiunt inueniri apud Indos, mel in arundinum internodijs, quod aut ros illius cœli, aut ipſius arundinis humor dulcis & pinguior gignat. Arundo erat Ioannes, extime deſiccatus ieiunijs; at intime repletus ambroſia cœleſti, a conuerſatione Diuina & Angelica, quibus in deſerto conuiuebat.

Iacobo Patriarchæ ſaxum ceruical fuit, ex quo Deum apparentem vidit: idem feſſo capiti ſupponebat Ioannes, vt præſentia Dei potiretur.

In ſolius fides aſſertores digreſſio.

O quam vaniloquentes ſunt hæretici, ſola fide nixi, qui *errauerunt ab vtero Eccleſiæ, locuti ſunt falſa?* qui ſcilicet ſtatim ab vtero vitijs ſe totos dedunt, interim vana fiducia, in vana fide ſola innixi. Ioannes in vtero Sanctus, ſtatim ab vtero tãtos virtutum progreſſus facit; jeiunat, vigilat; corpus, cilicio flagris, iniuria cœli domat; a licita voluptate abſtinet, orat noctes dieſque; terrena deſpicit, cœleſtia appetit, eſtque velut vnus ex Angelis attollentibus ſe per ſcalam Iacobæam, ad altitudinem perfectionis cęleſtis: quid delicati facient, qui ad poppinas ſudant, ad voluptates ſubant? Qui in omni ratione mundiſſimus (ita ratiocinatur Chryſoſtomus) cœloque ipſo clarior, & Prophetis celſior, quo nullus hominum maior fuit, quiq; apud Deum tãta familiaritate gaudebat, ad omnem tamen præſentiam durabat laborum, ſatis alta delitiarum fluxa deſpiciens, atque ad omnem vitæ ſe rigorem coarctans; quam illi ſatisfactionem afferre poterunt, qui poſt tot Chriſti beneficia, poſtquam mille noſtrorum onera peccatorum, ne minimam quidem partem caſtigationis illius imitantur, ſed cõmeſſationibus, & potationibus dediti, ac peregrino odore fragrantes vel potius fetentes, nihilq; a theatralibus fęminis diſtantes, ſeque vndique eneruantes in prædam diaboli ſe præparant, quid facient? Fide ſola penetrabunt? at Ioannes iunxit ad fidem opera pœnitentiæ. quæ & ipſe rigide perfecit, & vt alij ſuſciperent ad faciendum, dictione prouocauit. Vnde & Concionis initia, non a circumciſa fide, ſed a pęnitentia orſus eſt. *Pœnitentiam,* inquit, *agite & appropinquabit vobis regnum cęlorum.* Amodo, vt notauit Saluator, *Regnum cęlorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

expl. loc. Matt. 11. quomodo regnũ cęlorũ vim patitur.

Sed ſubiungo quæ *Auguſtinus diſſeruit.* Nouimus, *inquit,* quia familiariter mẽs humana, in diuerſis huius mundi illecebris & concupiſcentijs deuicta, fugit laborem, expetit voluptatem, & vix adducitur vt conſuetudinem a ſe prioris vitæ excludat: Sed cum cęperit cogitare vltimi diei neceſſitatem, ac futuri iudicij pondus, incitata & ſtimulata, vel ſpe pręmij, vel timore ſupplicij, voluntarium bellum indicit paſſionibus, & vim facit priſtinis ſuis deſiderijs, & violenter ſe vincere ipſa contendit.

Digitized by Google

dit. Non enim ſine violentia fieri poteſt, vt de abundantia & delitijs ad famem & ſitim, ad abſtinentiam & crucem tranſeat, vt ſomno prius atque otio amicam carnem, contritione vigilijsque conficiat. Non, inquam, ſine violentia fieri poteſt, vt vnuſquiſque iracundiam patientia, ſuperbiam humilitate commutet, amore paupertatis diuitiarum ac ſufficientiæ affluentiam ſuperet, violentiam ſobrietate, luxuriam caſtitate condemnet, & homo ſubito in virum transformetur perfectum, & quodammodo alter reddatur ex altero. a talibus per violentiam regnum cęleſte diripitur.

Crucis duo genera. Duo autem ſunt abſtinentiæ & crucis genera; vnũ corporale, aliud ſpirituale. Vnum a potu atque epulis temporale, appetitum gulæ a delectationibus & moliſſimis ſuauitatibus coercere, & ab his quæ per tactum & guſtum, viſumque decipiũt ſenſum viriliter reuocare, ac violenter abſtrahere. *Alterum abſtinentię & Crucis genus* pretioſius eſt atque ſublimius, motus animi regere, & perturbationes illius, modeſtię tranquillitate placare; iræ ac ſuperbię impetus quaſi feram beſtiam refrenare, litigare quotidie contra vitia ſua, increpare ſe quadam cenſura auſteritatis & virtutis, & rixam quodammodo cum interiore homine conſerere. Pretioſa in conſpectu Dei & glorioſa Crux, cogitationes malas in poteſtatem redigere, voluntates proprias abnegare, eaſque interiori examinatione diſcutere, & regentis imperio ſubiugare: a ſermone atque opere, quo anima lęditur, tanquam a cibis noxijs abſtinere, & ſenſum ab his quę contraria ſunt, ſpirituali temperantia ſobrium cuſtodire. Hęc qui facit, prærupto paſſionis muro, violenter ad cęlorũ regna conſcendit. Vim itaque ſibi facturа eſt anima, vt palmam laborum, quam ſibi ſubtrahi multis inimicis aduerſantibus ſentit, viribus contendat eripere. Neceſſe ergo eſt, cum ſummo labore ex hoc mundo rapere palmam Salutis, & quaſi excubantibus & circumiectis hoſtibus obſeſſos, peruigili intentione fructus decerpere, & pręđam a theſauro vitę, velut de medio abreptam ſeculi huius incendio reportare.

Retulit Ioannes, qui vim ſibi tantam intulit, vt Angelus videretur, non natura, ſed virtute. Ideoque fuit *lucerna non tantum lucens, ſed & ardens* in prædicatione, quia fuit ardentiſſimus virtutis ſectator in conuerſatione.

Arſit dico prædicatione. De quanto! mentis ardore putatis procedebant flammæ illæ an fulgura, quæ vibrabat velut fulmina aliqua triſulcas in Phariſæos & Publicanos: *Genimina viperarum, quis vos docuit fugere a facie iræ?* Itane illos ſanctitate & doctrina præſtantiores Hebræorum? Genimina ſerpentina? Magnum fulmen, non carbones aliqui deſolatorij. Iam in Herodem, quam ignitus? quam incenſus? *Non licet*, inquit, *tibi habere vxorem fratris tui*. Siccine Regi, qui ei potens tollere vitam? Tollat illam, linguam veracem non præcludet: machęram flammantem igniti eloquij non excutiet. Non, vel ſi iugulum petierit, non permittam impuritate illum incæſtari. Non licet tibi o Herodes. *3. Arſit prædicatione.*

Alterum Eliam putabant Hebręi, ſed tanto hunc feliciorem, quanto Sanctitate omnibus ſuperiorem, libertate parem, ſanguinis profluuio excellentem. cum quo Beatam animam effudit libenter, in ęxemplum innocentiæ, & inuictę patientiæ, quę illi coronam promeruit in cęlis, vernantem in ſecula. Amen.

IN

IN FESTO SS. APOSTOlorum Petri & Pauli.

Tu es Petrus & ſuper hanc Petram ædificabo. &c. *Matth. 16. c.*

CONCIO.

Præminentia Petri.

STVPIDVM quendam adoleſcentem, lapidi hærentem irriſerat Diogenes, hoc dicterio. *Lapis ſuper lapidem*. Nihil moror. æque vt ſaxum, ſtupidus fuerat & excors. Ego miror & veneror Petrum, ſupra petram Chriſtum, atq; in vtroque lapide pretioſo ſedentẽ & ſidentem Eccleſiam, quæ columna veritatis, & Ciuitas Solis, ex omnibus ſelectis vnionibus, hodie ab Architecto Ieſu erecta atque ædificata. Quid primo mirer, atq; colam? Viuens petra Chriſtus, viuens & Petrus. Fundamentum ille & lapis angularis Eccleſiæ; & Petrus itidem petra, *ſuper quam*, inquiebat Chriſtus, *ædificabo Eccleſiam meam*. Quomodo id factum fuerit, explanabo.

Lapis ſuper lapidẽ quid.

Iacob Patriarcha dormiturus, ſumpſit lapidem & capiti ſuo ſuppoſuit ceruical, ex quo cum reuelationes illas cœleſtes aſpexiſſet, memor tanti Sacramenti, tulit eũdem & erexit in titulum, fundens oleum deſuper. *Erit*, inquit, *mihi Dominus poſthac in Deum, & lapis iſte quem erexi in titulum, vocabitur domus Dei*. Namque profecto, *non eſt hic aliud niſi domus Dei, & porta cœli*. Hæc in typo. Chriſtus quoque prope diem abiturus de hoc mundo ad Patrem, cum in terris domicilium ſuum fundaret, in quo animas ſanguine ſuo ablutas congregaret & ſaluaret, hodie quaſi quieturus in quaſi quaſi ſolatio ex laboribus ſuis concepto, dum requirit, *Quem tandem poſt tot illuſtria facinora, me dicunt eſſe homines?* atque dum ex Petro cœleſtes reuelationes audit, qui confitetur; *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: eundem quaſi viuam petram accipit, in fundamentum domus Dei ponit, portam cœli conſtituit, ſupraque alios eius Coapoſtolos iunctum, non illis tantum, ſed vniuerſis quotquot in Eccleſiã venturi eſſent, præponit dicens. *Tu es Petrus & ſuper te Petram, ædificabo Eccleſiam meam. & tibi dabo claues Regni cœlorum. Quodcunque tu ligaueris in terra, erit ligatum & in cœlis: & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis.*

Iacobæus lapis, typus Petri

Pollicitus fuerat olim Deus per Iſaiam Prophetam: *Ecce*, inquit, *ego mittam in fundamẽtis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, pretioſum in fundamento fundatum*. Amplectimur hunc lapidem, angularem Ieſum Saluatorem coniungentem duos parietes in ſemetipſo; verumtamen quia non ille perpes cum Eccleſia viſibili ſpecie, quam intulit ad dexteram Patris, adnectimus nos & Petræ Petro, qui inter duodecim fundamenta Ciuitatis nouæ Ieruſalem deſcendentis de cœlo, *primus Iaſpis* fide probatus, dilectione pretioſus. in fundamẽto angulari lapide Chriſto Ieſu fundatus, omnes aperit cœlos, nõ cœlum vnum. confirmat non filios modo, ſed & fratres. paſcit non oues tantum ſed & ipſos Agnos anteambulones. Perſtat immobile ſaxum fidei & cõfeſſionis, non tantum contra minaces vndas frementis ſeculi, verum & contra ipſas inferi portas. Singula hæc in compendium contracta, diſpungo, & Petri primatum in Eccleſia aſſero, cuius regimen Monarchicum eſſe Chriſtus voluit.

expl. prophet. Iſai. 28. de Chriſto et Petro.

hierogl. Petri Iaſpis.

voluit. non minus quam olim fuit Synagogæ. Vt in hac enim, ſupra omnes Leuitas, præfectus erat vnus ſupremus myſta, vt habetur in Leuitico, *Pontifex*, id eſt, *Sacerdos maximus inter fratres ſuos, ſuper cuius caput fuſum eſt vnctionis oleum, & cuius manus in Sacerdotio conſecratæ ſunt, cum ſumma* poteſtate ſuper omnes ſacros, imo & ſuper prophanos, vt & ipſos Reges conſecrarent & exſecrarentur: ita in vna vniuerſali Eccleſia, quam ſanguine ſuo acquiſiuit, voluit præficere vnum, penes quem ſumma rerum eſſet, in oues, in Agnos, in filios, in fratres, imo etiam in Reges ipſos. Neque alium præficere voluit, quam Petram. Ipſe Petra incócuſſa, Petram Petrum immotum. *Et tibi*, ait, *dico ò Simon, quia tu es amplius non Simon Ioannis, ſed Petrus. & ſuper tuã Petream ſoliditatem ædificabo Eccleſiam meam.*

vnctus oleo ſpeciali. *Leuit. 21*

Primatus Petri ſigna.

1. *Mutatio nominis*

Nomenclaturam itaque primo dum expendo, Primatum in ea Petri agnoſco cũ Hilario, & dico. Eſt in nuncupatione noui nominis felix Eccleſiæ fundamentum, dignaque ædificatione illius petra, quæ infernas leges, & tartari portas, & omnia mortis clauſtra diſſolueret.

Fundamentum quod audis Eccleſiæ Petrũ, in noui nominis nuncupatione; Primarium intellige. Nunquam enim Deus nomen nouum alicui indere ſolet, quem non inſolitis ornet beneficijs, atque ad ſupremam non euehat dignitatem. Dedit Chriſto nomẽ *quod eſt ſuper omne nomen*: & cum nomine etiam donauit, vt ad eius nictum *omne genu cæleſtiũ, terreſtriũ & infernorũ inclinet.* Mutauit Abramũ in Abrahamum, & ex Patre excelſo, conſtituit Patrem omnium credentium. Iſraelem denominauit Iacobum, a lucta inuicta qua cum Angelo colluctatus victor euaſit, factusque eſt Princeps duodecim Patriarcharũ. Nouo nomine compellat Simonẽ; ſimul etiã & noua dignitate ornat, vt ſicut ipſe eſt, *Petra, lapis pretioſus, fundamentalis, Cephaz ſeu caput ſupremum Eccleſiæ*, ita & Simon eſſet *Petrus Petra, Cephaz ſeu caput* poſt Chriſtum viſibile, viſibilis Eccleſię.

Intellexerunt hoc ſtatim ipſi Apoſtoli, *vt Origenes animaduertit*, Petrum videlicet eſſe maiorem in regno cœlorum, vel propter ſtaterẽ quem dedit pro ſe & pro Chriſto, vel propter iſtud quod Petrus dixit ad Ieſum præ cæteris, *Tu es Chriſtus filius Dei viui*: & Chriſtus ad eum; *Beatus es Simon Bar Iona, quia caro & ſanguis non reuelauit tibi, ſed pater meus qui eſt in cęlis. & ego tibi dico, quia tu es Petrus, & ſuper hanc petrã ædificabo Eccleſiã meã.* Ideoq; in illa die acceſſerunt ad Ieſum, quærentes vt expiſcarent. *Quiſputas maior, eſt in regno cælorum.* Num ille ſuper quem Eccleſiam te fundaturum aſſeruiſti? talem vero Eccleſiam, cõtra quam ne portæ quidem infernales præualerent?

tractatu in Math.

Cyrillus Alexandrinus agnoſcit hic Petri ſuper Apoſtolos, & eius Eccleſiæ ſuper omnes alias Primatum. Secundum, *inquit*, hanc Domini promiſſionem Eccleſia Apoſtolica Petri, ab omni ſeductione, hæreticaq; circumuentione manet immaculata: ſuper omnes præpoſitos & Epiſcopos, & ſuper omnes primates Eccleſiarum & populum in ſuis Pontificibus, in fide pleniſſima & auctoritate Petri. Et cum aliç Eccleſiæ quorundã errore ſint vere cũdatæ, hęc ſtabilita inquaſſabiliter ipſa ſola regnat, ſilentium imponẽs & omnium obturans ora hęreticorum: & nos neceſſario non decepti ſuperbia, neque vino arrogantiæ ine-

2. *Fundatio Eccleſiæ perennãtis.*

lib. Theſaur.

Digitized by Google

inebriati, typum veritatis & Sanctæ Apoſtolicę traditionis vna cum ipſa confitemur & prędicamus.

3. Claues cælorum. Tertius honor Petri, eius Primatum oſtendit, cum Chriſtus ei dicit, *Tibi dabo claues regni cælorum*. Specialiter ſoli Petro, ſuas claues Chriſtus conceſſit (*vt Gloſſa ex Patrib. docet*) vt ad vnitatem nos inuitaret. Ideo (*ait Rabanus*) Petrus ſpecialiter claues regni cœlorum & Principatum iudiciarię poteſtatis accepit, vt omnes per orbem credentes intelligant, quia quicunque ab vnitate fidei, vel ſocietatis illius quolibet modo ſemetipſos ſegregant, tales nec a vinculis peccatorum abſolui, nec ianuam poſſunt regni cæleſtis ingredi. Ideo (*Gloſſator dicit*) Petrũ Principem Apoſtolorum cõſtituit, vt Eccleſia vnum principalem haberet Chriſti Vicarium, ad quem diuerſa membra Eccleſię recurrerẽt, ſi forte inter ſe diſſentirent. Quod ſi diuerſa capita eſſent in Eccleſia, vnitatis vinculum rumperetur.

Origenes obſeruabat illa verba quæ
Tract. 6. in Matthæ. Chriſtus ad Apoſtolos dixit. *Quęcunque ligaueritis ſuper terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque ſolueritis ſuper terram, erunt ſoluta & in cælo*. Tamen & illa, *inquit*, quæ ſuperius ſoli Petro ſunt dicta, videntur etiam omnibus iſtis dicta. Sed quoniam oportebat aliquid maius habere Petrum præ illis, ideo illi quidem ſic dicit; Et tibi dabo claues regni cœlorum; & quæcunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in cœlis: & quæcunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in cælis. Non ergo modica differentia eſt, quod Petro quidem datæ ſunt claues, nõn vnius cęli, ſed multorum cœlorum; vt quæcunque ligauerit ſuper terram, ſint ligata non tantum in vno cœlo, ſed in omnibus cœlis. & quæ ſoluerit ſuper terram, ſint ſoluta non tantum in vno cœlo, ſed in omnibus cœlis. Ad eos autem qui multi ſunt ligatores & ſolutores in terra ſic dicit, vt ſoluant & alligent, non in cœlis ſicut Petrus, ſed in vno cælo. Quia non ſunt in tanta perfectione ſicut Petrus, vt alligent vel ſoluant in omnibus cælis. Quanto ergo maior fuerit qui ligat, tãto qui alligatur, amplius quam in vno cœlo alligatur. & quanto maior fuerit qui ſoluit, tãto beatior erit qui ſoluitur, quoniam in omnibus ſolutus eſt Cœlis.

Hunc eius primatum ſuper omnes cœlos cęlorum, paullo poſt con- 4. Solutio nauli.
firmauit, cum iuſſit *vade ad mare & mitte hamum, & eum piſcem qui primo aſcenderit tolle. Et aperto ore eius inuenies ſtaterem, illum ſumens da eis pro me & te*. Animaduertit *Chryſoſtomus*. Cum, *inquit*, primogenita Aegyptiorum interfecit Deus, tunc tribum Leui pro eis accepit. Deinde quia primogenitis qui erant apud Iudæos, minor huiuſmodi tribus numerus erat, pro deficientibus in numerum ſiclum iuſſit inferri. Et ex tunc tenuit conſuetudo, vt primogenita vectigal hoc inferrent. Quia igitur primogenitus erat Chriſtus, videbatur autem diſcipulorum primus eſſe Petrus, ideo pro ſe & pro illo iubet ſoluere denarium. *Hieronymus* aliam rationem aſſignat. Poſt Auguſtum, *inquit*, Cæſarem Iudæa facta eſt tributaria. & omnes cenſi Capite ferebantur. Vnde & Ioſeph cum Maria cognata ſua, profeſſus eſt in Bethleem. Rurſus, quoniam Ieſus nutritus erat in Nazareth, quod eſt oppidum Galileæ Capharnaum Vrbi ſubiacens, ex more poſcebatur tributũ. Et pro ſignorum magnitudine hi, qui exigebant, non audent ipſum repetere, ſed diſcipulum

Matt. 17. quod ſoluebant.

vel primogeniti

vel primi familiarum.

lum conueniunt. Cum ergo tributa per capita ſoluerentur, ideo Chriſtus pro ſe & pro Petro iubet ſolue re ſtaterem, vt innueret, ipſum futurum Caput populorum, & Primatem fratrum ſuorum. cui curam o uium & Agnorum poſtmodum in diſcriminatim committeret.

5 *primitas in omnibus actionibus* Præterea Solennia illa omnia, quibus Petrus ipſe ſe primum Apoſtolorum demonſtrat. Quod *Solus* ambulat ſuper mare vt Ieſus: *Primus* pro alijs reſpondet hodie, vt audiſtis: *primus* & ſolus tuetur Chriſtum in horto: *pro eo ſolo* orat Chriſtus ne eius fides deficiat; *primum ei* lauantur pedes; *primus* vadit piſcari poſt reſurrectionem: *primus* intrat ad monumentum: primus cõuocat cętum ad ſubrogandum Matthiam; *primus* ſententiam dicit, orationem orat & manus imponit Diuinitus electo; poſt acceptum S. ſpiritum *primus* defendit diſcipulos contra ſycophantas, qui multo madere illos affirmabant: *primus* promulgat Euagelium: *primus* miraculis fidem roborare pergit: *primus* iudiciaria poteſtate damnat Ananiam & Sapphyram: *ſolus* veluti Dux pertranſibat per omnes: *pro ſolo* fit oratio ab Eccleſia ad Deum: *primus* de antiquandis legalibus profert ſententiam: ad illum *ſolum* cæteri Apoſtoli conueniunt, vt referant parilitatem doctrinæ: jllud vel vnicum demonſtrat eſſe Primum & ſupremum omnium Paſtorem,

6. *Mactatio & comeſtio corũ q̃ demiſſa cælitus epiſt. 39. lib. 9.* quod ipſe Petrus ſolus *vidit linteum de cœlo demiſſum, plenum omibus animantibus, volucribus & reptilibus*. & huic Soli dictum eſt, *Macta et Mãduca*. In hoc facto Petri, *Diuus Gregorius* miratur humilitatem, & agnoſcit ſublimitatem *dum inquit*. Certe Petrus poteſtatem regni cœleſtis acceperat, vt *quæ in terra ligaret aut ſolueret, eſſent in cœlis ligata atque ſoluta*. Atq; ideo ſupra mare ambulauit, ægrotantes vmbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione ſuſcitabat. Et qa ex admonitione ſpiritus, ad Cornelium gentilem fuerat ingreſſus, contra eum quæſtio a fidelibus facta eſt, cur ad gẽtiles intraſſet, & comediſſet cũ eis, cur eos in baptiſmate ſuſcepiſſet. Et tamen *idem Apoſtolorum primus*, tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum poteſtate ſuffultus, quærelæ fidelium non ex poteſtate, ſed ex ratione reſpondit, cauſam per ordinem expoſuit: quomodo vas quoddam linteũ in quo quadrupedia terræ, & beſtiæ, reptilia, atque volatilia inerant, de cęlo ſubmitti viderit, vocemque audierit: Surge Petre, occide & manduca. Et qualiter tres viri venerint eum ad Cornelium vocantes: qualiter Spiritus ſanctus hunc cum eis ire præceperit. qualiter idem Spiritus Sanctus, qui venire in baptizatos in Iudæa poſt baptiſmum conſueuerat, in gentibus ante baptiſmũ venit. Si enim cum a fidelibus culparetur, authoritatem quam in Sancta Eccleſia acceperat, attendiſſet, reſpondere poterat, vt paſtorem ſuum, oues quæ ei cõmiſſæ fuerant, repræhendere non auderent: neque ſi in quærela fideliũ aliquid de ſua poteſtate diceret, profecto Doctor manſuetudinis non fuiſſet; ſed humili eos ratione placauit, atque in cauſa reprælienſionis ſuæ, etiam teſtes exhibuit dicens: Venerunt autẽ mecum ſex fratres iſti. Paſtor itaq; Eccleſiæ, & Apoſtolorum Princeps, ſigna & miracula ſingulariter faciens, non dedignatus eſt rationem reddere.

Hinc euincitur Petrũ eſſe primũ inter Apoſtolos; Petram deinde in qua fundata eſt Eccleſia, quæ eouſque inconcuſſa perſeuerat. ad quam *Allegori fundam: ti Eccleſiæ.*

oro

oro qui fluctuatis accedite. *Petra refugium eſt erynaciis*; *in Petra quidam exaltauit caput*: *de Petra* alter *vidit cœlos apertos*: & vos deuij, ſi qui adeſtis, adrepite huic ſaxo perenni. non fluctuabitis, non deprimemini. attolletis ab hoc fundamento verticem vſque ad ſidera, quæ vobis patebunt, aperiente Petro, cui datæ claues regni cœlorum. Amen.

IN FESTO VISITATIONIS SS. Virginis.

Exurgens Maria abijt in montana cum feſtinatione &c. *Luc. 1. c.*

CONCIO.

Humilitas Mariæ.

Proles Sathanæ tumida, Diuina autē humilis.

DISCRIMEN inter prolem Dei & Dæmonis, quia qui ex Deo concipiunt ſpiritum timoris, parturiunt fructum humilitatis. qui autē ex ſathana, ſuſcipiunt ſpiritum vertiginis, ferunt germen ſuperbiæ. Soboles vtraque, ſuo digna ſeminatore. Vel Agar ſuffecerit in exemplū, *quæ concepiße ſe videns, deſpexit Dominam ſuā Saram*. quod Maria Deo fœta, non facit. quæ cum filium Dei in vtero geſtaret, non eſt dedignata, ancillam filij & ſuam Elizabetham, præſentia, officio, ſeruitute dignari. Eius humilitatis merita longe maxima, hodie expendemus.

expl. ver. Pſ. 41. de modo receſſus a Deo, & acceſſus ad Deū.

Pſaltes cum in ſemetipſo quondam lugeret, quod a Deo receſſiſſet, cuperet autē quā primum redire ad Deum, ita ad ſe loquebat. *Ad me ipſum aīamea conturbata eſt*, inquit, *propterea memor ero tui de terra Iordanis, & Hermonijm, a monte modico.* Cauſam receſſus, & effectum, eiuſdem receſſionis a Deo inſinuauit, in prima verſus particula: in ſecunda autem originem, & modum acceſſionis ad Deum expli cauit.

Cauſa receſſus a Deo, hæc eſt, *Ad meipſum*, inquit, *anima mea*; ſupple, conuerſa eſt. Voluit dicere. Conuerſio ad memetipſum, eſt auerſio a te. Quia enim non ego meipſum creaui, nec ego meipſum ornaui, neque ego memet ditaui, ſed mea omnis copia, ornatus, atque quicquid eſt boni, a te totius bonitatis fonte dimanat: ſi ego ad me conuerſus, hæc omnia quaſi a me eſſent, mihi vſurpo, & non ad te refero; meque non tātum meis coæqualibus præfero ſed & tibi quaſi compono; neque caput meū tibi creatori fictori, & beatificatori meo inclino: ſed quod fecit ille, dico etiam in corde meo. *Manus noſtra excelſa, & non Dominus fecit hæc omnia. In cœlum aſcendam, & ſimilis ero Altiſſimo*: jam ad me conuerſio mea, facta eſt a te auerſio. Namque *initium ſuperbiæ hominis eſt, apoſtatare a Deo.* Ideoque ſequitur cauſam iſtam, ſuus effectus; ex conuerſione ſcilicet & auerſione, conturbatio. Nam anima mea ad meipſum, conturbata eſt. Pulchre D. Auguſtinus. Ab incōmutabili, *inquit*, reficiebatur, ad mutabile perturbabatur. Noui quia iuſtitia Dei manet, vtrum mea maneat neſcio. Terret enim me Apoſtolus dicens, *Qui ſe putat ſtare, videat ne cadat.* Ergo quia non eſt in me firmitas mihi, nec eſt mihi ſpes de me, ad meipſum turbata eſt anima mea. Vis non conturbetur? Non remaneas in teipſo, & dic: Ad te Domine leuaui animam meam. Ergo quoniam ad me conturbata eſt anima mea, quid reſtat niſi humilitas, vt de ſeipſa anima non præſumat? Quid reſtat, niſi vt omnino minimam ſe faciat? niſi vt ſe humiliet, vt exaltari merea-

tur? nihil ſibi tribuat, vt ei ab illo quod vtile eſt tribuatur. Ergo quia ad me turbata eſt anima mea, & hãc perturbationẽ facit ſuperbia, *Propterea memoratus ſum tui Domine, de terra Iordanis & Hermonijm a monte paruo*. Vnde memoratus ſum tui? A monte paruo, & de terra Iordanis. Forte de baptiſmo, vbi eſt remiſſio peccatorum. Etenim nemo currit ad remiſſionem peccatorum niſi qui diſplicet ſibi. nemo currit ad remiſſionem peccatorum, niſi qui ſe peccatorem confitetur; nemo ſe confitetur peccatorem, niſi humiliando ſeipſum Deo. Ergo *de terra Iordanis memoratus ſum tui, & de monte modico*, nõ de monte magno. vt de monte paruo, tu facias magnũ. quoniam *qui ſe exaltat, humiliabitur, & qui ſe humiliat exaltabitur*. Si

Iordanis & Hermonijm typus humilitatis.

autem & interpretationes nominũ quæras. *Iordanis* eſt deſcenſio eorũ. Deſcende ergo, vt eleueris; noli extolli, ne allidaris. *Hermonijm* anathematizatio interpretatur. Anathematiza teipſum, diſplicendo tibi. Diſplicebis enim Deo, ſi placueris tibi. Ergo quia nobis Deus omnia bona præſtat, quia ipſe bonus eſt, non quia nos digni ſumus: & quia ille miſericors eſt, nõ quia in aliquo promeruimus, ideo de terra Iordanis & Hermonijm, debemus eſſe memores Dei. Qui enim humiliter commemoratur, exaltatus perfrui merebitur. & qui in ſe, non exaltatur, in Domino gloriabitur in æternum.

Iſai 57.

Quia hæc dicit Deus excelſus, & ſublimis habitans æternitatem: & ſanctum nomen eius in excelſo, & in ſancto habitans, & cum contrito & humili ſpiritu; vt viuificet ſpiritum humilium, & viuificet cor contritorum.

Origo itaque & modus acceſſionis ad Deum, eſt a terra Iordanis, Hermonijm & monte modico. ſcilicet a deſcenſione infra ſe; ab anathematiſmo ſeu deſpicientia ſui, & a monte modico humilitatis. quæ humilitas eſt quidem mons modicus in deſcenſu, ſed altiſſimus in reaſcẽſu. Qui dixit, *humilitatem, eſſe ambitionem ambitioſiſſimam*, recte dixit. Quem enim honorem contemnit, humilis ſui contemptor, hunc vel tunc maxime ambit.

humilitas ambitio ambitioſiſſima.

Vt in aquæductu, quo magis aqua premitur, fortius fertur, & altius ſurgit. vt in pilæ percuſſu, quo fortius alliditur, magis ſe in altum tollit: vt in rubiæ quã vocant tinctorum ſatura, quo altius pangitur, vberius prouenit: vt in puteorum fodina, quo profundius terra vel aqua trahitur vel hauritur, viuidior & vberior manat vena: ſic in humilitate, quo quis ſe minoris æſtimat, maioris cenſetur. & quo magis ſe indignum cenſet, magis dignior ſalutatur. Ab hoc profundo monte ille bibens, exaltauit caput. Ab hoc magno ſippario, Abraham excelſus Pater aſſurgit. Ab eodem Monte (*& vide ambitionem*. Si enim mons, quomodo modicus? quomodo nõ collis? & ſi modicus, quomodo non collis ſed mons?) modico & excelſo humilitatis nulla non anima magna. Saul cum eſſet paruulus in oculis ſuis; Hieremias cum puer eſſet inſcius a a a trinum proferre. Rex ille Sanctus ad cuius preces vmbræ recedunt & quis non ab hoc puſillo depreſſo, eleuatus Maximus? Accedit homo ad cor altum, profundum; demiſſum; & exaltatur Deus. Quid Deus? Deus plane ab hac terra Iordanis, Hermonijm, & monte modico. An non & Ieſus ipſe ab hoc monte inclini aſcendit? *Humiliauit ſemetipſum, & ideo exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen quod eſt ſuper omne nomen*. An non & Diua Deipara Maria ab eodem Monte ſidente, & ver

tice

Digitized by Google

tiæ ſuo cœlis minitante, tam excelſa, quam excelſam Orbis miratur? Dixit illa: *ecce ancilla Domini*: & ecce propter hanc *humilitatem beatam* inquit *me dicent* omnes generationes.

Maria Mons ſu per montes ab humilitate.

Mons ipſa magnus & ſublimis, eleuata ſuper alios montes ſtirpe, ornatu interno & externo, meritis, felicitate, gratia, donis, diuitijs, dignitate materna, quia ſe intra ſe deiecit, & abijt miratura alia montana ſanctimoniæ, ſcilicet Elizabetham, Zachariam, & paruulum miraculo conceptum, nec tantum miratura, ſed & cultu veneratura, officio profutura; ideo ab hac demiſſione ſurrexit, ſignum magnum in cęlo, Sole amicta, Lunę globo cothurnata, ſtellis caput coronata.

Quicquid in Maria ſuſpicis, ab omni parte excellit Elizabetham. In ſtirpe numerat ſceptra, & infulas Maria; hæc nonniſi virgam Aaronis. Ornatu ſiue interno ſiue externo, tota pulchra Maria & ſine macula, tota lilium immaculatum! Elizabetha non exſors a labe. Merita Mariana ſi percenſere volueris; prius arenas Lybicas numeraueris, quam illa: Elizabethana autem non eſſet difficile diſpungere, ſi hora eſſet. Felicitatem, gratiam, dona, diuitias, dignitatem, fruſtra compoſueris, cum Elizabethanis. hęc enim tanto inferiora & minora ſunt; quanto minus eſt eſſe matrem ſerui hominis, quam Dei Creatoris, ſupra quam, vt Orbis conſenſus fatetur, NIHIL NISI DEVS EST. Tamen tā excelſa Maria, tam humiliter ſidit; vt Regina ad ancillam; Mater verbi Dei ad genitricem vocis eius; Luna a ſupremo Sole proxima, imo & ipſa quoq; Sole amicta, ad tenebras Zacharianas declinauerit: ad ſalutationem prior, ad ſeruitutem obſequentior, ad demiſſionem inclinior ſeſe demiſerit.

Heſther aſſumpta ad ſceptra, gaudet ſalutari: hęc ſalutare. Abigail accita ad coniugium Dauidis, amat lauare pedes ſeruorum eius. Non mirum ſi prompta. Opilionis vxor; Satrapárum. Hæc Dei ſponſa, Filia, Mater vermiculorum.

Credo n. ſecū expendebat Maria: *Quanto maior es, magis te humilia, vt mage exalteris! Speculum quo magis concauum, magis radios Solares excipit, eiaculatur, inque Solem abire videtur. Sic & anima, quo magis demiſſa, magis a Sole iuſtitiæ irradiatur, & in ipſum trāſit. Abyſſus, abyſſum inuocat, in voce catarractarum tuarum*, ita aiebat Dauid. Pulchra ſimilitudo, ducta a limitibus, ſeu gradibus eminentioribus, qui flumina nonnulla ſecant. Quales in Nylo refert eſſe Plinius, & quales eſſe in Boriſthene ſcit nonnemo ex quibus aquę in pręceps labuntur. Vt enim aquæ a gradibus, ſeu catarractis decidentes, quo profundius in foſſam labuntur, maiorem ventum ſeu flatum excitant, qui ſuperius labentes fortius trahunt; ſic omnis a profluuio Diuinæ gratiæ magis irriguus, quo illud defluuium magis in humili mente tegit, magis prouocat abyſſum inexhauſtam Diuinæ benignitatis, vt magis influat.

quæ excelſis propria.

Expendebat & filij quem geſtabat exemplum, atq; ab eo ad tantam humilitatem ſe inflectebat. *Magnus ille, factus eſt in mea vtero puſillus. quid? non eſt par, me quoque minimam in meis oculis cenſere? Dominus ille formam ſerui ſuſcepit, vt omnibus miniſtraret. an non & mibi incumbit quoque, me miniſterio omnium deputare? Nemo illi magnus, qui ſibi magnus. Omnis illi inuiſus, qui ſibi bene viſus. Qualis ille, tales amat, tales facit. Quicunque coram eo; non vt ille,*

quam a Filio excelſo dedita.

N 2 *mitis*

Digitized by Google

mitis & humilis corde, reprobus ab eo, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cęlo & in terra; alta autem & ſublimia a longe cognoſcit. Non minor eſt zelus in Deo, ſimilitudinis cupitę in homine, quam eſt in hominibus; imo maior. quo magis incenſus eſt amor glorię ſuę in Deo, quam in nobis. Homines ſiue excelli humilia ſapientes, ſiue humiles humilibus conſentientes, deteſtantur arrogantem: longe magis Deus. Machææ Imperatori Carthaginenſium, propter res magnas feliciter geſtas, ex inuidia, in exilium deportato, erat filius Cartalus, rerum potens apud eoſdem. Hic petito commeatu a populo, cum veniſſet ad patrem exulem, vt recrearet męrētem, vide quomodo acceptus erat a patre, quod diſpar cultu acceſſiſſet. Ornatus enim purpura, & infulis Sacerdotij, omnium ſe oculis ingerebat. Tum in ſecretum adducto pater ait; *Auſus ne es, nefandiſſimum caput, iſta purpura & auro ornatus, in conſpectum tot miſerorum ciuium venire; & mæſta ac lugentia caſtra circumfluentibus quietæ felicitatis inſignibus, velut exultabundus intrare? Nuſquam ne te alijs iactare potuiſti? Nullus locus aptior, quam ſordes patris, & exilij infelicis ærumnæ fuerunt? Quid, quod paullo ante vocatus non dico patrem, ducem certe ciuium tuorum ſuperbe ſpreuiſti? Et quid porro tui in purpura iſta coroniſque aliud quam victoriarum mearum titulos geris? Quoniam igitur tu in patre, nihil niſi exulis nomen agnoſcis ego quoque Imperatorem me magis, quam patrem indicabo, ſtatuamque in te exemplum, ne quis poſt hac infelicibus miſerijs patris illudat.* Atque ita cum ornatu ſuo, in altiſſimam Crucem in conſpectu vrbis affigi iuſſit. Hęc homo homini, Pater filio repoſuit, quod ei in cultu corporis non aſſimilis. Hęc etiam Deus humilis, homini rependit, ſi pergit eſſe ſuperbus. *Formam ille ſerui ſuſcepit, et venit miniſtrare non miniſtrari.* Hunc qui detrectat imitari, incedens elatus collum, erectus caput, detruncat, & de ſolio pellit, & econtra *humiles*, quod ait Iob: *ponit in ſublime, & mærentes, erigit ſoſpitate.* Exaltauit ſemetipſum, dum aſſecutus eſt nomen in quo omne genuflectatur. exaltauit & Mariam, vt beatam illam quoque dicant omnes generationes, Cæleſtes, terreſtres, & inferiores. propter maximam humilitatem, quæ ipſam in maximam euexit dignitatem. Vt ſupra illam nihil ſit niſi ipſe Deus, dignitate, & felicitate, qua & ipſa felix, & felicitat omnes, quicunque ſupplices illi.

Cartalus cruce affixus. Iuſtin. lib. 18. quod Patri diſſimilis.

Iob. 5.

Narrabo exemplum magnæ felicitatis, quam in ſuos declinat clientes. Philippus Cliuius (ex Lipſio produco) cognomento, quia ex illuſtri ea gente originem, ſed natura non lege ducebat, in oppido Burgundiæ claro & noto Diuione agebat. Militiam ſectabatur: neque ea proſpera illi tum fuit. Nam captus a Gallis, abductus Vaucolorium fuit ad Lotharingiæ fines, & turri prçaltæ creditus, quę cubitos lxxx. ſupra terram eminebat. Petitum ab eo lutrum ſiue redemptionis pretium, vt a viro nobili, quingenti aurei. Nimium quantum ei viſum, pro fortuna & opibus: itaque æger animi mœrebat, & corpore etiam lãguebat. Die quadam ſub meridiem cibus ei adfertur, non ſumit, ſed ſomnus eum ſtatim occupat: dormit in ſequentis diei alterũ meridiem, dormiſſetq; etiam (ſedens, & in vinculis) niſi cuſtos excitaſſet, & ad cibum inuitaſſet. At ille ſpreuit, neque cupido erat: ita toto animo agitabat & defixus hærebat in viſo, quod per ſomnum

Miraculum a cultu D. Deiparæ Lipſ. in D. Hallen. c. 30.

num erat obiectum. Id tale. Videbatur Hallis eſſe, & iacere in ipſis gradib, ſacelli, quod Diuæ virgini eſt ſacratum. Ibi præces fundebat, coram eius imagine: atq; ea ſolari, & animos addere, vt breui liberando. Hoc ſomnium, dico, cum ſuauiter menti obuerſaretur: cuſtodis abſceſſu in genua voluitur, & illam ipſam Diuam precatur; ratum firmumque id velit eſſe. Spei implet, & os arripit e carne bubula, quæ eſui antepoſita erat, eoque velut lima vſus (ah ſtulte, non ſtulte, quid facis? oſſe ferrum ſecas?) vſus inquam, ſtatim numellas ferreas, quibus ceruix adſtricta, decidere videt fractas. Idem in manicis, idem in compedibus. Etiam vinculis omnibus liber, fune quem e lineis laneiſque veſtibus ſuis fecerat, e feneſtra ſe demittit. Sed turris, vt dixi, præalta erat, nec funis ſatis competebat: tamen fiducia diuini auxilij pergit demittere, & illæſus in terram ſaltu fertur. Iterum hic miraculum. fugit in proximam ſiluam, & metu perquiſitorum diẽ totum latet: idem altero tertioque facit, & noctes ſaltem itineri impendit, idque ſine vllo cibo, aut etiam veſte. Diua tamen virgo tuita eſt: ſanumque perduxit Hallas, tali illo habitu. id eſt nudum & ſquallẽtem.

Dignare & nos peccatorum vinculis compeditos abſoluere, deque profundo conſuetudinis prauæ traducere, ad veram filiorum Dei libertatem. Amen.

IN FESTO S. MARIAE Magdalenæ.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.
Luc. 7. c.

CONCIO.

Magdalena exemplum pænitentiæ.

INTER altare aureum & tabernaculum teſtimonij, voluit Deus proſtare labrum æneum, in quo lauarẽt Sacerdotes accedentes ad litandum illi. Fuſum erat idipſum *ex ſpeculis mulierum, quæ excubias agebant ad oſtium ſacrati tentorij*, vt habet Sacra hiſtoria Exodi. 30. c. Typum gerebat pœnitentiæ Sacræ. in cuius baptiſterio neceſſum eſt vt ſe quiſque lauet, qui ſe fuligine peccati atrauit. Labrum illud erat, inſtar *mammæ reciſæ conflatum*: ſignificat dolorem quem ex intimo pectore dolere debet, is qui turpi facinore Deum prouocauit, & ſuam ipſius animam commaculauit. *Aeneum fuerat*, quod metallum inter ſonora primum eſt: Vocalem dolorem notat, quem edere debet is ipſe qui ſe ſauciauit & contaminauit, vt plagam vel vibicem atrum, per Confeſſionem medico pandat. *Aquæ autem ablutionis labri*, innuunt lacrimarum fontem, vt quiuis peccator ſit velut ille alter qui dicebat. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non cuſtodierunt legem tuam. Labrum* iſtud fuſum erat *ex ſpeculis mulierum*: vt ſcilicet dolor iſte pro peccatis ſit, ad menſuram muliebris doloris. Vt quemadmodum illæ ſolent inconſolabiliter plorare, ſuper morte primogeniti, vel coniugis dilecti: non minus nos ſuper occidione animæ pro-

hieroglyph. pænitentiæ labrum. Moſaycũ

Exod. 30

propriæ. Vel quemadmodum maxima eorum peccatrix *Magdalena*, hodie planxit ſua peccata, vt *lacrimis rigauerit pedes Ieſu Saluatoris*: ita nos quoque *ploremus coram Domino qui fecit nos*, quod factorem noſtrum, pro re nauci relinquere, atque ad iracundiam exacerbare nihil dubitauerimus. Recte ſane, & ad iſtum ſecundum modum. Namque Eccleſia canit. Maria hęc eſt exemplum pœnitentiæ. quod in præſenti diſpicio & aperio.

Pœnitentiæ partes.

1. Dolor pro peccato ex animo.

In primis labrum vetus fuit vt dixi, *inſtar mammæ reciſæ a pectore, quæ dimidiam concham extrinſecus præfert*. Dolorem ab imo pectore exigit ab homine, ipſa pro peccato pœnitentia. Quæris cauſam? Hanc aſſigno, naturam ipſam peccati. Pœnitudine ducitur omnis, cum ſe aliquo malo damno affecit. Scilicet cum vel oculorum aciem, vel manuũ robur, vel corporis totius ſanitatem, volens vel minus volens amiſit, non aliã ob cauſam, quã, quod malum incurrit. At nihil poteſt aut inueniri aut cogitari peius peccato. Mala corporis ſiue a fortuna, ſiue ab ipſo corpore, non mala ſunt, ſed optima, reſpectu peccati, quod vnicum & extremũ malũ. Illa plerumque a Deo creata: *nam non eſt malum in Ciuitate, quod non fecerit Dominus*. hæc a Deo deteſtanda, vt pote vel a concupiſcentia mala, vel a ſuggeſtione Demonis facta deprauata. Illa fere ſemper in vtilitatem vel Publicæ rei, vel priuati hominis illata. Nam quis non melior, ab afflictionibus corporis, ſi ſapit reſurgit? hæc autem in perniciem internecinam hominis permiſſa. *Homo enim per malitiam occidit, animam ſuam*. Illa vel ipſis ſanctis optata; hæc vel ipſis barbaris abominanda. Præeligit mortem Suſanna ſubire, quam turpi flagitio ſeſe polluere.

Quidam vero Gentilium dicebat. *Si ſcirem* (o Diuinam vocem) *Deos & homines ignoraturos, adhuc peccare erubeſcerem*. Tam execranda eſt malitia peccati, vt hominem in belluam atque ipſum pœne dæmonem demutet: tantopere autem deſideranda afflictio corporis, quod eundem ex Dęmonis vel belluæ ſymulachro, in Angelum, imo in Deum ipſum configuret.

Ideo quidam Patrum dicebat. *Si hinc, inquit, peccati pudorem, illinc inferni cernerem horrorem, & neceſſario vni eorum habear immergi; prius me in infernum mergerem, quã peccatum admitterem. Mallem enim purus & innocens a peccato, in gehennam intrare, quam peccati ſorde pollutus cœlorum regna tenere. Innocens, inferni non ſentirem pęnam, & peccator in Paradiſo non gauderem de gloria. cum conſtat ſolos malos in inferno torqueri, & ſolos bonos in beatitudine foueri & gloriari*. Incredibilia iſta videtur? Non ſunt. Interfuit, *vt habet ſacra ſcriptura*, vna dierum Sathan inter filios Dej, qui ſunt ſpiritus Cœleſtes: inſuper aſpexit Deum, cumque eo locutus, poteſtatem ſuper Iobum accepit, nihilo felix, quam antea miſer æternis ignibus vſtulatus. Interfuit & Saluator Orbis, inter clauſtrales illos ſubterraneos ſpiritus: inſuper ignibus inferni quos penetrabat, circumquaque tegebatur; nihilo tamen miſer aut ab illis vſtulatus, quam antea felix, beatus, & inferni deprædator. Cur ille inter cęlites miſer? Chriſtus autem inter damnatos conſiſtens felix? Quia iſte *innocens manibus & mundo corde*, Sathan autem omni pollutus ſorde.

Concludamus, Peccatum eſſe peius malum, quam pęnas ipſas extremas inferni, atque adeo naturam ipſam admiſſi facinoris, debere comitari

tari

Digitized by Google

tari dolorem inconſolabilem, quod homo tam intolerando ſe afficiat & conficiat modo.

Næ hoc doloris labrum mammæ reciſæ inſtar, innuebat Deus apud expl. loc. Ioel. 2. de pœnitẽtia dolore. Ioelem. cum iuberet. *Scindite corda veſtra, & conuertimini ad me in toto corde veſtro, in fletu & planctu.* Dignum eſt quod hic ſcrutemur myſterium. Monet omnes *Conuertimini in toto corde veſtro*. & tamen iubet. *Scindite corda veſtra*. Si in toto corde, proculdubio, quod in integro, ait conuertimini. quomodo itaque poſtmodum ſcindere iubet? Nam quod ſciſſum, iam non integrum eſt. Volebat docere.

Toto & integro corde debes conuerti ad Deum; neque eius partem vel minimam alicui obligare. Nam quorum diuiſum eſt cor, nunc interibunt. qui alternis claudicant, exterminabuntur: qui ex lana & lino teguntur, abominandi.

Vos non ita: ſed totos vos Deo permittere debetis, qui totos fecit, refecit, nutricat, ſanctificat, beare poteſt. Dolori teſtando ſcindunt aliqui veſtimenta, vos non illa; ſed ſcindite corda, timoris caſti mucrone penetrantes, atque inde dolorem ex imo pectore præcidentes. Pectuſculum reciſum, ab hoſtia Sanctum erat Domino, lege victimaria apud Iſraelitas. Significabat, labrum hoc doloris reciſum, maximopere placere Deo, Deumque placare. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, Typus doloris pro peccati e. 3. Reg. 18 in oblatione Eliæ. cor contritum, conciſum ſeu reciſum, Deus non deſpicies. Placet ritus immolationis hoſtiç quam Elias obtulit, memini ſle.

Tulit duodecim lapides iuxta numerum tribuum filiorum Iacob, & ædificauit altare in nomine Domini, fecitque aquæductum, quaſi per duas aratiunculas in circuitu altaris, & compoſuit ligna, diuiſitque per membra bouem, & poſuit ſuper ligna, & ait. Implete quattuor hydrias aqua, & fundite ſuper holocauſtum, & ſuper ligna. Rurſumque dixit. Etiam ſecundo hoc facite. Qui cum feciſſent ſecundo, ait. Etiam tertio idipſum facite. Feceruntque tertio, & currebant aquæ circum altare, & foſſa aquæductus repleta eſt. Facta poſtea oratione ab Elia, *cecidit ignis Domini, & vorauit holocauſtum, & ligna, & lapides, puluerem quoque & aquam quæ erat in circuitu aquæductus lambens.* Deſignat omnibus Contritio neceſſaria. qui volunt Sacrificium acceptum Deo offerre, neceſſariam eſſe contritionem, ſeu conciſionem cordis per dolorem intimum: nulla vt ſit pars animi, quæ non doloris gladio icta. Neceſſariam deinde eſſe ab hoc pectore *præciſo*, ſeu *ab hoc labro vocali*, aquarum copiam, quę holocauſtoma riget, ſcilicet imbrem lacrimarum. Plorabat Dauid, cui fuerunt lachrymę ſuę panes die ac nocte, dum ei dicebatur: *Vbi eſt Deus tuus?* Siccine facile amiſiſti? tam pro nihilo offendiſti? Plorauit & hęc Sancta peccatrix, cui tam effuſus latex lacrymarum, vt *ſtans* non decumbens *ad Ieſu pedes, illos lachrymis ſuis potuerit abluere*. Deſcendit poſtea ignis Diuinus, amoris feruentiſſimi, qui & hoſtiam, & quę adiacebant ſordes, & quibus polluebatur ante, ſanguines, concremauerit. Remittuntur ei, *inquit*, peccata multa, quoniam dilexit multum.

Mirabatur aliquando Propheta, Dei potentiam, quod ex duro ſilice, populo ſitienti aquas perennes eduxerit. *Qui conuertit*, inquit, *Petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum* ego magis demiror Pſal. 113. peccatricis huius cor plane adamantinum, ita Dei virtute emollitum, vt Magdalenæ lacrymæ. tantam piarum lacrimarum vim effuderit, quę lauandis Domini pedibus

Digitized by Google

bus ſatis eſſent. Iactet Dauid lacrimas quibus in ſingulas noctes, ſtratum ſuum rigabat: ſed rigabat. Mariæ non ſtillicidium de ſitula, ſed immenſam aquarum vim effundit, quæ & pedes, & pauimentum cęnaculi abluerent.

homil. 6. in Matth. Ipſas virgines (*ita dillaudat Chryſoſtomus*) illa meretrix felicitate ſuperauit, quę incredibilis in Christũ amoris igne ſuccenſa, a maximis ſordibus peccatorum, largiſſimo lacrimarum fonte purgata eſt. Quia enim perfecte incaluerat pœnitendo, bacchari (vt ita dixerim) cœpit exagitata deſiderio Christi: ſiquidem continuo & crines reſoluit, & Sanctos pedes vberib. diluens lacrimis, ac proprijs extergẽs capillis, precioſo rigauit vnguento. Et hęc quidem extrinſecus cuncta faciebat, ea vero quę in ſecreto mentis agitabat, multo his erant ignitiora, multoque maiora, quæ tantummodo Deus ipſe cernebat. Et idcirco omnis hoc audiens congaudet illi, ac de eius virtute lætatur, ab omnique illam crimine decernit alienam. Poſt vehementes imbres mundus aer ac purus efficitur; ita etiam lacrymarum pluuias, ſerenitas mentis ſequitur atque tranquillitas, omniſque illa de peccatorum tenebris obfuſa caligo diſſoluitur. In ſecularibus iudicijs, quantumlibet poſt acceptam ſententiam lamenteris & lugeas, non tamen effugies efflendo ſupplicium: ad Deum aut ſi quis toto corde ingemuerit, ſoluit repente ſententiã, veniamque meretur.

2. Confeſſio. *Labrum vetus fuſum erat ex metallo ſonoro*: reſonans debet eſſe dolor iſte intimus pro peccato, quod *per confeſſionem reueles*. Fecit Dauid, qui ſtatuit apud ſe: *Dixi confitebor aduerſum me, iniuſt itiam meam Domino*. Reuelauit & Magdalena, dum adſtans pedibus Dominicis, crines reſoluit abſtergendis illis deuotos. Capillorum nomine cogitationes in ſcripturis ſacris deſignantur. Tam exacta ſcilicet erat peccatorum confeſſio, quam protulit peccatrix, vt etiam peniti cordis cogitationes, Domino renunciauerit, miſericordiam flagitans. Vbi enim miſericordia poſtulatur, *inquit Chryſoſtomus*. interrogatio Iudiciaria ceſſat: iudicium non ſæuit; pœnæ locus non eſt. *hierogl. cogitationum capilli.*

3. Satisfactio. *Ad labrum Moſaycum contulerant mulieres ſpecula*, ex quibus formam componebant, ſeque comebant. ſignificatio eſt myſtica; omnem qui emacularі, a peccatis deſiderat, doctrinam illam Paullinam debere exequi. *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete, ſeruire Deo in ſanctificationem.* ſcilicet. Non minore ſtudio colere virtutem, quam probris vacare, & ea quæ erãt olim oblectamenta ſeu irritamenta vitiorum, vertere in adiumenta virtutũ. *Typus ſatisfactionis.*

Iud. 8. Zebum, Zebee & Salmana, quum olim quidam Iudicum triumphaſſet, *tulit ornamenta ac bullas quibus colla regalium camelorum decorari ſolent: inſuper & inaures quæ militibus in prædam conceſſerant, poſtulauit ab illis, atque ex omnibus iſtis fecit ex eo Gedeon Ephod, & poſuit illud in ciuitate ſua Ephra.*

2. Reg. 12. Dauid etiam capta Rabbath Ciuitate Ammonitarum, cum tuliſſet diadema de capite idoli eorum Melchom, impoſuit capiti ſuo.

Christus itidem fecit. cum enim ſeptem dæmonia eieciſſet, de corde huius Sanctæ peccatricis, quæ illa oculo impudico, capillo vnguentato, fronte & genis meretricijs, toto autem corpore ad infamiam vſque vulgato vel ornabat, vel oblectabat: tulit hunc amorem ſeculi ab ea, inque amores ſuos iam non amaros conuertit. Liquet fratres, *ait Gregorius*,

Digitized by Google

rius, quod illicitis actibus prius mulier intenta, vnguentum ſibi pro odore carnis ſuæ adhibuit. Quod ergo turpiter ſibi exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat; vt totũ ſeruiret Deo in pœnitentia, quo Deum contempſerat in culpa. Peccauerat per vanum oculorum aſpectum? ſatisfacit, illos pedibus Chriſti figens, cum lachrimarum inundantia. Peccauerat inordinato capillorum decore? ſatisfacit illorum abiecto officio, quibus Chriſti tergit pedes. Ore ſuperba dixerat, ac labiorum baſijs libidinẽ prouocauerat? ſed pedes Domini oſculando, hęc in redemptoris ſui veſtigia conuertebat. Pedibus ad illicita ambulauerat? at nũc illos ſubijcit voluntati Dei, ad inceſſum mandatorum eius. Deo ſe totam antea ſubtraxerat? nunc ſe totam reddit, atque tantam quanta erat, flagrantiſſimo amore cremat. Ideo *dimittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*, hocque calenti balneo labri vocalis & ſpecularis ſe lauauit.

Lauamini & vos, ſi mundi eſſe cupitis: ſed in eodem labro ex mulierum ſpeculis conflato. *Maria hęc eſt ſpeculum pœnitentiæ*; aſpicite, & lauamini. Amen.

IN FESTO S. IACOBI Apoſtoli.

Et calix meus inebrians, quam præclarus eſt. *Pſal.*

CONCIO.

De Chriſti calicis mellinio.

lib. 2. de var. hiſtor. *Ebrietati præmia olim decreta.*

EBRIETATI & crapulæ, olim decreta fuerant præmia. Apud Aelianũ lego, in Bacchi feſto, eum qui plus bibiſſet, aurea corona donari ſolitũ. Meritus erat illam quidam Xenocrates Chalcedonius, atque a cœna reuertens, Mercurio qui ante fores ſtabat, impoſuerat, iuxta priſcã conſuetudinem. Alij floridas vel myrrhinas, vel hederaceas, aut laureas merebantur, pro menſura quam bibiſſent, inque hoc potorio certamine plus vini præſumpſiſſent. Alexander quoque Magnus, cum in honorem Calani Brachmanis Indici ſophiſtæ (qui ſeipſum combuſſerat) certamina muſica, equeſtria & pugillatoria conſtituiſſet, volens gratificari ludis, vſitatam etiam domeſticamque cõcertationem, in eiuſdem honorem ſuperioribus certaminibus adiecit, & potãdi vini certamen inſtituit. Atque primas obtinenti, præmium conſtituit talentum: proximo triginta minas, tertio decem. in quibus victoriam conſecutus eſt Promachus.

Chriſtus etiam cum ſuos inuitaſſet, ad ſuauioris ambroſiæ cellam vinariam, deque inexhauſtis dolijs Sapientiæ & ſcientiæ ſuæ propinaſſet craterem inebriantem, ſed non amentantem, dicens. *Venite, bibite, & inebriamini chariſſimi. Bibite vinum & lac, quod miſcui vobis de melioris vitis genimine*: coronas, imo Regna potoribus eius laticis aſſignauit. Qui hunc calicem præclarum exhauſerit, atque eo inebriatus fuerit, ſedebit ad dexteram meam in Regno meo, vt ex ſcopo hiſtoriæ Euangelij hodierni cõijcere fas eſt. Euge & vos accedite, & guſtate hũc laticem, ſi Regna ſiderea cogitatis. Sed quis hic calix? inquiro & propono ſeu propino.

Narrat Pontanus, lepidum cuiuſdam Germani dictum. Celebrabantur a Ferdinando rege, Hippolytæ nurus atque Alfonſi filij nuptię apparatu ſplẽdidiſſimo. erat autem dies decurſionis haſtatę, flagrabant- *Theutonis dictũ facetum.*

que cuncta ſub Sole. Cumque plurimi qui ad ſpectandum conuenerant, alij eſſent laudatores ludorum, pleriq; vero & omnes admiratores potius, Germanus quidam in media laudãtium frequentia & plauſu exclamauit: *O valeant ludi, quibus nemo bibit*. Siue conſuetudo, ſiue natura extorſit hanc vocem, ab aqualiculo arido; cui ludi non ludi, abſq; meraco affluente, non diſputo, neq; Genti gloriam ſuam detraho. Hoc vnum ſcio, quod ad rem noſtrã attinet; animabus noſtris nullam eſſe recreationem, ſine aliquo liquore. Maioribus ignibus quam Aetna æſtuantes illæ, dies noctesque ingeminant *Affer, affer*. nec oculus ſatiatur viſu, nec auris auditione, neq; cor ipſum delicio oblato, quin clamet, Valeãt ludi, quibus nemo bibit.

Animæ noſtræ nulla recreatio ſine aliquo liquore.

Et quidem Babylonia illa meretrix auro coccinoque fulgens, propinat calicem auratum: quo, ali quẽ non ementauit? & per cuius tempora crudum non adegit clauum? Præmonet Saluator, ne aſpiciamus, ne prægustemus. *De vinea*, inquit, *Sodomorum, vinea eorum, & de ſuburbanis Gomorrhæ. Vua eorum, vua fellis, & botri amariſſimi. Fel draconum vinum eorum, & venenum aſpidum inſanabile*. Diſpungo ſingula, & ſpeciem, originationem, atq; fructum ex vſu huius venenarij calicis oſtendo.

Et quidẽ Babylon propinat. Deut. 32.

De vinea, inquit, *Sodomorum, vinea eorum*. ſcilicet Babyloniorum ſeu mundanorum. Poma Sodomæa, ad aſpectum quidem ſpecioſa videntur, cæterum plena intus mortifero cinere: quale vinum ab his expectas pomis, niſi prima ſpecie flaueſcens, at intus mucoſo veneno imbutum? Mucida vina vobis non ignota, quæ inſtar putris ſorditiei ducũtur: eiuſmodi ſunt oblectamenta Babyloniæ meretricis, omnia fraudibus, dolis, in animarum interitum ſubleſta.

Crateram flaueſcentem.

ſed venenatum.

Et qualia ſperas, *de ſuburbanis Gomorrhæ*, quæ ſulphureus imber compluit & infecit? Notum agricolis, vites trahere ſaporem, a qualitate vel bona vel maligna ſoli. inde calcẽ referunt, quæ ex cretatis terris. Vina expreſſa ex ſuburbanis ſulphureis quid niſi ſulphurea & ipſa?

Talia ſunt quæ propinat Babylonia Circe. *Noli intueri* hoc vinum (monet Sapientia) *cũ flaueſcit, blande ingreditur, ſed in fine mordet vt coluber*, ſeu velut Dypſas. a quo ſi quis percuſſus, quo plus potauerit, plus ſitit: neq; ſitim extinguere poteſt, donec arenti de corpore, aridam euomat mentem.

Quomodo vero ſitim explere queat, hoc vinum, quod expreſſum *de ſuburbanis Gomorrhæ*? Vua terræ illius abit in puluerem, atq; adeo in fumum & ventum inanem: quidni & vinum quoq; ipſum ſit euanidũ? *Tranſit mundus & concupiſcentia eius*. quẽ tranſitum fugacem ſignat, vua Gomorrhæa. Voluptates deinde omnes, ſiue a carnis illecebra ſiue ab auri fulgore, ſiue a purpureo textu, magis volaces ſunt, quam liquidæ Tantali vndæ; quomodo & cur, a talibus exæſtuantem ſitim reſtinguere ſperas?

ſe diuanidum.

Sed præſtat reliqua botri huius examinare illicia. *Vua eorum, vua fellis, & venenum aſpidum inſanabile. Fel draconum vinum eorum, & botri amariſſimi*. Ah dementes, qui hunc calicem deſideratis. An auditis Iſaiam quid in bibones huius vini detonat? *Væ qui potentes eſtis ad bibendum vinum* illud, *& viri fortes ad miſcendam ebrietatem*. Inebriare tu iuuenis ab amoribus adoleſcentulæ alicuius: neſcis miſer, quia ſicut bos ad victimam, tu eius vitta ductaris. Hiantibus faucibus pota tu alter, liquabile aurum: videſis miſer, quod diui-

ſed amaritudine plenum ſempiterna.

Digitized by Google

diuites incidunt in tentationem & in laqueos Diaboli. Ambi tu helluo honorum, ſplendentes purpuras: inſpice & diſces, *ſub hac tenui membrana dignitatis, quantum lateat mali*. En tibi aſpidis linctum, a cuius blando ſtillo, venenatum malum, *Fel draconum, & venenum inſanabile*.

Anacharſis dictū de vite. Anacharſis dicebat, *vitem tres racemos producere vnum voluptatis, alterum ebrietatis, tertium moleſtiæ*. Dicerem ego de vinea Gomorrhæ, quod illa guttulam voluptatis, at ebrietatis, quę a mente, & ab homine ipſo alienat, inq; bruta deformat, reliquas omnes, imo & ipſam illam. Prohibet Saluator, ne nos tali vino non vino, ſed veneno, ingurgitemus: imo ne ſummis labris deguſtemus. *Nouiſſima enim eius*, inquit *ducunt ad mortem*.

Temulentia pœna. Romani Rufinum qui Conſul bis, ſemel Dictator extiterat exauctorarunt, quod decem pondo argenti, aureos 150. in vna cœna potaſſet, apud Liuium. Similiter & Doronium quendam Senatu mouerunt, quod is aiebat: *Freni iniecti ſunt nobis, Quirites, nullo modo perpetiendi. alligati eſtis & cōſtricti amaro vinculo ſeruitutis. Lex lata eſt, quę vos frugi eſſe iubet. Abrogemus igitur horridæ iſtud vetuſtatis rubigine oblitum imperium*.. Antigonus demiratus milites ſphera ludētes, dum ducibus illorum prēmia diſtribuere iubet, vbi audiuit Duces potari, eorum dignitatem militibus conceſſit, Ducibus in militum ordinem redactis. Deus quoque Exauctorat, loco mouet, & dignitatem abrogat omnibus qui ebrij ab hoc vino non vino, inque ſempiterni ſulphuris barathrū conijcit, vt ibi hanc inſanam edormiant crapulam nunquam ad veram vitam ſuſcitandi.

Philologorum placitum eſt, *Noctuarum ouis epotis, vini odium cieri*. *Noctuarum ouis vini odiū excitant.* O ſi mortales cogitarent, ea q̄ manent illos qui veneno iſto inebriati, quam denſæ tenebrę? quam intolerandi cruciatus? Dicerent, illud quod eſt apud Prophetam. *Abac. 2.* *Væ illi, qui dat potum amico ſuo, miſcens fel ſuum, & inebrians, vt videat nuditatē eius*. Cum itaque nolit Saluator, vt felleum illum liquorem deguſtemus, *Chriſtus non talē propinat liquorem* aſpiciat autem nos & audiat nos, inſtar *Agaræ & Iſmaelis* errantes, in terra hac deſerta & inaquoſa, ſiti morite, & dicere. *Valeant ludi, quibus nemo bibit*; ne emoriamur, neue illo abominando calice proluamus ora, trinum craterem propinat, a trina propagine expreſſum, vini Diuini.

1. Calix pœnitent. *Gen. 21.* Errabundæ *Agar apparuit Angelus in ſolitudine, & aperuit oculos eius, quæ videns puteum aquæ abijt, & impleuit vtrem, deditque puero bibere*. Nobis quoque palantibus *in terra iſta ſalſuginis, horroris & vaſtæ ſolitudinis*, demonſtrat laticem aquæ viuentis, quam & *aquam, & vinum* ego appellarim. Aquam quidem primo guſtui inſipidam; vinum aūt palato iam depurato longe ſuauiſſimum. de quo illud eſt in Pſalmo. *Oſtendiſti populo tuo dura, potaſti nos vino compunctionis*. *expl. verſ. Pſal. 59. de pœnitentia.* Crudo & inſipido vino, repletus iſte calix videtur eſſe peccatori, cum primum ablactatur ab vbere conſolationis terrenæ, ſcilicet dolere dolorē internum pro peccato; lachrymis eluere diurnis nocturniſque antelabentes labes; fateri in confeſſione quod in ſe vel in proximum admiſit facere ſatis ſi cui iniurius fuerit; famam, famulum, rem ſublatam omnem ad minimū reſtituere; tum deinde nouam inchoare vitam, vetere depoſita lacerna; ieiunijs corpus macerare, proximo beneficium impendere, aliena nō appetere, pro-

Digitized by Google

pria largiri. Dura hæc ſunt & inſuauia primis labris, & ſimilia illis aquis Hierychantis: at vbi hæc omnia condideris ſale ſapientis prudentiæ, ſeu prouidentiæ; quod hæ aquæ, animarum abluunt ſordes; vitam meliorem ingenerant, & cęlum quoque ipſum aperiũt, *ſalientes* in vitam æternam; mox tibi iuſſu Chriſti in vinum mæracum, in hac dura hydria commutantur. vt & tu quoque dicas quandoque. *Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, conſolationes tuæ lætificauerunt animam meam.*

2 *Calix charitatis proficientes. Symbolũ, ne virgines ſint vini bibaces.*

Propinat alterum calicem iam proficientibus, repletum *vino condito charitatis.* Vino iſto nihil cali[illegible]ius, nihil ſapidius, nihil magis inebriãs. Veteres cauebant, *ne Luna ſignum Virginis præcurrente, agricolæ vitem ſererent. nam fore infelicem & ſterilem propaginem dicebant, Virgineo ſidere, inimico vinetis.* docebant hoc ſymbolum ſuas Virgines domeſticas, ne vino aſſueſcerent, quod inimicũ eſt caſtitati. Eſto, ſit hoc quod bibitur. tamen hoc quod a Chriſto porrigitur, germinat Virgines, pudicos, caſtos, modeſtos, humiles, obedientes, iuſtos, & nullo non genere virtutum fragrantes & flagrantes. Quod quo magis bibitur, eo magis efficit, vt guſtemus quam ſuauis eſt Dominus. quo magis potatur, eos magis igne Cæleſti inflammat, atque in ignem Diuinum mutat, vt homo quiuis illud Dauidicum dicat; Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardeſcet ignis. Felicem ſponſam cui contingit gloriari: *introduxit me rex in cellam vinariam, ordinauit in me charitatem.* Semel guſtaſſe non illi ſufficiebat, niſi in ipſum craterem, & in ipſam cellam vinariam penetraſſet, inque ipſo torculari & botro Ieſu ſeſe immerſiſſet: quo magis arderet inflammata charitate, erga Deũ quidem toto pectore, erga vero proximũ vt in ſeipſam. *Fulcite me*, inquit, *floribus, ſtipate me malis, quia amore langueo.* Noua fulcra, mira fulcra, columnę floridæ: ſcilicet varijs floribus ornata fortis vt mors dilectio. duratione ęterna, celſitudine ſuper cælos ſe attolens; profunditate ad inferiores vſque partes terræ pertingens; ambitu autem omnia hęc ſubpedanea Mariæ, Lunato lumine corruſca complectens.

3. *Calix charitatis perfectorum.*

Tertius calix perfectorũ, fortitudinẽ & robur inuictum ingenerans, ſummus gradus charitatis, qui animam a corpore ſeparans, per Cruces, gladios, & ignes dilectionem in Deum teſtari iubet. *Elephas uino potus, audaciſſimus eſt ad omnia pericula:* & hoc latice inebriatus, homo ad magna audenda agenda & ferenda.

Iouis fulmen a Cupidine arreptũ quid Orphice ſig.

Dicunt Iouem demiſiſſe fulmen triſulcum de cælo, quod adhuc flammans Cupido arripuit nuda manu: notat, amore ſuccenſum hominem hocque lyęeo perfuſum, incredibilia dictu aggredi, & perpeti.

vinum muſteum quid.

Sponſa pollicebatur dilecto. *Dabo tibi*, inquit, *muſtum malorum granatorum tuorum*: Præbibit hoc vinum perfectis. quo dum inebriati fuerint, ſicut a muſto quandoque dolia rumpuntur, ſic a ſuauitate liquoris, quem præcipiunt ex corona granatorũ Diuinorum, extra ſe exilire cupientes, nihil ſentiunt, ſi vel ferrum, vel ignis, vel laqueus enecet corpus, animamque ad ipſam perennitatis beatitudinem eijciat.

Hoc vino inebriatus D. Iacobus, cum illum ſtatuiſſent in pinnaculo templi, vt Chriſtum abnegaret, maluit animam profundere, quam tali ſe flagitio taminare. Breuiter narro agonem eius. Scribę & Phariſæi ſtatuerunt eum in pinnaculum templi: dicentes: *O iuſte, tibi omnes obtem-* *Nicephorus lib. 2. c. 28.*

pcrare

Digitized by Google

perare debemus: & quandoquidem populus in fide ſua, de Ieſu Chriſto Crucifixo ſeductus errat, annuncia nobis, quod ſit Ieſu oſtium. Ille autem voce magna reſpondit. *Quid me de illo interrogatis? Ipſe ſedet in cælis, ad dexteram magnæ virtutis & poteſtatis, venturuſque eſt in nubibus cæli.* Perſtantem in cõfeſſione, de pinnaculo deiecerunt; & lapidibus obruẽtes, cum adhuc ſuperuiuens, pro illis oraret, fullonis fuſte trucidarũt. Dulce erat illi, pro Chriſto ſanguinẽ effundere. quippe ſciebat, ebrios ab hoc vino, quo plus ſeſe ingurgitauerint, diuturiores coronas obtinere in cęlis. Qui ab hoc calice Chriſti non madet, fruſtra ille expectat ſeſſionem ad dexteram eius.

Quærit enim ab omni qui petit conſeſſum. Poteſtis ne bibere calicem, quem bibiturus ſum? Si reſpondemus; Poſſumus. & ſi reipſa guſtãtes dicimus; *& calix tuus inebrians quam præclarus eſt*, nos beatos.

Gregorius Clarẽtię Dux voluit mergi in vaſe Cretici vini. Venite itaque, bibite & inebriamini chariſſimi. Gregorius Plantagine tus Clarentiæ Dux a fratre Eduardo quarto Britannorum rege damnatus, vt ſibi mortis genus deligeret, *Cretici vini potu mergi atque enecari voluit*. O ſi nos tales helluones, in auiditate hauriendi vini cæleſtis. Huic enim immerſi, vitam viueremus ęternam in ſecula. Amen.

IN FESTO SS. PATRIS Dominici.

Vos eſtis lux mundi. *Matth. 7.c.*

CONCIO.

S. Dominicus ſtellæ inſtar.

Tertia pars ſtellarum de cælo trahente Dracone. DRACO ſerpens antiquus, de ſublimi cœlorum domicilio deciduus, cauda ſua illiciente, traxit ſecum tertiam partem ſtellarum, quæ deſignatæ erant, vt in perpetuas æternitates lucerent ante thronum Altipotentis Dej. Quamobrem implendis ſedibus, quas vacuauerãt Cæleſtes mentes, nouas in momenta format Deus animas, velut ſidera decora, quas Diuino lumine complet, vt ad alta cœlorum tranſlatas, in locum Angelorum qui lapſi ſunt reponat. Itaque *numerat* in dies *multitudinem harum ſtellarum*, vt eſt in Pſalmo, *& omnibus eis nomina vocat*. ſcilicet nouam nomenclaturam imponit, propter nouam aliquam inditam radiationem, a manu plaſtica: qua omnia in menſura pondere & numero creat atque ornat, vt in ſedẽ viduatam transferat & collocet in numerum cum luminibus ſupernis. Inter hęc ſidera Dominicus, fulget in choro virginum Doctor veritatis, ſertum honoris geminum gerens cum Beatis. de quo recte vſurpat Eccleſia illud ex Eccleſiaſtico ſumptũ. *Quaſi ſtella matutina, in medio nebulæ.* *Eccleſia 50.* Ad quemnam vero modum ſit quaſi ſtella matutina, inueſtigo, & retego.

expl. verſ. Pſal. 146 de electione & prædeſtinatione. Diuus Auguſtinus inquirebat quid ſit hoc, quod Pſaltes de Magno Deo cecinit: *Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocat.* Quid magnum, inquit,

Stellarũ. *quit*, Deo, numerare multitudinem ſtellarum? Hoc & homines conati ſunt. Viderint vtrum implere potuerint; non tamen conarentur, niſi ſe impleturos eſſe ſperarent. Illis dimittamus quid potuerint, & quouſque peruenerint; Deo autem non puto eſſe magnum numerare omnes ſtellas.

An forte numerum ne obliuiſcatur, recenſet? Et magnum eſt aliquid Deo ſtellas numerare, cui capilli capitum numerati ſunt? Manifeſtum eſt, fratres, aliquid Deum velle nos intelligere in eo quod ait, Qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis, inquit, nomina vocat. Quid vero ſit illud, idem D. Auguſtinus exponit.

Philip. 2. Sunt ſtellæ, quædam lumina in Eccleſia, conſolantia noctem noſtram. Omnes videlicet, de quibus dicit Apoſtolus; *inter quos lucetis, ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes in die Chriſti*. In iſta, inquit, natione tortuoſa & peruerſa, in quibus apparetis tanquam luminaria in mundo, verbum vitæ habentes. jllas ſtellas numerat Deus. Omnes enim ſecum regnaturos, & omnes aggregandos corpori vnigeniti ſui numeratos habet, & numerat eos. Qui indignus eſt, nec numerabitur. Et multi quidem crediderunt, vel multi ſe qualicunque adumbrata ſpecie fidej populo applicuerunt, nouit tamen ille quid numeret, & quid ventilet. Nam tanta eſt celſitudo Euangelij, vt fieret quod dictum eſt. *Annunciaui & locutus ſum, multiplicati ſunt ſuper numerum*. Sunt ergo in populis, & ſupernumerarij quodammodo. Quid eſt ſupernumerarij? Pluſquam futuri ſunt. Intra parietes iſtos plures ſunt, quam futuri ſunt in regno Dej, in illa Hieruſalem cœleſti. & ipſi ſuper numerum ſunt. Animaduertat vnuſquiſque, vtrum luceat in tenebris, vtrum in iniquitate ſeculi tenebroſa non ſeducatur. Si non fuerit ſeductus, nec victus, tanquam ſtella erit, quam iam numerat Deus.

Sequitur. *Et omnibus eis*, inquit, *nomina vocat*. jbi eſt totum præmium. Habemus nomina apud Deum, vt nouerit Deus nomina noſtra, hoc optare debemus, hoc agere, hoc ſatagere quantũ poſſumus; non de alijs rebus gaudere, nec de donis quibuſdam ſpiritualibus.

Videat charitas veſtra, quia multa dona ſunt in Eccleſia, ſicut Apoſtolus dicit. *Alij quidẽ p ſpiritũ datur ſermo ſapientiæ, alij ſermo ſciæ ſecundũ eundẽ ſpiritũ, alij fides in eodẽ ſpiritu, alij donatio curationum, alij dijudicatio ſpirituum*. ideſt. vt dijudicent inter bonos maloſque ſpiritus. *alij genera linguarum, alij prophetia*. Quanta dixit? quam multa dixit? Multi donis talibus quia male vſi ſunt, audient in fine. *Non noui vos*. Et quid dicturi ſunt in fine, qui audient, non noui vos? Dicent, *Domine, nonne in nomine tuo prophetauimus, & in nomine tuo Demonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus*. In nomine tuo omnia iſta. & quid dicit eis? nunquam *noui vos. diſcedite a me omnes, qui operamini iniquitatem*. Quid eſt ergo eſſe iam lumen cœli conſolans noctem, & quod vindicatur a nocte? *Adhuc* inquit Paulus in alio loco, *ſupereminentiorem viam vobis demonſtro. Si linguis hominum loquar & Angelorum, charitatem autem non habeam, factus ſum vt æramentum ſonans, ac cymbalum tinniens*. Quale donum eſt loqui linguis Angelorum & hominum? Tamen, ſi charitatem, inquit, non habeam, ęramentum ſum ſonans, aut cymbalum tinniens. 1. Cor. 13

Stellarũ varietas in Eccleſia

Inſuper. *Si ſcero*, inquit, *omnia ſe-*

cra-

Digitized by Google

cramenta, & omnem ſcientiam, & ſi habuero omnem prophetiam, & omnem fidem, ita vt montes transferam. Quanta iſta dona ſunt? *Charitatem autem non habeam,* inquit, *nihil ſum.* Quale eſt illud donum martyrij, & diſtributionis rerum ſuarum? Et tamen, *ſi diſtribuero,* inquit, *omnia mea pauperibus, & tradidero corpus meum vt ardeat, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodeſt.* Qui ergo non habet charitatem, etſi ad tempus habet hæc dona, auferentur ei. Auferetur ei quod habet, quia quiddam non habet. Et ipſum quiddam hoc non habet, vnde cœtera teneantur, & ipſe non pereat. Quid enim eſt illud, quod Dominus ait; Qui habet, addetur ei; qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo? Qui ergo non habet, & quod habet auferetur ab eo. Habet gratiam poſſidendi, ſed non habet charitem vtendi.

Propterea diſcipuli, vt haberent charitatem, quos volebat facere in cœlo ſtellas ambulantes ſupereminentem viam, ille qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans, cum redirent diſcipuli quo miſſi erant, exultauerunt & dixerunt. Domine, ecce ſpiritus immūdi ſubiecti sūt nobis, propter nomen tuum. Ille autem qui numerat multitudinem ſtellarum, & omnibus eis nomina vocans, ſciens multos dicturos eſſe: Nonne in nomine tuo dæmonia eiecimus: quibus dicturus eſt in finem, non noui vos, quia eos non numeraui in multitudine ſtellarum, nec eis nomina vocauit; *Nolite,* inquit, *in hoc gaudere quia ſpiritus vobis ſubiecti ſunt, ſed gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlo.* *Luc. 10.*

Philip. 2. Hoc eſt igitur ſtellas numerare, nominaque eis vocare, cenſere illas in numerum prædeſtinatorum, *qui ſine quærela, vt ſimplices filij Dej, ſine reprehenſione, in medio nationis prauæ & peruerſæ, lucent ſicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes.* Talis *ſtella matutina in medio nebulæ,* Diuus Patriarcha Dominicus, Vita pariter & doctrina vniuerſam illuminans Eccleſiam.

D. Dominicus ſtella Eccleſiæ. Ortus Dominici. Qui magni olim futuri, ſolent vel oſtētis, vel ſomnijs prænūciari. Antequam natus erat D. Dominicus, prænūciatus eſt matri grauidæ, quæ in ſomnis vidit, ſe geſtare catulū accenſam ore faculam baiulātem, vniuerſumque mūdum colluſtrantem. *Hecubæ fax.* Iactet Hecuba ſomnians facem ardentem, quam viſa ſibi videre prægnans, totam Aſiam & Europam comburentem. Puderet ſaltē renunciare viſum, propter portētum naturæ quod peperit; Paridem dico. Cuius inceſtis amoribus Troia patria diruta, Aſiæ vires attritæ, Græcia longo bello confecta fuit, & perdita. Non pudet, neque piget matrem D. Dominici, vidiſſe in ſomnis catellū faculam præferentem. Namque enixa eſt virum talem, qui in cymerijs illis tenebris, atque rigidis frigoribus Chriſtianorum, ipſe amore Diuino & proximi exæſtuans, patriā in ſanctimonia confirmauit, Gallias & Italiam ab hæreſi Albingenſium repurgauit, Orbem vero notum & ignotum, ſuauelambentibus flammis redanimauit.

Orbilij dictum. Suetom. & illuſtrib. Grammat. Quidam Romanorum, cui nomē Orbilio, a Varrone interrogatus *quid ageret & quo artificio vteretur? Gibberoſos ſe de Sole in vmbram transferre,* reſpondit; quia Murena gibber erat, cuius ille pædotryba. Pondere peccati onuſtus Orbis gibbum contraxerat, tunc cum Diuus Dominicus mundo illuxit. Hac ſarcina intoleranda depreſſus, non ad cælū attollere vultus, nō cæleſtia cogitare ſuetus. Datus hic in diſciplinā D. Domini-

ni-

Digitized by Google

nici, vt illũ detenebraret, & exoneraret. Quamobrem cum ſe *ſtellam matutinam* eſſe exiſtimaret, natam quæ tenebras diſpellit, quæ oppreſſos animi leuat: illud ſibi agendum proponebat, vt gibberoſum mundum de vmbris ad Solem traduceret, leui iugo onuſtaret, diuque optabili radio irradiaret. ſcilicet vt reſponderet reipſa, ſomnio materno, & nomini impoſito, quod os Dominicum nuncupauit, *Stella matutina*.

Seruio capite arſit.

Seruio Tullo etiam tum puerulo dormienti, circa caput flammam emicuiſſe, domeſtici oculi annotauerunt. Diuus Dominicus vero cum ad ſacrũ fontem deferretur, inque ipſo lauaretur, primo antequam natus, flammas viſus eſt ore eructare, tunc vero ſtellatã exporrigere frontem. Canit Eccleſia propterea, *Stella micans in fronte paruuli, nouum iubar præmonſtrat ſæculi*. Placet referre, quæ in eius hiſtoria leguntur. Mater Diuo Dominico fœcunda, catellum ſe peperiſſe ſomniauit, qui faculam mordicus arreptam præferens, mundum incẽdere videbatur. Eodem iam nato, cuidam nõ ignobili matronæ viſum eſt, ſtellam fronti eius inſediſſe: cuius fulgore perinde ac Solaribus radijs, totus terrarũ Orbis luceſcebat. Breui enim effectum eſt, vt ab eo plurima Euangelizãtium turba, per omnes fere prouincias nationesque diffunderetur, paſſimque diſcurreret. Sic ipſe ardentis prædicationis facibus mundum ſuccendit, ſic doctrinæ ſpiritualis luce illuſtrauit. Sed hoc per ſuos ſodales dictum.

D. Dominici labores

Ipſe vero quantũ radiauit? quantos illuminauit? Propemodum incredibile eſt dicere. In euertendis hæreticis Albingenſibus, cum ſe comitem dediſſet Epiſcopo Tholoſſano, toto ſeptennio laborauit, eorumque amplius quam centũ myriadas errorem eiurare, atque ad veram lucem redire induxit. Propter quam cauſam, odium acerrimum aliorum in ſe prouocauit, qui non ſemel eius vitæ inſidias ſtruxerunt.

Ardor martyrij

Semel agens iter, pro lucrandis animabus, cum intrepidus in hæreticos qui ſibi inſidiabantur incurriſſet, ab ijs percunctatus, quid facturus eſſet, ſi comprehenſum trucidare vellent: *Precarer vos*, inquit, *ne vno ictu mortem mihi inferretis, ſed prius particulatim mutilantes, membrorum meorum fruſta ante me numerãda exoneraretis. deinde ut hos oculos effoderetis, & poſtquam me aliquamdiu in meo volutaſſem ſanguine, tum demum reliquum corpus cæſum dilaniantes, crudeliter extingueretis, pro nomine Domini mei Ieſu Chriſti*. Obſtupefacti illi tanta viri audacia, intactum dimiſere. Alijs etiam hæreticis necem minitantibus, nondum ſe martyrij gloria dignum dixit, ſed vt dignus euaderet, valde cupere. Igitur neque inſidijs inimicorum, neque minis deterritus eſt, ne vel pergeret quo neceſſe erat, vel loqueretur, quod opus erat, ad multorum ſalutem. Non mirum ſi propter paucarum mulierum cõuerſionem, totam quadrageſimam ſolo pane & aqua tranſegerit, nudoque tabulato incubans, flagris cathenatis ſeſe afflixerit: qui tam cupide, vitam & ſanguinem pro animabus lucrandis erogabat.

Illuminandis erronibus, quid non tentauit? Magna & miranda facinora, quibus fidem confirmaret, Diuina fultus fiducia perpetrabat, inter quæ illud non poſtremum, quo ſolennem diſputationem illuſtrauit. Non de lana caprina quod dicitur, ſed rebus grauiſſimis certamẽ erat, inter hunc Diuum, & hæreticos Albingenſes. Linquamus verba, *inquit Dominicus*, & ad theſſeram doctri-

næ

Digitized by Google

Miraculū in Codice ignib. iniecto. næ veniamus. Concipiamuſ ſcriptis libellis, noſtra vtrinque dogmata, & ad ignem experiamur. Si cuius libellus iniuſtus, flammas euaſerit, huius vera & indubitata doctrina: cuius vero, incendium non ſuſtinuerit, huius dogma non dogma, ſed error deteſtandus. Ex condicto, vtrique ſcribunt, & pyræ incenſæ inijciunt. ad primum contactum ignis depaſcentis, libelli hæreticorum exuruntur: D. Dominici vero ſemel & tertio iniectus codex, illæſus exiliuit. Canit Eccleſia. *Ter in flammas libellus traditus, ter exiuit illæſus penitus. Sic error vincitur, fides extollitur.*

Faciebat & alia magna magnalia, hæreticis conuincendis, & fidei Catholicæ aſtruendæ. vt non immerito Stella matutina ſuo tempore haberetur, & nunc quoque ab Eccleſia, inter ſidera numerata celebretur.

Viuendi ratio. Numeratus inquam, inter ſtellas, quibus *Deus nomina vocat*. Non tantum enim doctrinæ, & vario miraculorum genere, tenebras Aegyptias diſpulit, verum & inſigni vitæ ſanctimonia totam illuſtrauit Eccleſiam. Poſt confirmatum ordinem, noctes in templo ducebat pene inſomnes: modo in genua procumbens, modo toto corpore proſtratus orabat: & ſi quando grauior ſomnus feſſa mēbra obrueret, ſtans nixus altari, vel ad durum lapidem inclinatus paulisper quieſcebat. Catena ferrea ſingulis noctibus, ter adeo acerrime corpus affligebat, vt ſanguinis riui defluerent, terramq; madidarent. Oculos quaſi geminos fontes reddiderat, maximam lacrimarum vim aſſiduo profundens; atque imprimis cum ſacrum Myſſæ ſacrificiū peragebat. Nulla re ęque lætabatur, atque ſui contemptu. Puritatem tum animi, tum corporis, integerrimam perpetuo coluit, vt qui mūdiſſimæ virginitatis lauream cęlo triumphans inuexerit. Lætalis criminis totam viiā expertem omnino duxit. Abſtinentia rara, carnes nunquam edebat; ieiunia nec æger ſoluebat. Linguæ obſeruantiſſimus cuſtos, & niſi cum Deo, aut de Deo colloquens, vix de alijs rebus illi ſermo erat. Tanta fuit precum eius apud Deum efficacia, vt aliquando audita ſit vox eius egregiè cōfidentis in Domino: Nihil vnquam apud Deum poſtulaſſe, quod non pro voto impetrarit. Fuit vir plane Apoſtolici pectoris ac ſpiritus, fidei columen, Euangelij tuba, Orbis oculos Chriſti lucerna, ſecundus Præcurſor, radians Lucifer, Stella matutina, & magnus animarum illuminator. Audite quæ eius fiducia in Deo, cum iam extremum vale diceret fratribus, atque illos mærore percuſſos videret: *Nolite*, inquit, *filij flere: neque vos conturbet meus a vobis receſſus. Illo proficiſcor, vnde vobis vtilior ero, vitaque perfunctus plura vobis multo conferam beneficia, quam hic a me expectare poſſetis.* *Spes in morte.* Tandem cum iam fatalem metam adijſſet, placidiſſime extenſis in cœlum manibus, felicem multis virtutibus animam, in manus Conditoris depoſuit, inferendam inter ſtellas quorum multitudinem numerat, & omnibus eis nomina vocat, in ſecula. Amen.

P IN

IN FESTO S. LAVRENTII Martyri.

❧ mortuum fuerit, multum fru-ctum affert. *Ioan.*

CONCIO.

De Martyrum ardore in patiendo.

Scæuola factum.

AVDATVS inter Ethnicos Mucius Scæuola, a trunca & retorrida manu. Porſennæ Ethruſcorum Regi necẽ parabar. & cum dextera feffeliſlet, ahum pro Rege cædens, ſtetit ille hoſtium flammarumque contemptor, & manum ſuam in hoſtili foculo diſtillantem perſpectauit. donec Porſenna, cuius fauebat gloriæ inuidit, & ignem inuito eripi iuſſit. Inermis ac mãcus bellum confecit, & illa manu trunca duos reges vicit. Magis tamen inter noſtros laudatus Laurentius, qui vt Sacra vaſa Eccleſiæ, ipſiuſque Dei honorem a contumelia vindicaret, non manũ, ſed totum corpus exurendum in craticulam conieeit, tanta conſtantia, vt cum liqueſcerent latera, igneſq; fumantes reſtinguerent, defluente corpore, alterum latus obiecerit tyranno, dicens. *Verſa & manduca, Iam aſſatum eſt.* Vnde huic, & alijs martyribus, tantus ardor patiendi? breuiter inquiro & prouulgo.

xpl. loc. Pſ. 103. de ardore Sanctorũ in Euangeliζan. & moriẽ. pro Chriſto.

Inter Dei opera maiora, Pſaltes reponebat Angelos, atque Dei miniſtros. *Qui facis*, inquis, *Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis*. Quærebat Diuus Auguſtinus, quid ſignificetur figurate in Eccleſia, per Angelos & miniſtros. Quomodo, *inquit*, accipimus, qui facit Angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis? Reſpondit in hunc modum. Spiritus, ſpirituales dicit. Bene. *Facit Angelos ſuos ſpiritus.* ideſt. Nuncios verbi ſui ſpirituales. Labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, vt eſt in Propheta, & legem de ore eius requires. Angelus enim Domini exercituum eſt. Sacerdotes itaque Angeli ſunt ſpirituales. Spiritualis enim omnia iudicat, ipſe autem a nemine iudicatur. Vide ſpiritualem, factum Angelum Dei. *Non potui*, inquit, *vobis loqui quaſi ſpiritualibus, ſed quaſi carnalibus.* De ſpirituali quadam affectione miſſus eſt ad carnales, tanquam Angelus de cœlo ad terram. 1. Cor. 2. & 3.

Quomodo vero dicit, *& miniſtros ſuos flammam ignis*, niſi quomodo dicit, *Spiritu feruentes*? Sic enim feruens ſpiritu, ignis ardens eſt omnis miniſter Dei. Nonne ardebat Stephanus? Quo igne ardebat? Et quis ille ignis erat, quando lapidabatur, & pro eis a quibus lapidabatur feruenter orabat? Nonne ardebat & Petrus, qui poſt perſecutiones, verbera, carcerem, cathenas quę pertulit, etiam crucifigi pro nomine Ieſu non recuſauit? An non & Paulus ardebat, qui lugentibus diſcipulis, & magiſtrum indulgẽtiſſimum ſimul atque doctiſſimum, ne Hieroſolymam concederet, a propoſito deterrentibus. *Quid facitis*, inquit, *flentes & affligentes cor meum? ego autem non ſolum alligari, ſed & mori in Ieruſalem paratus ſum, propter nomen Domini Ieſu.* Iuit, in inſidias incidit, compræhenditur, ligatur, cæditur; & tamen cum ei copiam fandi feciſſent, tortores ſuos in viam ſalutis dirigere moliebatur. non pro ſe ſollicitus, vt vel ſic acceptus dimitteretur, ſed pro illis, ne errantes in æternum perirent. Romam tandẽ perductus, compedibus deuinctus, mortem non tantum non refugit, quin potius præoptaret. *In omni fiducia,* Rom. 12.

inquit,

inquit, *ſicut ſemper & nunc, magnificabitur Chriſtus in corpore meo ſiue per vitam, ſiue per mortem. Mihi enim viuere Chriſtus eſt, & mori lucrum.* Inſuper nonne ardebat & agmen illud Chriſti miniſtrorum, qui *ibant gaudentes a conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu, contumeliam pati?*

Sponſus inuitabat dilectam, vt ad ſua vulnera conuolaret, deque illis ſuauitate cœleſti inebriaretur. *Surge*, inquit, *columba mea, in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*. Per foramina petræ, vulnera Chriſti intelligo, per quæ nobis patet immenſa Chriſti erga nos dilectio. quod ille Deus pro vermiculis, iuſtus pro iniuſtis, imo & pro hoſtibus ſuis ſanguinem profudit. Clamat clauus, clamat vulnus, quod vere Deus ſit in Chriſto mundum reconcilians ſibi. Patet arcanum cordis per foramina corporis patet magnum illud pietatis Sacramentum, patent viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos oriens ex alto. Quidni viſcera per vulnera pateant? In quo enim clarius quã in vulneribus tuis eluxiſſet, quod tu Domine ſuauis, & mitis, & multæ miſericordiæ? Maiorem enim miſerationem nemo habet, quam vt animam ſuam ponat quis, pro addictis morti & damnatis. In his foraminibus apertis magna multitudo dulcedinis, plenitudo gratiæ, perfectioque virtutum. Qui in hæc referta cellaria ingreditur, & velut columba nidificat in ſummo ore foraminis, vt cum Moyſe *poſitus in foramine petræ*, tranſeunte Domino, mereatur non anteriora (nam faciem ſtantis, id eſt incommutabilis claritatem quis videat, niſi qui introduci iam meruit, non in Sancta, ſed in Sancta Sanctorum?) Sed poſteriora Dei aſpicere, rutilantia ſed *in pallore auri*. inebriatus ab his viſceribus, euadit in miniſtrum Dei non deſidem, ſed ignibus flagrantem, & a flammarum incendio exæſtuantem.

in quo eu piunt ſatisfacere Chriſto.

Applicata ex D. Bernardo ſerm. 61. ſup. Cãt.

quem conſiderant pro ipſis paſſum.

Dicebat Dauid. *Et poſteriora dorſi eius in pallore auri*. Aurum Verbũ, aurum Sapientia eſt. Hoc aurum ſemetipſum decolorauit, abſcondés formam Dei, & formam ſerui prætendens. Decolorauit & Eccleſiam, quæ ait. *Nolite me conſiderare quod fuſca ſim, quia decolorauit me Sol.* ergo & huius vt & Ieſu, *poſteriora dorſi in pallore auri*, quæ fuſcum nõ erubuit Crucis, vſtionem paſſionis non horruit, liuorem vulnerum non refugit. & iam complacet ſibi in illis, & optat nouiſſima ſua horum ſimilia. Ex his vulneribus martyrij tolerantia. Non eſt quod vereatur martyr, exanguem liuidamque leuare ad eum faciem, cuius liuore ſanatus eſt. glorioſum ſibi putans ſe repræſentare ad ſimilitudinem mortis eius. vtique & ipſe in pallore auri. Quid vereatur, cui etiam a Domino dicitur, *Oſtende mihi faciem tuam?* Ad quid? vt mihi videtur, ipſe ſe magis oſtendere vult. Ita eſt. Videri vult, non videre. Quid enim ille non videt? Non eſt ei opus, vt quis ſe oſtendat; a quo nihil non videtur, nec ſi ſe abſcondat. Vult ergo videri. Vult benignus Dux deuoti militis vultum & oculos, in ſua ſuſtolli vulnera; vt illius ex hoc animum erigat, & exemplo ſui reddat ad tolerandum fortiorem. Enimuero non ſentiet ſua, dum illius vulnera intuebitur. Stat martyr tripudians, & triumphãs toto licet lacero corpore, & rimante latera ferro, nõ modo fortiter, ſed & alacriter Sacrũ e carne ſua circumſpicit ebullire cruorem. Vbi ergo tunc anima martyris? nempe in tuto. nempe, *in petra*. nempe in viſceribus Ieſu, vulneribus nimirum patentibus ad introeundum.

expli. loc. Pſal. 67.

Nota.

Adeſt Deus martyribus et vultum oſtendens ſolatur. ideoq; illi muniti & gaudẽtes.

Digitized by Google

eundum. Si in ſuis eſſet viſceribus ſcrutans ea,ferrũ profectò ſentiret, dolorem non ferret:ſuccumberet & negaret. Nunc autem in petra habitans, & per has rimas *ſugens mel de petra,oleumque de ſaxo duriſſimo*, quid mirum ſi in modum petræ duruerit? Sed neque hoc mirum, ſi exul a corpore, dolores non ſentiat corporis. Neque hoc facit ſtupor, ſed amor. Submittitur enim ſenſus, non amittitur.

Nec deeſt dolor,ſed ſuperatur, ſed contemnitur. Ergo ex petra martyris fortitudo;inde plane potens & ardens, ad bibendum calicem Domini. Et calix hic inebrians, quam præclarus eſt?

Iam intellexiſtis,qui nam ſint miniſtri,quos Deus facit ignem ardentem.Nimirum Martyres,qui amoris Diuini ignem hauriunt, ex vulneribus Ieſu Chriſti; pro quo glorioſum & ſuaue ducunt, laqueos, gladios,cruces,equuleos,laminas ardentes,craticulas & ſartagines ignitas, imo & ipſos ignes,ſanguine profuſo ſolemniſcare.

a vulneribus Ieſu à quibus flammantes.

Plinius referebat *in Nymphæo quodam olim exire e petra flammam, quæ pluuijs accendebatur*. eſto verũ nec ne fuerit. ab hoc vnione pretioſiſſimo Chriſto, ſpinis & clauis perforato, manat ignis amoris, quem neque aquæ multæ, neque ipſa flumina aut Oceanus malorum extinguere poſſunt, quinimo magis redaccendunt.

Idem inter miranda prodidit ignium atque terrarum;quod *ſubiectis Ariciæ aruis ſi carbo deciderit,ardere terram.In agro autem Sabino et Sidicino vnctum flagrare lapidem.In Salentino etiam opido Egnatia, impoſito ligno in ſaxum quoddam ibi ſacrum, protinus flammam exiſtere*. Non inquiro in opera naturę, an hęc miracula perfecerit. Dei ſolius qui *ignis conſumens, ignem venit mittere in terram*,opera demiror: quod ſi Angelus eius,vel carbonẽ ignitum forcipe aureo labiaque alicuius prophetæ illo depurarit; vel de medio rotarum admirandarum manu corripuerit, & ſuper carcere terreno clauſam animam alicuius aſperſerit, ſtatim faciat miniſtrum illum flammam ignis. Sit deinde aliquis, vel vt lignum, madore quopiam fluido perfuſum, vel vt ſaxum obduratione animi euincibile, ſi in vulnera Ieſu pretioſa inferatur,vel ſanguine ex latere Chriſti profluente perfundatur in momento euadet in miniſtrum flammam ignis.

Laurentij animę ardores, flammas ignium ſuperans.

Ab hoc profluuio igneo;& Diuus Laurentius miniſter flamma ignis. Hoc igne (*ita Concionabatur hodie Diuus Ambroſius*) Sanctus Laurentius ſuccenſus,flammarum non ſenſit incendium, & dum Chriſti ardet deſiderio,perſecutoris pęna non ardet. In quantum enim in illo fidej ardor feruet, in tantum ſupplicij flamma frigeſcit. Corporali enim beatus Laurentius dum vritur incendio, hinc amore Chriſti ſuccenditur. inde perſecutoris flamma torquetur, ſed Diuinus Saluatoris ardor materialem tyranni reſtinguit ardorem. Quamuis enim in fauillam membra ſoluantur,fidej tamen fortitudo non ſoluitur. Corporis detrimentum ſuſtinet, ſed lucrum ſalutis acquirit. Non enim, fratres, Beatus Laurentius cita vel ſimplici paſſione perimitur; nam qui gladio percutitur, ſemel moritur: hic autem longa & multiplici pœna cruciatur, vt mors differatur,& non deſit ad ſupplicium, deſit ad finem. Dicitur enim ab illo ſæuiſſimo perſecutore,hæc illi conſtituta pœna,vt ardentium expoſita mole carbonum, inſuper eum ferrea crate diſtentum lenta flamma conſumeret

Vt

Digitized by Google

Vt non tam inflammando cito interimeret hominem, quam diu exurendo torqueret: ita cum vnum latus exuſtum perſecutor cerneret, aliud latus ignibus obijceret exurendum.

Legimus *Ananiam, Azariam & Miſael beatiſſimos pueros a rege in camino ignis incluſos, in pœnarum ſuarum deambulaſſe flammis, & igneos globos pedibus conculcaſſe.* Vnde & beatus Laurentius, non minori eſt gloria præferendus. Si quidem illi in pœnarum ſuarum flammis ambulant: hic in ipſo ſupplicij ſui igne decumbit. Illi veſtigijs pedum conculcant incendia; hic laterum ſuorum deuotione reſtinguit. Illi, *inquam*, ſtantes in pœnis eleuatis manibus orabãt Dominum: hic autem proſtratus in ſua pœna toto corpore Deum deprecatur. Iterum ergo beatus Laurentius exuſtis lateribus, in dorſum ſupinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur, vt impleretur Pſalmi prophetia, quæ dicit ex perſona Laurentij. *Proba me Domine, & tenta me, vre renes meos, & cor meum.* Duplici ſe vtique igne poſtulat comburi. Nam ſi de vno & ſolo mundi igne loqueretur, ſufficeret renes tantum exurendos incendijs obtuliſſe. Cor autem niſi flamma Chriſti non vret, ſicut Amaus & Cleophas dixerunt. Non ne cor noſtrum ardens erat in nobis cum aperiret nobis Dominus ſcripturas? Atque ideo ad comprobandam deuotionem ſuam, geminum ſibi ignem poſtulat; vt luctamine habito, oſtendat in ſe plus poſſe amorem Chriſti, quam pœnam tyrrani. Honoremus igitur & imitemur, fratres, Beatum Laurentium, qui dum fide ſua perſecutoris flammas vicit, oſtendit nobis per ignem fidej, incendia gehennæ ſuperare, & amore Chriſti diem judicij non timere. quin potius bene ſperare, vt vbi ipſe eſt Rex Regum regnans, ibi ſit & miniſter flamma ignis, conregnans in ſecula. Amen.

IN FESTO ASSVMPTIONIS SS. Virginis.

Quaſi palma exaltata ſum in Cades. *Eccl. 24.*

CONCIO.

Cauſa aſſumptionis Mariæ.

PALMA, in Hieroglyphicis Theologiæ notis, reſurrectionis ſymbolum eſt. Mirum de ea accepimus, *ait Plinius*, cum Phœnice aue, quę putatur ex huius palmæ argumento nomen accepiſſe, emori ac renaſci ex ſeipſa: eratque, cum hæc proderem fertilis. Itaque nõ imerito futuræ redanimationis index, quam in die iudicij extremo expectamus. Fatalẽ illum cõmunitatis diẽ, præuenit Diua virgo Deipara Maria, dum hodierna die reaſſumpto corpore, proceſſit in cęlum, atque *Exaltata eſt ſuper choros Angelorum.* Diuina quidem virtute, cuius opus propium eſt mortuos ad vitam reuocare; ſed etiam pariter merito proprio incorruptæ virginitatis, & charitatis immenſæ. vt ſicut palma ex ſeipſa emoritur & renaſcitur; ita & Diua virgo exaltata *velut palma in Cades*, mortua quidem fuerit propter infirmitatem corporis, aſſumpta autem, propter intaminatũ vigorem *Virginitatis & charitatis.* Binam iſtam radicem aſſumptionis Mariæ, in præſenti aſſigno & reſigno.

hierogl. reſurrectionis palma.

Cherſydris ſerpens omni animantium generi, præſertim vero homini inſidias molitur. Vim eius veneni

hierogl. Sathana cherſy.

Ariſt. lib. 8. c. 7. lib. de theriaca.

neni & aſtum inſidiarum expendit *Aelianus & Apollodorus*, ſi quis eam imprudens cõculcauerit, etiam non momorſus, vitam cum morte commutat quod eius tactus quiddam omnino tabi: cum dicatur habere. quin & is, qui curare remediumq; afferre morienti tentauerit, communicata tabe, ex ſola tactione puſtulas in ſua cute exorientes patietur. Cautio eius in ſtruendis inſidijs. Secundum vias ſe abdit, ſepeque etiam correpens in arborem conſcendit, ſeque in orbem contorquens ac concludens, caputque in ſpiram occultans expectat prætereuntes. qui mox vt proximi ſunt, tacitus ex occulto irruit, ſeſeque iaculatur ac morſu percutit, non modo homines, ſed & beſtiam quamlibet: valet adeo tum ſaltu, vt viginti cubitorũ ſpatium tranſilire queat: protinuſque ad ea quæ ſaltu appetit in hæreſcit. *Palma tãtum arborem refugit, quod vel ſcabro ſtipite, vel non fatiſcentibus, imo ſe attollentibus in cacumine ramis*: repanda, autem arboreta tantũ ambit Ne forte huius in ſpecie, draco ille antiquus Euę apparuit; atque adeo per illam, totum genus humanum, viroſa tabe affectum, in morte ire coegit? Nõ dubito, quin iſtius ipſiu formã accepit. nam & arbori interdictæ in hæſit, & caput flammas & incendia vomens occultauit, & non modo quos vulnerauit Prothoparentes, ſed etiam nos omnes qui illos naturæ, communione cõtingimus, puſtulis originarię labis, & hinc dira morte confecit. Secus viam quoque, ſcilicet, in ſemita conſiliorum quam perfectiores tentant, eouſque ſe abſcondit coluber tortuoſus, vt mordeat vngulam decurrentis animæ, ad patriam claritatis ęternæ; ſi quo alio medio certe magis per corpus deuinctum. Beatus qui calceat pedem ſuũ cothurno caſtitatis, ne ſpicula venenata quę iſte intorquet excipiat fęlix ter & quater, qui in *elatem palmeam*, duram & rigidam. atque reptationi ſerpentinę contumacem, per virginitatẽ euadit. Refugit hanc arborem ſerpens, ſi illa non degenerat in vile arboretum. Alias, alios quos momorderit, tabo perfundit, morte damnat & poſt mortem illud ſolenne carnalibus, *cinis es & in cinerem reuerteris*. pati cogit, dum tales incinerati hęreditant vermes & ſerpẽtes, à quibus in vita percuſſi. *Palmæ virginitatis* hoc priuilegium peculiare, vt ſicut fuerũt in vita incorruptæ mente & corpore, ſic & a morte cadauera earum plerumque incorrupta perſeuerent. *Incorruptio enim facit proximum Deo & Angelis*. Vt quemadmodum illi per naturam, ſic & iſti per depurationem & gratiam, non vnguine, non balſamo aliquo illiti, ſint ab omni corruptione immunes. quin & quam plurimi eorum, propter virginitatis meritum a communi expectatione mortuorum ſegregati, & ſtatim a morte reſuſcitati, fuerint in terram viuentium, ſumma cum lętitia tranſlati.

hieroglyph. virginitatis. Palma.

propter incorruptionem.

Palmę rami non fatiſcunt, ſed in altum eleuantur. ipſa deinde arbor ſemper manet virens, conſeruatione & diuturnitate non immutatione foliorum. Alię arbores perpetuo virentes, tamen folia aliquando inueterata demittunt, alijs ſuccreſcentibus quaſi quadam ſucceſſione: at in palma nullum decidit folium, cui aliud ſuccedat, ijſdẽ ſemper manẽtibus. Si aliqua virgo talis, quę ſuauiſſimo Chriſti oneri non ſuccũbit, ſed ſiue gladio, ſiue Cruce, ſiue flammis preſſa, maior ſeipſa in dies atque fortior exurgens, in altum conatur, palmam imitata quę vertice cœlis minatur, ſic ipſa amoris igne ſuc-

2. & 3. propter attolentiã animæ & corporis

ſuccenſa, temnit mortem, deſpuit infernum, ridet præſentes ſpiritus, ad ſolum Ieſum flagranti deſiderio aſpirans, conſequitur, vt in extaſim rapta, mente cœlum tranſcendat, adhuc in mortali corpore poſita. quin & ſecum grauem hanc ſarcinam, non modo in aera, ſed & ſuper ſidera trahat. non ſecus ac magnes ferrum, ac ſuccinũ paleas. Viderunt non ſemel *D. Dominicum, Thomæ Aquinatem, Chaterinam Senenſem*, & alios extaticos, in aera, dum orabant, ſublatos & nullo fulcro innixos, vehementia amoris ſolius ſuſpenſos. Paulus etiam tertium cœlum tranſcendit, ipſe inſcius, ne forte non cum corpore ipſo. Enoch & Elias, propter vtriuſque virtutis meritum, poſt mortem in Paradiſum tranſlati viuunt. De etiam ineffabilis gloria, (*vt Nicephorus ſcripſit ex pio ſenſu quorundam*) ea quam ipſe ſolus nouit hora illuceſcens, Ioannis corpus terrenum & corruptibile, in immortale tranſmutauit, & in Diuinum Paradiſum recepit. Decebat quippe, *ait*, & ipſum qui matris loco incorruptam ſemperque Virginem Mariam habuiſſet, & dilectus imprimis fuiſſet fraterque adeo immortalitatis promptuarij extitiſſet, immortalitatis participem fieri. Decebat etiam, vt Sancta confitetur Eccleſia, imo multo magis decebat, Diuam Virginem guſtata placide morte, ſtatim ad vitam redire, & ſuper choros Angelorum exaltari. *Palmam* hanc ſuper omnes cedros Libani elatam, nunquam Draco ſerpens antiquus venenauit. quinimo ipſa calcaneo ſuo, monſtrum illud conculcauit. *Lignum illa vitæ*, cui nunquam auctor mortis adrepſit. *Speculum* illa ſine macula virginitatis immaculatę, cui nulla labes vnquam adhæſit. *Rubus* illa ardens in combuſtus, cui ſemper Deus inhabitauit, inque eius ardoribus mirum in modum ſeſe oblectauit. *Solium illa gloriæ Dei*, cui nunquam Princeps tenebrarum propinquauit.

in quo ad huc mortales eleuantur.

lib. 2. ca. 42.

Potes hęc ſymbola deducere ſi placebit.

Non eſt opus Virginitatis & charitatis eius præconia attollere, quæ tam innumerabilia ſunt, vt etiam linguas Angelorũ fatigare poſſint. Propter hæc meruit, *vt, idem Nicephorus meminit*, vt Cęlitus filius eius cum innumerabili exercitu Angelorum deſcenderit, animam illã Sanctam prorſus & Diuinam aſſumpturus, corporique reiuncturus, atque adeo viuam iam & animatam Dei arcam in Templum perennitatis exaltaturus. Queſierunt poſt triduũ Apoſtoli Sacrum eius ſepulchrum aperientes: iniquum iudicantes, ſi Thomas (*qui ſepulturæ nõ interer at*) Diuinum matris corpus non ſpectaret atque complecteretur. & ſepulchro quidem aperto, deſideratum illud corpus non comparuit. Sepulchralia tantum lintea, rite compoſita loco ſuo manebant, itidem vt filij quoque eius in ſepulchro relicta. corpore redanimato, ſuper cœlum aſſumpto, quemádmodum Propheta Dauid prędixit. *Exurge*, inquiens, *Domine in requiem tuam, tu & arca ſanctificationis tuæ*.

lib. 2. ca. 21.

Meruit virginitate & immenſa charitate, vt ſicut viuens triumphauit de *Cherſidro* antiquo ſerpente, triumpharet & mortua, neque hęreditaret, vermes & ſerpentes. Quinimo ſicut cõculcauit viuens, mortis ipſum incentorem, proculcaret & mortua, tum in ſuo quod Diuina viuificauit virtute, atque ad immortalitatem aſſumpſit, tum in alieno, quod ab ijſdem meritis, potis eſt ad vitam reſuſcitare, corpore.

Magna & mirabilia omitto miracula: quæ tum cum ad ſepulchrum efferreretur, patrauit. quod Hallis in Belgio ante ſere ducentos

tos annos oratione ſua effecit.

Narrabo vnum, ſed quod plura miracula in vno continet: & quod Diuinæ benignitatis & potentię totum fontem manat, atque oſtendit. Aſſurge anime, & maiori quodam ore hoc effer: & vt poſſim, tu Diua mentem inſpira.

Lipſ. in D. Hallen. c. 21.

Sancti Hilarij vicus eſt minus nobilis, iuxta Cameracum nobiliſſimum opidum. eius incola Stephanus Morelius fuit, cui vxor Firmina: & hæc prolem ei non prolem peperit, anno. 1428. Mortua enim erat, & obſtetrix ac fœminæ omnes, quæ partioni interfuerant, ita dijudicabant: idque explorato, cum lauiſſent, fouiſſent, igni experiendæ aut eliciendæ vitæ, admouiſſent. Puer igitur in terra communi & profana, de more, ſepelitur: & alij quidem curam aut cogitationem eius vna deponunt. At non mater, cui duplex luctus, & a morte prolis, & a tali morte, quod nondum conſors & particeps Diuini baptiſmi & lauacri fuiſſet. Itaque plangere, & ſe affligere: & tamen ſpem vel fiduciam in Diua Virgine ponere, eo magis quod ſolita eſſet annua peregrinatione eam colere, & Hallas venire, ac ſtatuam pie caſteque venerari. Vota igitur facit, iteratque de die in diem, & contra ordinem rerum vel naturam pugnat, vſque ad diem quintumdecimum a prolis ſuæ morte. Et iam fidentior eſſe, ac palam affirmare illam viuere: gnaram certamq; ſe eſſe ex viſo nocturno, quod ſæpius eueniſſet. Mulieres denique adminiſtras importuna vrget ac propellit ad hortum ire, vna cũ patre Stephano, & puerum terra iam tot dies conditum contemplari, & arbitrari ecquid eius rei eſſet. Refodiunt tres pedes circiter defoſſum puerum, terra etiam ſuperne pedibus inculcata: vident ipſum & miraculum, pulchellum, viuidum, & roſæ inſtar, quod dicitur, rubentem. Nulla nota mortis in corpore ne noxa quidem, niſi quod maxilla altera terræ aggeſtu & impreſſione attrita leuiter eſſet. Mirantur trepido gaudio, nec audent tamen tollere: quippe iamdiu mortuum: & contra calumniã omnem, ad Paſtorem ſuum eunt. Ille venit, ipſe quoque ſtat attonitus, & ſigna vitæ palam videt: ſuadet, quoniam in Diuæ Virginis patrocinio puer eſſet, deferri ad proximum pagum Vuerrenguelium, qui frequentior erat, & vbi ea colebatur. Eunt, obſtetrix, fęminæ, magna pompa: & quia dies inclinabat, & pagus ſecundo lapide aberat, prouida mater ſacratæ candelæ cereæ partem donat; quæ in laterna præluceret. Mirum hic alterum. cum lento paſſu irent, vt amat hic ſexus, pars illa cerei, cuius modulus ſeſquipalmis erat, non defecit, ne minuit quidem: & perſeuerauit ardere ac lucere a ſexta veſpertina ad lucem ſequentis diei, ſine vlla, vt dixi, diminutione.

Miracula aliquot in vno miraculo a cultu. D. virginis.

Mirum tertiũ. Via anterior quam inibant & petebant, tota illuſtris inſtar diei erat; ſtatim ab agmine, tenebrę & nox excipiebant. Iam in propinquo Vertenguelij erant: & de Paſtore audiunt non eſſe inibi, ſed in arce aliqua (Vertainium ei nomẽ) cum Præfecto, viro nobili, conuiuari. Ergo Pater Stephanus, cum æditui S. Hilarij vxore, quæ comes hæſerat, illuc celeri pede eunt. reperiũt arcem ſub tempus prandij clauſam, pulſant, repulſant: nemo audit vel admittit. Quid tamen? Sponte (quartum miraculum obſerua (dum adſtant, portula maiori portæ (vt fit in arcibus) inſerta, ſponte aperitur, dat aditum: ineunt, & ad alteram portam accedunt. Pulſant item, & nemine conſpecto portula aperitur: pergunt

gunt ad tertiam, fit idem. Veniunt igitur ignaris omnibus in cænaculum: Henricus Dammanus præfectus arcis inclamat. *Quis intromiſiſſet? & Socios, an hoſtes?* Imò exſilit, & ianitore conſpecto gladium educens in eum ingruit: *Et ſceleſte,* inquit, *vbi fides?* Ille excuſare & deprecari, ſedulo ſe portas omnes clauſiſſe neque recluſiſſe, & teſtem filiam Præfecti, quæ adfuerat, dare. Admiratio in locum iræ ſuccedit, & videt imbellem manum, & hoſtile nihil eſſe. Itaque preces admiſſi exponunt, & Paſtorem poſcere, vt Vertenguelij talem puerum (rei ordinem breuiter addunt) velit ſacro fonte ablutum, Chriſti numeris adſcribere. Surgit nouitate hac & illa attonitus, & comitantur eum e conuiuio, viri fæminæque ad viginti. Ipſe Præfectus equum inſterni iubet, & conſcenſo, cum quinque comitibus eodem intendit. Vocata autem virgine filia, portas maiores aperiri illico iubet: fruſtra. iam ſponte omnes reſerauerant; aut vt verius dicã, virgo illa Mater aperuerat. Ipſe ſi degno Crucis identidem ſi ſignare, & tamen pergere, donec ad templum cum Paſtore aduenirent. Ibi puer omnibus conſpicuus, ſigna vitæ clara mittit, ſanguinem ſtillat e naribus, os aperit clauditque, idem in oculis, & denique gemit etiam ac lacrimatur: & veris quidem grandibuſque lacrimis, & quas detergere linteo & excipere licebat. Ergo baptiſmum Paſtor, incoram omnibus (ad ſeptuaginta hominum erant) indulget: & vixit puer quinque horas circiter, in ara Beatæ Virginis reclinatus: ac mox (quintum miraculum) inſtar niuis viſus palam liqueſcere & tabeſcere, & ſic ad mortem ire. Terrę igitur ibi ſacræ mandatur: & ſextum miraculum addam. poſſum Firmina mater, abſens & in lecto ipſa illa hora, ſenſit mammas ſibi areſcere, antea lactãtes, & quas nulla arte, donec puer baptiſmo tinctus & vere mortuus eſſet (vide ſympathiam) potuit areſacere, aut exſiccare. Huic rei duo pagi, & tot homines teſtes! ò rei mirandę! & quid omnis calumnia vel impudentia hęc contra poſſit? *Ego vero te Diua veneror ſupplex atque inuoco: quę puerum a morte ad vitam, donec in veram vitam ſurgeret, reduxiſti: nos quoque benigna intuere & effice, vt momentanea hac vita functi ad illam æternam, te duce & directore veniamus, quod per illum quem genuiſti, te quæ genuiſti precamur, o Diua Diuarum, quæ in æternum Regnas. Amen.*

IN FESTO S. HYACINTI Confeſſoris Ordinis Prędicatorum.

Vndecimum fundamentum Hyacinthus. *Apoc. 21. c*

CONCIO.

S. Hyacinthi virtutes.

PLINIVS refert inter herbas nihil eſſe mirabilius, lithoſpermo. Herba eſt quincuncialis fere, folijs duplo maioribus quam ruthæ, ramulis ſurculoſis, craſſitudine iunci. gerit iuxta folia ſingulas velut barbulas, & earum in cacuminibus lapillos candore & rotunditate margaritarum, magnitudine ciceris, duritia vero lapidea. Tantus eſt decor huic herbæ, velut aurificum arte alternis inter folia candicantibus margaritis: tam exquiſita difficultas lapilli ex herba naſcentis. *lithoſpermi pulchritudo.*

Aio ego, nihil eſſe venuſtius at-

Q que

que mirabilius, *inter vernantes flores Eccleſiæ, noſtro Diuo Hyacintho*. quot in eo virtutes, tot vniones pretio incomparabiles atque inæſtimabiles. Propter quas dignus fuit, vt in ſubſtructione fundamentorum Eccleſiæ, vndecimus numeraretur. Vir plane Apoſtolicus & Angelicus; Vita, doctrina, & rebus pro amplificatione Eccleſiæ feliciter geſtis. Hos ipſius lapillos, ego eruo & profero in præſenti.

Ornatum ſponſæ Eccleſiæ, Ieſus legebat, ab his ex quibus Eccleſiam colligebat. Mittebat diſcipulos ſicut oues manſuetas, in medio luporum. quis vnquam ſperaſſet ab efferis, cymmelia Eccleſiæ? Tamen eduxit verticique eius ſidereo impoſuit. *Veni*, inquit, *coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir de cubilibus leonum, & de montibus pardorum*. Cubile barbarorum olim noſter Sarmaticus Orbis. in quo leones ferocientes, & pardorum more fraudes furoribus permiſcentes, Leſcones, Popelli, Boleſlai, recubabant, omnia humana & Diuina temerantes. Quis crederet ab his ſpęleis, aliquod monile futurum Eccleſiæ? Trepidabant Antiſtites tum ſacrorum tum prophanorum, ad nomen Vandalorum, Sauromatarum, Gothorum, quaſi ad aliquod fulmen horrendum. tamen ex cubilibus iſtis leonum & pardorum, Venceſlaos, Staniſlaos, Adalbertos, eruderauit, inque mundum ſuæ ſponſæ expoliuit. *His* inquit *veſtieris & ornaberis*. Inter alias diuitiores fauiſſas, reperiit familiam Odrouanſiorum, ex qua feros nepotes Illuſtrium antenatorum, in toga & ſago immortalitate dignorum, produceret, Diuum Hyacinthum & Beatum Ceſlaum, Fratres vere germanos; quos teretibus digitis ſuis intereret. Nam *eius manus tornatiles aureæ, plenæ ſunt Hyacinthis*; & hinc deinde, manu ſua imponeret, inter alios pretioſiores lapillos, quibus ſi decteam coronam pertexuit Dilectæ Eccleſiæ, quæ; coronata de cubilibus leonum & de montibus pardorum.

expl. loc. Cant. 4. de Polonis.

ex quib. 2. Hyacinthus.

Olim apud Romanos, Prouinciæ ſubactæ, Imperatori recens renunciato, certum pondus auri offerebant, quod Aurum Coronarium nuncupabant. ſcilicet, Coronæ aut diademati conficiendo. Contulerunt noſtro Regi Regum Ieſu, aliæ partes orbis terrę aurum, argentumque Coronarium: noſtra Patria dedit Hyacinthum lapidem prætioſum, dignum qui in ſubſtructione Eccleſiæ inter fundamenta numeraretur, & inter alios coronæ Eccleſiaſticæ prętioſos lapillos attexeretur. Tanta eius innocentia, ſanctitas vitæ, ardor promouendæ Eccleſiæ, & miraculorum fulgor.

Corona Chriſti in datur.

Innocentiam vitæ, virginitas indicat, quam illibatam aduſque mortem ſeruauit. Agnominis eius puer Hyacinthus, *vt eſt apud Orphicos*, occidi maluit, quam impuris amoribus inceſtari, purpureoque ſanguini innare, illud dolentis *hai* perpetuo inclamans, quam igneum quipiam referre flaueſcens & flaccidum. Reſpondit eidem noſter Diuus Hyacinthus, qui Virginem ſuā carnem toto vitæ decurſu ita cuſtodiuit, vt etiamnum adoleſcens, rariſſimæ formæ, diuitiarum & nobilitatis magno illicio, potis pellicere nōnullam, in magna corrumpentium turba verſatus, ſanctitate morum effecit, vt dignus admodum Sacerdotio videretur.

Hyacinthi. 1. Innocentia.

Inter Herculis res geſtas illud memoratur, quod Antæum gigantem, terræ filium extinxerit excelſa virtute. Cum enim e Pyreneis montibus per Illiricam regionem iter haberet, & in Lybiam perueniſſet, hunc

Antaios phica ſignif. 2. Mortificatio.

hunc obuium habuit, admirandæ proceritatis virum, in omnes peregrinos inhumanum, quos luctari ſecum perurgebat, atque viribus impares ſuffocabat. Hic cum Herculem ad luctam prouocaſſet, ab eo pene extinctus, ter proſternitur. at erat tanta virtute, vt quoties terram matrem attingeret. toties fortior reſurgeret. Perſpectum id Herculi, qui hunc comprehenſum ſublimem a terra tamdiu fortiter preſſum ſuſtinuit, quamdiu ſpiraret, donec vi Herculea, brachijs denique ſtrictus, expirauerit. Maiorem victoriam retulit D. Hyacintus, de carne per virginitatem triumphata. Non tam frequenter reſurgebat Antæus proſtratus, vt corpus noſtrum. Domes ieiunijs, concidas flagellis, ſtringas cilicio, illud tamen negotium faceſſit domitori ſpiritui. Exeſum, exſuccum, & pene enectum, tamen erumpit. vt nulla vis ſuperare potiſſit illud, præter ſpeciale virginitatis donum, quod ſublatum eneruet hunc nobis adhæreſcentem Iacobum. Meminiſtis, quomodo iſtius emarcuerit neruus. dum colluctaretur cum Angelo: neque hic noſter emoritur, niſi peculiari Dei pollice reprimatur. Repreſſit Diuus Hyacinthus, carnem rebellantem, vt nũquam illum ſuperarit, ſed ipſe potius ex ſuppacta victoria decantarit. Amat talibus victoribus, ornare ſuos digitos Ieſus: amat & Eccleſiæ caput gemmis eiuſmodi coronare: ideoque & Hyacinthum vtrique implexuit, & inter primos vniones voluit eminere.

3. *Sanctimonia.* Sanctimonia vitæ illi tam eximia, vt, Clemente viij. Pontifice Maximo atteſtante, *nihil eo demiſſius, nihil modeſtius, nihil purius, nihil candidius fuerit, vt pote qui virginitatis pulcherrimum florem in cœlum reportarit, & viuendi rationem, quam a S. Patriarcha Dominico, tanquam e puriſſimo fonte hauſerat, ad extremum vſque diem ſanctiſſime colluerit.* Videre erat, illum ſeſe ſingulis noctibus vſque ad ſanguinis effuſionem, ferreo flagro lancinantem, noctes ducentem in Dei laudibus atque oratione continuas, dies operandis ſacris, & proximis iuuandis impendentem. Quicquid enim illi temporis vacuum ab oratione ſupererat, id omne partim colendis ſacris ſtudijs, partim ſacris concionibus habendis, partim ſacris confeſſionibus audiendis, conſecrabat. Iuuabat ille ægros animi cõſilio vel conſolatione, ægrotos aũt corporis. cum viſitaret, ſpirituali recreatione. Vt tũ diceret quoque homines. *Elias quidem in turbine tectus eſt, ſed in Eliſæo completus eſt ſpiritus eius.* Scilicet. Nouus quidem ſui ſeculi Elias Dominicus, terris ſublatus, Cæ-lis illatus eſt. Sed in Diuo Hyacintho præcipue, requieuit ſpiritus ipſius. 4. *et imitatione S. Dominici virtutũ.* 48.

5. *Zelus animarum.* Laudamus in Diuo Dominico, Zelum ardentem ſalutis animarum quo ille flagrabat. Non minus Diuus Hyacinthus æſtuabat. Putares Eliſæum nouum ſequacem S. Patris Dominici poſtulantem. *Oro Pater fiat in me ſpiritus tuus duplex. Prior quidem gratiæ, quæ me gratificet dilecto meo Jeſu; alter vero donorum qui me in vtilitatem Eccleſiæ eroget.* Orauit & impetrauit, vt ſicut Eliſæus ſuum Eljam, ſic iſte Patriarcham Dominicum repreſentauerit, in illo feruore flagrãtiſſimo ſalutis humanæ.

Diuus Pater Dominicus exultabundus excurrebat, ſi quos deuios poſſet inuenire, & ad viã ſalutis reuocare. Occurrebant innumeri, rum moris tum fidei errore ſeducti? reducebat. Reducebat & Hyacinthus.

Angelis, ſuam quam vocat ſphęram actiuitatis, aſſignant Theologi,

Digitized by Google

6. *Labores & Eccleſia.*

vltra quam ne hilum promouere eorum aliqui poteſt, citra permiſſionem Diuinam: Hyacintho fuit incircumſcripta meta operum mirandorum, quibus errones ad veram viam & puram viram reportaret. qua enim patet Hemiſpherium meridiei, Orientis & Aquilonis Trionalis, illac radios doctrinæ & ſanctimoniæ exerebat. Friſaci, nouam plantationē Religioſam plantabat, Cracouiæ eundem Prędicatorum ordinem inſtituebat; Leopoli, Poſnaniæ, Dantiſci, Kijouiæ, inque omnibus Sarmatarū Prouincijs ipſam illam depangebat.

7. *in quibus dum eſt, tranat flumen miraculoſe.*

Prædicandi gratia cum ad varia paſſim loca, ac propterea ad Vandalum flumen Viſſogradum Maſſouię Citatem redundantibus aquis præterfluens aliquando peruenıſſet, nullo nauclero, nulloque nauigio, quo trans amnem veheretur, ad ripas cō ſpecto. hinc vrgebat ardor concionandi, hinc remorabatur vaſtum flumen. Vicit tandem cupiditas animarum, vt magnum auderet. Proſtrato enim in vndas ſubterlabentes pallio, iubet tres ſocios inſilire. renitentibus, & aliquantulum de virtute Diui ſubdubitantibus, ipſe primum inſcendit, & ſocios allocutus. Eia, *inquit*, ſit nobis lacerna iſte loco pōtis. Opus Dei me ſollicitum habet, quod operer. vos ſequimini intrepidi. Sequūtur pallium conſcendunt, vectorem ſuum admirantur, qui aſſilientes fluctus velut aliqua Liburnica ſulcabat, donec litus contingeret aduerſum, quod petebat.

Eliſeus pallium acceperat a volace Helia, cui putabat vim aliquam ſpiritus Prophetici ineſſe, ad ſiſtendum vel ſiccandum Iordanem. Percuſſerat aliqua vice deſultantes vortices Iordanis. & cum non cederet imperanti, reclamabat. *Vbi nunc eſt Deus Eliæ?* Adeo non præſto fuit virtus illa Thaumaturga, niſi dum virtuti Diuinæ colliberet. Hyacinthus cum non Diui ſui Patris, ſed ſuum detritum pallium Vandalo inieciſſet, ſtatim ille poteſtatem eius ſenſit, & liquorem fluidum quaſi in ſcrupeam aliquam ſoliditatem demutans, ipſum & ternos Patres ſuſtinuit, inque alteram ripam per tot diſcrimina aſſilientia tranſportauit.

Maius eſt quod in Oriente patrauit. Gregorio Nono Summo Pontifice iubente, Ruthenos ſchyſmate ſeiunctos, Cumanos vero & alios orientales, gentilitatis limite diuulſos, aggreſſus eſt erudire. Dum ibi multam nauat operam, ſiue in reconciliandis vniendisq; ſchyſmaticis, ſiue in cathechizandis & incorporandis Eccleſię gentilibus, aggredi magna conatus eſt, quæ verum illum Apoſtolum Chriſti declararunt. 8.

Idolomaniam profligat, decuſſata arbore.

Boriſthenes rapidus ſimul & ampliſſimus, & latiſſimus fluuius, continua limi & arenæ cōgerie, inſulam fecit, alicubi locorum infra Vrbem Kiouiam. Accolæ Cumani, arborē cæteris denſiorem in luco conſpicati, Gentico more pro Deo habebant, venerabantur, oraculaq; a malo in ea hoſpite ambiebant, accipiebant. Perdolitum eſt Diuo Hyacintho, Sathanā *tenebrionem Aquilonarem*, ſub *Oriente Sole* tantum poſſe. itaque frequenti tum concione, ad quam in inſulā plurimi vecti nauiculis traiecerant, volebat illo penetrare. nullus volebat accipere. Itaque ipſe ſpe maxima nixus, dat ſe in rapidiſſimum flumen, ſicco pede tranſit in extantem arenoſum lucum, mortalibus cæcutientibus, oculos aperit, lumen Euangelij infert, Principem tenebrarū depellit, Arborem idololatriæ ſacratam execratur, & proſternit, vexilla crucis Sacroſanctæ erigit, tantamq; multitudinem, quanta erat Cumanorum

Eccleſiæ

Digitized by Google

Eccleſiæ & Chriſto adiunxit.

Neq; tantum hac orbita lumina eius ſe concluſerunt, peruagatus eſt plurimas ad Orientem & Septemtrionem Prouincias, Samagetas, Liuones, Litauos, Ruſſos, Pruſſos, Pomæranos, Maſouios, quibus ſplendorem purioris doctrinæ intulit, atque ad veram vitam reuocauit.

9. *miracula* Suſcitauit aliquor mortuos ipſe viuens, cæcos gemellos prolumioauit, paralyticos perſanauit, Dæmoniacos expurgauit, ſegetes grandine percuſſas redintegrauit, ſterilibus prolem impetrauit, alios alijs grauiſſimis infirmitatibus exanimatos prope, ſubleuauit. Religionem Catholicam & Ordinem Prædicatorũ Hercinię Syluæ, Ponti Euxini & Maris Germanici ampliſſimis finibus inſinuauit & propagauit, Diuæ Deiparæ & inprimis Dei jpſius ſacra Sacramenta non ſemel ab iniuria vindicauit; propter quæ facinora illud a Virgine Virginum Maria ipſe virgo inaudiuit. *Gaude fili Hyacinthe, quia orationes tuæ gratæ ſunt filio meo, & quicquid per me ab eo petieris impetrabis.* Petijt multa pro ſalute animarum: petijt & pro ſemetipſo atque pro voto, impetrauit, Demum tornatili manui Dei, & plexili eius ſponſę diademati, implexus corruſcat in ſecula. Amen.

IN FESTO S. BERNARdi Abbatis Claræ vallis.

Nardus mea dedit odorem ſuum. *Cant. 1. cap.*

CONCIO.

De odore virtutum S. Bernardi.

ISAAC Patriarcha moriturus, cum Iacobum filium non tam ab oculo, quam a nare & aure cognouiſſet, vocis lenitate & odoris fragrantia delectatus, non ſe potuit cõtinere, quin in amplexus eius rueret, eique bene precaretur. jta lego in hiſtoria. Dixit ad Iacobum. *Accede ad me: & da mihi oſculum fili mi. Acceſſit, & oſculatus eſt eũ. Statimq; vt ſenſit veſtimentorum eius fragrantiam, benedicens illi ait. Ecce odor filij mei ſicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, vini, & olei. Et ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus FRATRVM tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuę. Qui maledixerit tibi, ſit il le maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* Gen. 27 Suauis fateor, fuit fragrantia, veſtimentorũ Iacobi, qua titillauit nares paternas; magis fragrãtior ſuauitas virtutũ BERNARDI, quibus recreauit mentem Diuinam. *Nardus*, ait, *mea dedit odorem ſuum, dum eſſet rex* Ieſus, *in accubitu ſuo*, Crucis. Odore iſtarũ delectatus, nõ ſe potuit continere Cruci affixus, quin manus exanimes jmaginis auelleret, ſeque de Cruce demittens, in BERNARDI complexus & oſcula declinaret, eique largifluam benedictionẽ impetiretur. De hoc odore virtutũ S. Bernardi mihi ſermo.

Et

Digitized by Google

Chriſtus amat odores.

Et in ſuo, & in alieno cultu, amat odores Ieſus. In ſuo. Nam ab genitura ſtatim, *vnxit* illum *Deus Deus oleo lætitiæ, præ conſortib. ſuis.* Nec tãtum vnguine perfudit tam copioſo, vt quẽmadmodum *vnguentum in capite, quod deſcendit in barbam barbam Aaron, quodque deſcendit* aduſque *oram veſtimenti eius*, ſic ille intimè & extimè, viſus eſt *plenus gratiæ & veritatis*: ſed etiam aromata odorifera virtutum ei adiunxit, quæ ſub ſymbolica ſignificatione Pſaltes inſinuauit, cum dixit. *Myrrha, & gutta & caſſia, à veſtimentis tuis a domibus eburneis, ex quibus delectauerunt te filiæ regum, in odore tuo.* Amat itaque hic nouus Iacob, in veſtimentis fragrantibus patrem oblectare. Ambit hic neoPontifex ſyrmate Sacerdotij Melchiſedechiani præluſtris, & caput, & ſtolam Pontificiam odoribus imbuere. Lubentia eſt nouo ſponſo, ſponſam Eccleſiam Reginam, mirrha, xylobalſamo, & alijs aromatibus recreare: odoratiſque veſtimentis (*quod Iſaias aſpexit*) ex throno excelſo defluentibus, replere templum, terram, Cœlum.

in animabus.

Libẽter quoque odoratur odores, in alieno Mundo. Placet illi talis ſponſa, cuius *emiſſiones Cypri cum nardo, nardus & crocus, fiſtula & cinnamomum cum vniuerſis lignis Libani, myrrha & aloe cum omnibus primis vnguentis*. Placet illi talis Iudith, quæ *ſe vngit myrto optimo*. Placet illi talis Eſther, quæ *ſex menſib. vngitur oleo myrrhino, & alijs ſex, alijs pigmentis & aromatibus* ſe imbuit. Placet illi nempe talis anima, quæ cum Paulo poteſt dicere; *Chriſti bonus odor ſumus*, propter variam ſuaueolentiam virtutum, a defluxu xylobalſami gratiarum, quæ ab odorato Alypta Ieſu, quem *vidimus plenum gratia & veritatis*.

in Bernardo.

Placuit illi, ſi quis alius, maxime Diuus Bernardus, qui hoc ſibi ſponſæ vſurpat dicens; *NARDVS mea, dedit odorem ſuum.* Nardo frequentes ſunt ſpicæ, in ariſtas ſparſæ, floſculis purpureis oculum recreantes & nares. Horum tanta eſt ſuauitatis fragrantia, vt omnes flores odoris ſuauitate prouocent. qua dote in veſtibus inſeruntur. Sed multo frequentiores, & venuſtiores, & fragrãtiores ſunt Bernardi virtutes, quibus ille de odore & ſpecie, etiam cũ ipſis Cęlitibus prouocauit.

in primis placuit. 1. *Virginitate.*

Primam ariſtam purpuream, virginitatis ipſius aſpicio, quam adhucdum puer Deo virgini dedicauit. At quam acri? quam ſuaui odore? Scio nihil tam abunde oblectare Deum, quam virginitatem jmmaculatam. Cum enim ipſe a corpore abiunctus ſit: corporeas voluptates ignorat. Proinde, paſcitur ſemper inter candida lilia, candidus & immaculatus ipſe Agnus. Lilium eſt pater & Spiritus ſanctus, quorum vterque fæminam neſcit. Lilia ſunt candidata Angeli Beati, quorum nemo fæminam nouit. Lilia fuerant prothoparentes noſtri, quãdiu fuerunt in Paradiſo. cum quibus delicias ſuas putabat eſſe, is qui delicias ſuas æſtimat eſſe non cum hominibus: id eſt non cum carnalibus qui ex voluntate carnis, ſed cum filijs hominum, qui ex Deo nati. Opportune animaduertit, & dignitatem virginitatis educit, S. Chriſoſtomus ex illo loco Geneſis, *Adam autem cognouit vxorem ſuam.* Conſidera, *inquit*, quando hoc factum ſit. Poſt inobedientiam, poſt Paradiſi amiſſionem, tunc primum vſus rei venereæ cepit. Ante inobedientiam enim, Angelicam vitam imitabantur, & nullus de re venerea ſermo erat. Itaque ab initio virginitatis palmam principatus accepit: ſed poſtquam per deſidiam peccatum intrauit, *hom. 18 in. Gen. 4. c.*

uit, & aditus patefactus eſt his quæ peccati ſunt, & illa quidam auolauit, vtpote ab his qui indigni tantæ virtutis magnitudine facti erãt, ſubintrauit autẽ rei Venereæ lex. Cogita igitur dilecte, quãta Virginitatis dignitas, quam ſublimis & magna poſſeſſio, & quę ſupra humanam naturam, & quę opus habeat a manu ſuperna. quandoquidem qui virginitatem alacriter arripiunt, in corpore ea agunt, quę incorporearum ſunt virtutum. Audi Chriſtum Iudęis dicentem. Nam de reſurrectione quęſtionem mouentes, & in ſermone capere volentes, dicebant: *Magiſter, erant apud nos ſeptem fratres, & primus uxore ducta defunctus eſt, non habens pueros. & dimiſit vxorem ſuam fratri ſuo. Similiter & ſecundus, & tertius, & quartus, & quintus, & ſextus, & ſeptimus. In reſurrectione ergo, cuius ex ſeptem illis erit vxor? Omnes enim habuerunt illam.* Quid igitur dicit illis Chriſtus? *Erratis, neſcientes ſcripturas, neque virtutem Dei. In reſurrectione enim, neque matrimonium contrahunt, neque elocantur, ſed ſunt ſicut Angeli.* Vidiſti, quomodo in terra ambulantes, & corpore circumdati, Angelicam vitam imitantur, qui Chriſti amore fortem Virginitatis acceperunt? Sane certe. Namque in carne viuere, neque carnales motus voluptatis ſentire, non carneę virtutis, ſed Angelicę poteſtatis indicium eſt. Mirabilis ideo in oculis orbis Bernardus, atque ideo odoratus in conſpectu Diuino, quod hanc ſacram fibulam carni ſuę indiderit, floremque ſuum illibatum conſecrarit Deo. Tanto mirabilior & Deo acceptior, quanto magis ſe Angelum in illis magnis conflictibus ſeruauerit.

Matth. 22.

Adoleſcentulus in flore iuuentæ, peregre ibat alicubi in comitatu. Sole occumbente, diuertunt ad hoſpitium quoddam. Ibi hoſpita, ſcitam Bernardi formam diu contemplans, ab eius modeſtia arſit, illicito amore. Rerum ignarus Bernardus, dat ſe cubitum, atque adeo in ſomnum. ſed non hoſpita male ſana. Surgit de nocte, & lectulo Bernardi adrepens, paulatim ſe dormienti inſinuare cœpit. Ibi expergefactus iuuenis, inclamare cœpit. *Latrones, latrones.* Confuſa mulier diſcedit, ſed cupidine inflammata, ſecundo redit. Bernardus iterum implorat, vociferans ad ſocios; *Latrones, latrones.* Fugit illa per cęcum cubiculum; ſed tertio redit ad Bernardum vigilantem. Ille cum perſenſiſſet tacitos greſſus mouentem, fortius inclamans: *Latrones, latrones,* Socios omnes excitauit, tantumque verecundię in corde palpitantis fœmellę incuſſit, vt non amplius tentare eius pudicitiam attentarit. Laudatis Ioſephi conſtantiam, quod ſolus cum ſola Domina repertus, ab ea pellectus, neutiquam eius voluntati conſentire voluerit: par huic Bernardus, an ſuperior? jam vidiſtis. Sed maiora audite.

Altera vice ad hoſpitium quoddã in itinere diuertens, feſſa membra dedit quieti in lectulo. Ibi hoſpita alia amore adoleſcentis cõflagrãs, itidem ad dormientem accedit. Adoleſcens Bernardus velut inter Scyllam & Charibdim iactatus, quid primum faceret animi pendebat. An vociferaretur, & maritum vxoris impudicæ, inibi dormientem excitaret? Sed famæ & vitæ infelicis metuebat. An vero ardentiſſimo cupidinis telo ictam admitteret? Sed pudicitiæ & conſcientię ſuæ cauebat. Tandẽ vitæ & famę mulieris, conſulens, nec quiq̃ Caſtitati ſuę timens, locũ ei ceſſit, in ſpondam ſelectuli extremam vertens. Iacuit in altera parte mulier, in altera

altera Bernardus: illa igne feruentior, iſte niuibus frigidior, nec tamen mortalis cogitationis contagium illum contingere potuit. quinimo cōiacentem fęminam tanto rubore & timore perculit, vt velut ex flammanti lectulo flammis ſuccenſa exilierit, Bernardumque ſolum, Caſtitatis vexilla expandentem reliquerit. Dicat hic qui volet, non magnū certamen certaſſe Bernardum. ego aio, omnium certaminum longe maximum. Maius eſt hoc, quam Samſoni leonem proſtrauiſſe, & diſcerpſiſſe. quam tribus pueris in fornace Babylonia inter medios ignes non arſiſſe; quam Dauidi iram exilientem in Saulem ſolitarium cohibuiſse. Ideoque hęc ariſta Nardina, maximopere recreauit Deum, qui frequens eſt *in areolis aromatum*, & ad hortos deſcendit concluſos, vt inter lilia paſcatur, & lilia colligat. Iure itaque ſuo gloriatur. *Nardus mea* virginitatis, *dedit odorem ſuum.*

2. *religio.* Alteram ariſtam NARDI Bernardæi aſpicio, amorem Religionis. Sciebat in Salo mundi, omnia ſalebroſa eſse: Satiuſque inter ſcorpiones, vrſos & leones cōmorari, quam habitare cum habitantibus doloſi & periculoſi Cedar. Et Dauidem, talium expertum, pertæduerat huius conuerſationis, dum teſtatur: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus eſt. habitaui cum habitantibus Cedar, multum incola fuit anima mea.* Cedar, interpretatur *nigredo*, & *triſtitia*. Recte ſignificat mundum, in quo cymmerijs tenebris damnati tenebriones, ah quem furuo ſuo atrore non tinxerunt? ah cui nō aliquam maculam aut vibicem affinxerunt? An non audítis Hieremiam plorantem quoſdam peccatores? *Denigrata eſt*, inquit, *facies eorum ſuper carbones, non ſunt agniti in plateis.* An & Deus quandam nō increpat dicens; *Abominabilem feciſti decorem tuum?* An & quidam Prophetarum alios non memorat dum ait; *Facti ſunt abominabiles, ſicut ea quæ dilexerunt?* Verè, verè, mundus Cedar. ideſt nigredo: in quo quicquid ſtringas vel tangas, tingit & inſtar viſci commaculans ſtringit animas fuligine peccati. Quid memorem fornicis ſordes? Quid argenti & auri nigrorem? Quid purpuræ fluorem? Dico. Quid ambitionis, auaritiæ, libidinis maculoſas notas? Nimis ah nimis, anima decorem ſuum illutat, ab hoc limo quod volutat. *Sordes eius in pedibus eius* talis, vt Propheta inquit, quæ in iſtis vel *magnis & mirabilibus ſuper ſe*, vel in lubricis ſemitis intra ſe, vel in auro & argento ſtriatis penes ſe ambulat. Porro, *quid prodeſt homini*, vt Saluator ait, *ſi vniuerſum mundū*, cū ſuis dignitatib. opib. voluptatibusq; lucretur, *animæ vero ſuæ detrimentum patiatur?* triſtitiā æternantem nanciſcatur? ignem ſibi perpetuum accendat? nam accendunt, acquirunt, & patiuntur habitatores Cedar, qui *ducunt in bonis dies ſuos, & in puncto deſcendunt in inferna.* nec tantū quod expectant præmetuunt, ſed & inter ſuas roſas, ſpinis compunguntur; in ſuis mollibus veſtimentis, tineas, ſcitis quam mordaces, perſentiſcunt; dum riſus eorū dolore miſcetur, & extrema gaudij luctus occupat. ita vt nimis ex vero, Cedar, ideſt Triſtitia, mundus iſte nominetur.

expl. verſ. Pſal.117. de mūdo.

Noluit in hoc putore atrantis Cedar, ſordidari Bernardus, aut inſtar Draconū contribulari in aquis mundanis; ſed cum animum Sacrata zona caſtimoniæ cinxiſſet, Nardumq; ſe eſſe cognoſſet, ad Hortum deliciarum Diuinarum concluſum, Religionem Ciſtercienſem anhelauit, propera-

properauit, illique Paradiſo voluptatis, ſeſe inſeruit, vt hinc quoque dicat. *Nardus mea dedit odorem ſuum*, in quo Hortulano Cęleſti vehementer complacuit.

Religionis toga amictus, illud ſibi in horas memorans, *Bernarde, ad quid veniſti*? quaſi quibuſdam ſtimulis ſe ad perfectionem vitæ perurgebat. Proinde in oratione pernox, in contemplatione perpes, in communi obſeruantia aſſiduus, in cautela ſenſuum vigil, in cuſtodia animi acre cernens. Communem ita regulam & vitam æmulabatur; ut nihil in ſuis actibus prętereret obſeruantiæ ſingularis, licet eſſet obſeruantiæ ſingularis. Magnum hoc eſt, celare virtutes virtutum cultorē. Celabat tamen: illud frequenter in ore habens. *Qui facit, quod nemo, mirantur omnes*. In ipſis tamen cōmunibus minima quęque, cum intentione & ſtudio tractabat. Inceſſus eius atq; habitus erat præferens humilitatem, redolens pietatem exhibens gratiam, exigens reuerentiā, & a ſolo aſpectu lætificans & ædificans intuentes. ita vt Angelum in carne conuerſantem homines cenſerent. Feriatus a curis, totum ſe lectioni ſacræ Scripturę donabat. A qua quam magnus? quam ignitus? quam mellitus? Non mirum. Saluator noſter Ieſus, in ſpecie naſcentis in ſtabulo Bethleemitico, eidem nocte quadam Dominicę natiuitatis apparens, intellectum illuſtrauit, inflammauit affectum, erudiuit loquellam, calamum ſcriptorium emanatione claritatis melleę tinxit, vt quicquid vel loqueretur, vel exararet, mella ſuauiſſima ex Hybla Paradiſi cęleſtis degustata diceret & ſcriberet. Meruit, vt religioſiſſimo Cœnobio Clareuallis, Diuina potius prędefinitione quam humana electione, cum poteſtate Abbatis pręficeretur. At quantum illic odorem Nardus, eius diffudit? Non poterat fragrantia virtutum ipſius, anguſta illa valle cōtineri, quin exhalaret, omniumque animos ſuaueolentia recrearet. Inter alios Innocētius Summus Pontifex Leodio rediens, voluit mandram eius viſitare. vbi a pauperibus Chriſti, non purpura & biſſo ornatis, ſed pannoſis agminibus ſcopuloſam baiulantibus crucem, ſuſceptus eſt. Flebant Epiſcopi, flebat ipſe Summus Pontifex, & mirabantur illius congregationis grauitatem, quod in tam ſolenni gaudio, oculi omnium humi defixi, nuſquam vagabunda curioſitate circumferrentur: ſed comploſis palpebris, ipſi neminem viderēt, & ab omnibus viderentur. Placuit vniuerſis in illo Bernardi grege, illa humilitas, illa grauitas, illa mortificatio, illæq; aliæ virtutes religioſis aptæ? A diſciplina Bernardi inſitæ fuerāt: qui quod docuit, prior exemplo oſtendit. Quantus porro viſus eſt in oculis eorum, ipſe Bernardus? quam humilis? quā modeſtus? quam alijs virtutibus ornatus? Benè, benè gloriari poteſt. *Nardus mea dedit odorem ſuum*.

Humilitatis eius odor, vel in hoc ſpirat, quia Ianuenſem & Mediola- *3. humilitas.*
nenſem Archiepiſcopatum oblatū ſemel & iterum recuſauit: præeligēs ſub pannoſa veſte, in demiſſo ſubſellio Deo placere, quam in excelſo throno, cum dignitate fulgere. nec tantum vniuerſus potuit eum mundus erigere, quantum ipſe ſeſe humilitate deijciebat. Ab Epiſcopis, a Patriarchis, a Regibus, ab Imperatoribus, a Summis Pontificibus honorabatur, & coram & per epiſtolas ſcriptas: ille tamen ſe minimum, nec dignum tanta dignatione exiſtimabat, & pronunciabat. Dignus qui dicat; *Nardus mea dedit odorem ſuū*.

4. *charitas.* Charitatis eius odor fragrantiſſimus, in hoc potiſſimum exhalabat, quod omnibus ſe natum putans, omnium in ſe curam ſuſcipiebat. Quot ille diſcordes, pacificauit? quot lapſos,ad pœnitentiam erexit? quot Principes conciliauit? quot refractarios Eccleſiæ mitigauit? Quanta ſchiſmata ſedauit? Illud vel vnicum nunc commemorare ſufficiat, quod in Guilhelmo Aquitaniæ Duce, virtute plane Apoſtolica geſſit. Petrus Leonis contra Innocentium Pontificem, ſe pro Pontifice ſupremo gerebat. Multi Epiſcoporum, & Principum ſequebantur, Eccleſiamque turpi ſciſſura ſcindebant. Inter eos Guilhelmus Aquitanus,vir illo tempore, vt ad omnem licetiam vitæ natus, ſic rebus Eccleſiaſticis turbandis aptus. Et ſane turbauit. Quos enim in ſua Tetrarchia nouerat Pontifices Innocentio caput inclinantes, hos vel in exilium abire iuſſit,vel in carceres coniecit Et quidem
5. *Labores p Eccleſia.* ſucceſſu temporis, alijs Principibus mitigatis, hic ſolus pergebat diuidere inconſutilem Chriſti veſtem. Perdolitum hoc Innocentio Papæ, qui cogitabat, quem huic ferocienti opponeret. Nullus aptior, præter Bernardum viſus. Mittitur itaq; ad frangendum,vel ad placandum furentem. vocat multos Epiſcopos, cogit concilium,ipſe Sacris operatur,Guilhelmo Aquitano,ante Eccleſiam præſtolante. Ibi conſecratis ſacris myſterijs corporis & ſanguinis Ieſu, ſpiritu Diuiniore ex alto animatus procedit, Corpus ſacratum defert, Guilhelmum frementbundum aggreditur,dicens: Hactenus ſeruos Dei cõtempſiſti, oppreſſiſti. Supplices tibi fuimus, nec audiſti. Nunc cęli terræque Dominus, pariter & Iudex orbis adeſt, cuius tu Eccleſiam afflixiſti.nunquid eundem ſpernes? num adhuc illum nõ audies? illius Eccleſiam nefario ſchiſmate ſcindes? Dum hęc Bernardus diceret, fulmina de cœlo lapſa putares. Ita attriuerunt iacentẽ Guilhelmum, vt pedibus eius aduolutus, in gremium Eccleſiæ recipi, Summoq; Pontifici Innocentio reconciliari poſtularet, omniaque Eccleſiæ vel erepta, vel conuulſa reſtituere, & redintegrare promitteret, quinimo & relicta inueterata malorum via, in nouam ſe dirigi pateretur. vnde tam inſigni ſanctitate euaſit,vt inter ſanctos referri mereretur. Debet hic D Bernardo ſuam conuerſionem: debet eidem Eccleſia tunc temporis afflicta, ſuam quã recepit conſolationem. Porro quot hæreſes tunc pullulantes, ſua induſtria,diſputationibus,miraculis,orationibus & prędicationibus damnarit, & pepulerit, fruſtraneum exiſtimo dicere. cum vel ille ſolus tenebras ab Aquilone ſparſas diſſiparit, & luce Doctrinæ veridicæ, Eccleſiã ſui temporis illuſtrauerit, vt dicat: *Nardus mea dedit odorem ſuum.*

Ferunt qui res Magni Alexandri ſcripſerunt, quod ille quoties ſudaſſet, toties odores ſuauiſſimos expiraret per ſudores.ſpirauerit annon? non inquiro. Scio tamen nunquam Bernardum ſudaſſe pro labore Eccleſiæ vel tuendę vel ornandę, vel illuſtrãdæ, quin odores ſuauiſſimos ex iiſdem conatibus & contentionibus exhalarit.vt ſemper de ſe iactet: *Nardus mea dedit odorem ſuum.* *Q. Curtius in vita Alex.*

6. *orationis ſtudium.* Orationis & cõtẽplationis eius, ſuauis fragrantia, vel in hoc ſuauiſſima eſt, quod non ſemel aſpectu Ieſu & Diuę Deiparentis, appatentis dignus fuit. Semel dum oraret, Diuam Virginem; *Monſtra te eſſe Matrem:* illa ex imaginis exerto vbere,manu papillam ſtringens,aliquot lactei liquoris guttulas, fronti eius immulgere viſa eſt, indices

amoris

amoris Materni, quo ille propter virtutes inſignes dignus fuit.

Aliquando corã imagine crucifixi genuflexus, cum ſingula membra Dei paſſi, pijs a ſe compoſitis rythmis ſalutaret, viſa eſt imago Redẽptoris manus clauis confixas a ſtipite auellere, & auulſis, toto corpore inclinata, in amplexus Bernardi orãtis occurrere. Acceſſit Bernardus, & brachijs diſtentis Ieſum delicium ſuum ſtringens, oſculis fatigabat, quà a manuum, hac a pedum, illac a lateris vulnere ſanguineo, dulcedinẽ inæſtimabilem deguſtans. Alij ſunt iſti amplexus, quam illi Iacobæi ab Iſaaco. Nam alius odor quem Nardus Bernardi dedit Ieſu, ex fragrantia ornatus myſtici virtutum. ita vt gloriari poſſit in immenſum. *Nardus mea dedit odorem ſuum.*

Fruſtra itaque hic comparauerim benedictiones Bernardi ab iſto odore, cum benedictionibus Iacobo datis ab eius fragrantia. Huic enim non tam de rore cœli, quã de emanatione claritatis omnipotentis Dei ſincera, non tam vini, olei aut frumenti, ſed meliorum chariſmatum redundantia affluentiſſima cõceſſa. Hunc populi & tribus innumeri venerantur: hunc FRATRES innumerabiles toto orbe diffuſi, incuruati ante illũ adorant, veſtigia eius oſculãtur, & ab eius oris imperio dependent. Hunc phalanges dæmonum verentur, & ab eius fragrantiſſimo odore diffugiunt. Narrabo quod eidem aliquando infirmanti contigit. Viſum eſt ſibi ante tribunal Domini præſentari. vbi Sathan, cum multa contra eum dixiſſet, ipſe nihil territus reſpondit: *Fateor, non ſum dignus obtinere proprijs meritis regnum cælorum: ſed duplici iure obtinens illud Dominus meus, hæreditate Patris & merito paſſionis, altero ipſe contentus, alterum mihi donauit; cuius dono illud mihi vendicare non erubeſco.* Ad hæc dicta confuſus inimicus, tandem cum ſuo comitatu diſceſſit. Bernardus vero, cum multam operam Eccleſię ac religioni ſuę nauaſſet, ſuauiq; odore virtutum omnes oblectaſſet, ætate & ægritudine confectus, decerptus ex hac valle miſerię Cedar, translatus in Paradiſum fęlicitatis cęleſtis, illic amœnat ſanctam Ciuitatem, in ſecula. Amen.

IN FESTO S. BARTHOLOmej Apoſtoli.

Eſtote prudẽtes ſicut Serpentes. *Matth. 10. c.*

CONCIO.

Apoſtoli Serpentes medici.

PERCVSSIS a ſerpente Iſraelitis in deſerto, non aliunde protulit Deus remedium quam a ſerpente: percuſſis quoque a ſerpente omnibus nobis in paradiſo, medicinam voluit deriuari, a ſe viuo, & ab Apoſtolis, quos voluit eſſe inſtar ſerpentum. Titulus quidem præfert ſpeciem venenatorum: at reuera, vt ille, ſic & iſti proferunt theriacam animorum. quam ſi quis ab eorum virtute & exemplo compoſuerit, ictus a ſeptiformi dracone, ſanitatem conſequetur. Qua ratione Apoſtoli fuerint ad inſtar ſerpentum, demonſtrabo. *A ſerpente percuſſi a Serpente medicãbatur.*

Ituro Moyſi in Aegyptum, id primi loco miraculi, conceſſum eſt videre & patrare, vt virgam tranſmutaret in ſerpentem. Cum enim ſe excuſaret, *non credent*, inquit *mihi, neque audient vocem meam, ſed dicent: non apparuit tibi Dominus: ita ad eum Deus. Quid eſt, ait, quod tenes in* *Apoſtoli ſicut ſerpent. 1. Prudẽtia Exodi. 4.*

manu tua. *Reſpondit: Virga. Dixitque Dominus: Proijce eam in terram. Proiecit & verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes. Dixitque Dominus. Extende manum tuam, & apprehende caudam eius. Extendit, & tenuit, & verſa eſt in virgam. Sume hanc virgam in manu tua, in qua facturus es ſigna*. Faciebat, & quidem frequenter conformabat in ſerpentem, quem manu ſua tractabat, demulcebat, inque ſerpentes quos Magi Aegyptiorum aſſimulauerant, vt eos deuoraret committebat. Hęc iuxta Allegoriam ſcripta atque geſta ſunt Significabat hoc factum, Saluatorem noſtrum, melioris teſtamenti Legiſlatorem, Ducem & Principem nobilioris populi, hoc primum genus miraculi facere deſtinaſſe, vt Apoſtolos, quos velut virgulta inſenſa, de ſolitudine filiæ Syon excidiſſet, inque vſum miniſterij ſui aſſumpſiſſet, configuraret in ſerpentes rationales. quemadmodum ab eis id requirit dicens, *Eſtote ergo prudentes, ſicut ſerpentes*. Videlicet. vt qui prius fuerunt ſimplices, rudes, idiotæ: eſſent poſtea omnium ſapientiſſimi Orbis Doctores. & qui antea erant vt parentes eorum, *genimina viperarũ*, aculeata & ferali conuerſatione; eſſent a docta loquela Ieſu in antantis ſapienter cicurati, modeſti, humiles, benigni, depoſita omni ira, dolo, ferocia.

Lucianus in Alexandro narrat, illum vidiſſe in Macedonia ſerpentes
2. *manſuetudine*. permagnos, manſuetos admodum & cicures, vt etiam a mulieribus nutrirentur, cum puerulis cubarent, calcati tolerarent, preſſi non irritarentur, lac etiam ex mamma infantium more, ſugerent. Vnum ex iſtis pulcherrimum, milites Alexandri paucis obolis ſibi comparauerant, inque delicijs & oblectamentis habuerant. Apud Romanos quoque repentes inter pocula ſinuſque, innoxio lapſu ſerpentes ſeruabantur. Tiberius ſane Cæſar habuit in conſuetudine ſua ſerpentem draconem, quem cottidie manu ſua cibabat. Ita inimicum illud humano generi animal cicuratur, & vel natura, vel cura hominis manſuefit ad delicias. Crudum hactenus fuit genus Hebræorum, immite, & inhumanum, atque adeo ſanguinis etiam Sanctorum ſitibundum. Notum illud improperium. *Et quem prophetarum, Patres veſtri non occiderunt?* Cum autem veniſſet infans ille, quem delectat ſtatim *ab vbere mittere manum in foramen aſpidis*, & ludere *in reguli cauerna*, hos rigidos quos aſſumpſit, manſuefecit, vt innoxij inter homines ambularent, veterique depoſita feritate, Regum & Principum, imo & omnium populorum deliciæ eſſent. Vnus ex eis, qui ante minas & cædes ſpirans, in Damaſcum pergebat adducturus in Ieruſalem, ſi quos inueniſſet eius viæ viros quam manſuetus, cum a Chriſto aſſumptus? quam flexilis? quam innocens? Virgam Moyſi vidiſtis in colubrum conuerſam, Paullum conuerſum: tractabilem, ſuauem, iucundum. ex lupo feroci, ouiculam modeſtam, ex dracone ferali qui ſanguinem olim ſitiebat, etiam nunc ſuum pro Chriſto erogantem. Senſus eſt. Apoſtolos ſuiſſe inſtar ſerpentum ſed iam excantatorum; qui feritate depoſita, cicures & innoxij in domo Diuina.

Serpentes qui cicurati, tam ſunt **3.**
prompti obedire, vt ad ſibilum vel **obedientia.**
tenuiſſimum adrepant, ſintque præ- ***lib. 8.***
ſto vocantibus. Heraclides Ponti- ***Dial.c.***
cus Philoſophus, talem habuit teſte **38.**
Laertio. qui eunti & quieſcenti ſolitus erat adſiſtere velut comes, & ſi quandoque receſſiſſet, ſibilo euocatus accedebat. Lego etiam apud

Digitized by Google

pud D. Gregorium, miram ſerpentis obedientiam. Religioſi cuiuſdam hortulum aliquis fur conculcauerat, ac furto quædam abſtulerat: Monachus hortulanus, comperto loco, quo fur ingreſſus eſſet, ſerpentem quęſitum his verbis affatus eſt. Sequere me. Sequentem in eum ipſum locum deduxit, quo fur ingredi conſueuiſſet; ibique in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti iuſſit beſtię, ne cuſtodito loco quempiam inde ingredientem deinceps admitteret: paruit illa, ac ſe tranſuerſam exhibens omnem aditum occupauit. cumque nocte adeſſet fur ingreſſurus, adeo magnum in modum abſterritus eſt viſa beſtia, vt præceps reſiliens in ſentes ſit lapſus; quibus implexus, neque ſe extricare valens egredi, nec ingredi potuerit, donec mane a Monacho increpatus dimiſſus eſt. Tales voluit habere Chriſtus Apoſtolos, qui dicto citius obedientes eſſen; ſi in aliquo opere, magis certe in cuſtodia Eccleſiæ quæ eſt HORTVS CONCLVSVS; ab his qui aliunde non per oſtium intrant, fures & latrones hæretici. nimirum vt occidant & perdant.

Fuerunt ſane obſequentiſſimi, ad eius nutum. Mittebat eos, *ſicut oues, in medio luporum*, inermes, indoctos, inopes. Dicebat. *Nolite cogitare quomodo aut quid loquamini*. ite tantum audacter. Nihil vobiſcum tuleritis, non duas tunicas, non peram, non virgam. Ducemini ante Reges & Præſides, quorum illa erit immanitas, vt de capitibus veſtris ludant. Illi interriti, pergunt gaudentes a cōſpectu Concilij. dignitatem ſummam reputantes, pro nomine Ieſu contumeliam pati.

4. *Cuſtodia Eccleſiæ.* Pro cuſtodia autem Eeccleſiæ, quam peruigiles, quàm ſolliciti fuerint? non eſt neceſſe multis declarare. Surgebat aliquis donorum S. Spiritus predo, qui pecunia volebat emere gratiam curationum: ſtatim ſe obijciebat inſtar ſerpentis cuſtodis Petrus ſpicula vibrans. *Pecunia tua tecum ſit in perditionem*. Irrumpebat aliquis Alexander, vel Hymeneus in hunc hortum Eccleſiæ cluſum, *vt abduceret* nouas plātationes *poſt ſe*, & reliquas lingua & pedibus proculcaret: Opponebat ſe velut ſerpens Paulus, & hos fures diris percutiebat. Carpebat deinde quiſpiam alius, ipſam pancarpiam coronam Diuinitatis Ieſu: cum hoc lauare nō ſuſtinebat Ioannes, q̄ & alijs, nec aue dicendum, omnino iubebat. Tam pertinaces reliqui erant in cuſtodia Sacrorum florum, huius paradiſi, vt præmori elegerint, quam relinquere ſtationem in qua a Chriſto collocati.

5. *gratitudine.* Gratitudo ineſt ſerpentibus, & prudentia miranda. Norunt ſuos benefactores, norunt & ſua capita defendere. Thoas Achaicus draconem diu fouit. Conſiderans demum quam periculoſum eſſet, ſerpentem alere, ipſum in ſolitudines procul tulit, atque ibidem reliquit. Quo facto rediens, quum incidiſſet in latrones, & inſtantis periculi metu acclamaſſet, audita hominis voce, aduolauit draco, & aduerſum vim latronum ſuppetias tulit. vt author eſt Aelianus. *lib. 13 de varia hiſtor.* Tanta fuit belluæ erga educatorem gratitudo, vt ab iniuria præſentanea illum eripere feſtinarit. Maiori gratitudine Apoſtoli erga ſuum præceptorem. cuius membra, cum laniare pergerent laniſtę Pontifices, qui Chriſtum ipſum confixerunt; aduolabat Petrus, Paulus, Ioannes, ſeque pro fidelium congregatione opponebant. Aliquis deinde tyrannorum in ipſius Chriſti honorem bacchabatur: aduolabāt illi, maieſtatemque eius a contumelijs vindicantes, Crucis tropheum in me-

dia

dia barbarie ſurrigebant. fundentibus cunctis, quib. virtus Crucis fuerat amentia amens. Sua vero capita

6. *Tutela honoris Chriſti.*

ad eum modum tuentur ſerpentes. In ſpiram conglobati, caput occultant: patiuntur autem in minuta fruſta concidi, dũmodo caput illęſum conſeruent. Prudentiam & naturæ lē erga magiſtratum amorē inſinuā

lib. 1. de clemētia c. 4.

hoibus, vt pro illorum honore vel ſalute, ſuā erogare nō cunctentur. Suā, *inquit Seneca,* incolumitatem amant cum pro vno homine denas legiones in aciē deducunt, in prima fronte procurrunt, & aduerſa vulneribus pectora ferunt, ne Imperatoris ſui ſigna vertantur. Ille eſt enim vinculum, per quod Reſpub. cohæret. ille ſpiritus vitalis, quem hæc tot millia trahunt, nihil ipſa per ſe futura, niſi onus & præda, ſi mens illa Imperij ſubtrahatur. —— *Rege incolumi mens omnibus vna.*
Amiſſo, rupere fidem.

Hic caſus Romanæ pacis exitium erit, hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tamdiu ab iſto periculo aberit hic populus, quamdiu ſciet ferre frenos; quos ſi quando abruperit, vel aliquo caſu diſcuſſos, reponi ſibi paſſus non erit, hęc vnitas & hic maximi imperij contextus in partes multas diſſiliet. Ideo Principes regeſque, & quocunque alio nomine ſunt tutores ſtatus publici, nō eſt mirum amari, vltra priuatas etiam neceſſitudines. Nam ſi ſanis hominibus publica priuatis potiora ſunt, ſequitur, vt is quoque carior ſit in quem ſe Reſpub. conuertit. Neque hęc eſt vilitas ſui aut dementia, pro vno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus vnā animam redimere, nonnunquam ſenis & inualidi. ex quo vniuerſa ſalus, & incolumitas omnium dependet. Amabant & protegebant ſemper omnes gentes ſuos Principes, & ſe ſuaque omnia iactabant, quocunque deſideraſſet, imperantis ſalus.

Cum itaque Chriſtus ſit caput Eccleſiæ, cui Apoſtoli incorporati, qui licet vt hic animus & ſi in occulto maneat tenuis, & in qua ſede latitet incertus, tamen manus, pedes, oculos, caput, pectus, & reliqua vegetat vt animal membra: itā & Saluator, licet ad dexteram Patris aſſumptus reſidet, non tamen occulta virtute abeſt ab Eccleſia, omnia eius animata membra viuificans, ornans, & Diuinans; voluit Apoſtolos ſuos, imo & omnes quos ſibi fide & charitate concorporauit, habere prudentiam & charitatem ſerpentinam, vt & hi pro capite ſuo Chriſto, proque aris & ſacris ipſius, non abnuant capita ſua offerre, aduerſiſque pectoribus vulnera pro nomine eius excipere, & multis mortibus honorem eius tueri.

Prudentiam ſerpentinam in Apoſtolis, Chryſoſtomus requirit in fide tuenda. *Sed inſpiciamus, inquit,* 7. *Fidei ſeruandæ cura.*

quando prudentiam quærit, ſerpentis certe prudentiam imitari coarctatur. Nam quemadmodum ſerpens totum ſeipſum tradit, nec minimū curat, ſi corpus inciditur, donec caput ſuum integrum ſeruet; eodem tu quoque modo, præter fidem cætera perdere non cures; profundas vniuerſam tuam pecuniam, tradas corpus, vitæ ipſius ſi opus eſt minime parcas, dummodo fidem ſerues, quæ caput & radix eſt. qua ſeruata etiam ſi omnia perdas, omnia tamē rurſus maiore cum magnificentia recuperabis. idcirco nec ſimplices ſolū eſſe iuſſit, nec prudentes ſolum, ſed ambo hęc in vnum commiſcuit, vt in pręcipuam virtutem ſimul vertamur. & prudentiam quidem ſerpentis adhibere iubet, ne vellis vulneribus atque periculis principaliſſima membra obijcere;

ſim-

ſimplicitatem vero columbæ, ne iniuriatus vlciſcaris, aut ad punitionem inſidiantes adducas.

Sermone 4. ad Fratres. Diuus Auguſtinus, priorem ſenſum retinet. Sic & nos, *inquit*, cuncta nobis aduerſantia, amore capitis ſuſtinere nō timeamus, vt in beata vita quieſcere valeamus. Sic enim fecit Petrus pro eo in Cruce ſuſpenſus: ſic & Bartholomæus viuus decoriatus: ſic & Paulus capite trūcatus: ſic & Laurentius in craticula aſſatus: ſic & virgo illa Santiſſima Agatha retorta in pectore, quæ gloriantèr ſic amputata, ſic afflicta, ſic vulnerata perducebatur in carcerem, & quaſi ad epulas inuitata precibus Domino agonem ſuum ſolemniter commendabat. Sic & alij quā plurimi omnia tormenta patienter tolerabant, pro amore illius capitis, in quo ſalus, vita & reſurrectio noſtra conſiſtit.

8. *prudentia Varia in deſtructione peccati.* Tres alios indices prudentię, agnoſcit indidē in ſerpentib. D. Auguſtinus. *Prima eſt*, q̄d totius corporis venenum in gutture colligit, & ibi prudenter docente natura ſeruare ſtudet, vt ſi aliquando neceſſe ſibi fuerit, in promptu habeat, vnde ſe defendere poſſit. Serpentum etiam hanc prudentiam obſeruarunt Apoſtoli, dum arma militiæ ſuæ, apta in tutelam Eccleſiæ, in deſtructionem vitiorum & reſurrectionem virtutum deſtinata, in promptuario gutture, perfuſo liquore Spiritus ſancti haberent, ad ruinam omnium quæ contra corpus Chriſti myſticum depugnare videbantur.

9. *perſeuerantia.* Secunda, *inquit Auguſtinus*, prudentia in ſerpente ęſt, quod quando in aquam deſcendere cupit, venenū reponit in loco tutiſſimo, quod in regreſſu recipit. Hæc veſtigia ſerpentis multi conſequuntur, qui poſt abrenūnciationem mundanæ conuerſationis, & agnitionem Sanctæ veritatis, reuertuntur ad venenum prauæ conſuetudinis, quibus melius eſſet veritatem non agnouiſſe, quam poſt agnitionem retrorſum abire. In hoc vno imitati ſunt ſerpentem Apoſtoli, quia venenum peccati depoſuerunt, ſed non illud reſumpſerunt.

Tertia prudentia ſerpentis eſt, quod veterem pellem, per ſingulos annos exuere didicit, quam depoſiturus anguſtum foramen requirit, per quod tranſiens cum dolore pellem derelinquit. Plinius ſic fieri tradit. Anguis hyberno ſitu membrana corporis obducta, fæniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſque vernat. Exuit autem a capite primum, nec celerius quam vno dię ac nocte replicans, vt extra fiat membranæ, quod fuerat intus. Per hoc (*docet Auguſtinus*) datur intelligi, vt & nos pellem vitiorum deponamus, & per foramen ſtigmatum Chriſti tranſeamus, vt pulchriores appareamus. Per hoc foramen diues ille Zachæus intrauit, quando omnia bona ſua pauperibus erogauit. In hoc foramine Maria illa meretrix in domo Simonis, meretricis habitum depoſuit, & plorans ad pedes Saluatoris, veſtem ſibi innouauit. Propter hæc foramina vulnerum Chriſti, Bartholomęus pellem ſibi detrahi paſſus eſt viuus, vt pulchrior euaderet poſt occiſus. 10. *Durities.* *lib. 8. c. 27.*

Quendam ſcio iuſſiſſe, ſibi mortuo decoriari cadauer, atque pellem detractam proſtare monimentum atrocitatis in Sacra, quę impius prophanabat: Bartholomeus Apoſtolus ſeberidem ſuam extare voluit in mūdo, indicem charitatis in Deum, pro quo glorioſe occubuit.

Herculeum exuuium celebratur a Poetis, q̄d ille exemerat leoni a ſe occiſo: magis celebratur ab Eccleſia reduuium Bartholomæi, quod ſponte

te depoſuit pro Ieſu Chriſto, quem dilexit, factus in hoc ſimilis ſerpẽti.

Aeger ceruus ſerpentibus comeſis, dicitur ſibi mederi. & nos qui languentes animo, ſi captamus perſanari ab exemplo Bartholomei theriacam nobis componamus, inque modum ſerpentis nos renouemus, victuri in ſecula Amen.

IN FESTO S. AVGVSTINI Epiſcopi.

Hic Magnus vocabitur in Regno cœlorum. *Matth.* 7.

CONCIO.

De magnitudine virtutum S. Auguſtini.

NOn vulgari præmio dignatur Deus illos, quorum pedes direxit ad Euangelizandum Pacem, ad Euangelizandum bona. Per Danielem imprimis pollicebatur, eos in modum ſtellarum efformaturos, dicens: *Qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ fulgebunt in perpetuas æternitates.* Ipſe vero in Euangelio, cũ eos nomine Lucis appellaſſet, non inter minora aſtra recenſuit, ſed Magnis ſideribus adnumerauit, dicens: *Qui autem fecerit & docuerit, hic Magnus vocabitur in regno cœlorum*: nempe Solari Magnitudine prælustris. Inter hos Magnos Soles, Magnus Auguſtinus à doctrinæ ſplendore, & a vitæ candore, quod in præſenti excutio.

Dan. 12.

explic. loc. Exod. 10.

Inter alias plagas quibus Deus percuſſerat Aegyptum, tenebrę numerantur palpabiles. Namque cum dixiſſet Dominus ad Moyſen; *Extende manum tuam in cœlum, & ſint tenebræ ſuper terram Aegypti tam denſæ, vt palpari queant.* extẽdiſſetque manũ ſuam Moyſes in cęlum, *factæ ſunt*, referente Sacra hiſtoria, *tenebræ horribiles in vniuerſa terra Aegypti tribus diebus. Nemo vidit fratrem ſuum, nec mouit ſe de loco in quo erat; vbicunque autem habitabant filij Iſrael, lux erat.* Exemplar & typus eſt pœnæ longe omnium grauiſſimæ, qua omnẽ peccatorem caſtigat Deus. Illico enim vt aliquis et contumax eſt, ſtatim ſignatum lumen vultus Diuini in eo obſcuratur; illud vero ſuperaccenſum gratiæ iubar, omnino extinguitur. ita vt quod Aegyptijs corporaliter, hoc omnibus peccatoribus ſpiritualiter eueniat, vt nemo eorum videat fratrem ſuum, nemo ſe inſuper, nemo ad extremum Solem Sole clariorem Deum.

expl. verſ. pſ. 135.

Diuus Chriſoſtomus explicans locum illum Pſalmi 135. *Collocauit me in obſcuris, ſicut mortuos ſeculi* aiebat. Duplicẽ dicit calamitatem; & quod *in obſcuris*, & quod *tanquã mortuos ſeculi.* per vtramque ſignificans, quæ tunc erat captiuitatem. Quoniam enim etiam, qui eſt in obſcuro poteſt aliquid agere, accenſa candela; volens oſtẽdere inſignem malorum magnitudinem, addito mortuorum nomine auxit tragædiam. Tales ſunt qui in peccatis viuunt. Ita enim ſunt tanquã mortui in tenebris. licet ergo lampades circumferuntur innumerabiles: licet ad Solem reſpiciunt; licet ex veſtibus, & alio vitæ cultu alacres & læti videantur, nihilo meliori, imo vero deteriori ſunt conditione, quã qui ſunt mortui, & agũt in tenebris, quatenus illa quidem res eſt naturalis, hoc vero eſt culpa voluntatis. Tenebræ quoque ſunt, exque futuræ ſunt, de quibus dicit. *Tollite eum, & mittite in tenebras exteriores.* Sunt etiam vitij tenebræ.

Digitized by Google

brę. *Sedentes*, inquit, *in tenebris*
& in vmbra mortis. Et Paulus. *Non*
ſumus filij tenebrarum. Et rurſum.
Euanuerunt, inquit, *in cogitationib.*
ſuis, & obſcuratum eſt inſipiẽs cor eo
rũ. Et ideo quẽadmodũ qui verſan-
tur in tenebris, neſciunt rerũ natu-
ram, ita ẽt qui ſunt in peccatis, ſunt
occæcati, & ea quæ apparent non di
ſcernunt, ſed ad vmbras tanquam
ad res veras currunt, diuitias, & de-
litias, & potentiam perſequentes;
nec amicos, nec inimicos nouerunt.
inimicis quidem tanquam amicis
fidentes, cum amicis vero, tanquam
cum hoſtibus confligentes. Non vi-
des pauperes quotidie clamantes, &
eiulantes, à nemine tamen audiri?
Quare non audiunt? Quoniam col-
locauit eos Diabolus in obſcuris,
ſicut mortuos ſeculi. Quod enim
ſunt alijs tenebræ, & mortis affe-
ctio, hoc eſt eis inhumanitas. Eſt eo-
rum qui ſedent in tenebris, nõn vi-
dere mala quæ inuadunt? hoc etiam
accidit eis, qui non vident quæ iux-
ta eos ſitę ſunt calamitates, & in vo-
ragines foſſaſque, & præcipitia de-
turbantur. Eſt eorum qui ſedent in
tenebris, turpia ſecurè audere ad-
mittere? hoc etiam faciunt qui ne-
quiter viuunt, tanquam qui ſedent
in tenebris, & perinde ac ſi nemo ho
mo ſit, qui quæ faciũt reſpiciat, om-
nia tam ſecurè perpetrant, in me-
dijs vrbibus, tanquam in ſolitudine
ſcelera committentes. Qui ſedent
in tenebris, ſunt in perpetuo metu?
Ita hic etiam. Nullus enim raptor
& auarus eſt à metu alienus, quan-
tumque ſe inſolenter iactitet, & ex-
trinſecus lætantis ſpeciem præſefe-
rat. Talis eſt enim natura animi ſibi
male conſcij. Addo. Et quemad-
modum qui in tetro concluſi car-
cere ſedent, ſemper ſibi cruciatus,
mortes & tortores fingunt: ita & hi
qui peccato aliquo obnoxij, tenebris
ſe prædamnauerunt, ſemper ſibi
omnia infeſta & infauſta immine-
re arbitrantur.

Plutarchus narrat de Beſſo quo-
dam, hanc quam ſubiungo narra-
tionem. Is cum patrem ſuum ne-
caſſet, diuque id ſcelus clam fuiſſet,
poſtea temporis ad hoſpites quoſ-
dam cum iuiſſet cœnatum, nidum
quendam hirundinum haſta incuſ-
ſa deiecit, pulloſq; interfecit. Cum-
que ij qui aderant quærerent,
Quanam re impulſus, rem tam in-
ſolentem egiſſet? *Non*, inquit, *audi-*
tis hirundines, falſo de me vociferari,
& teſtari me patris mei interfecto-
rem eſſe? Mirati qui intererant, hunc
ſermonem ad Regem detulerunt,
eoque certis argumentis compro-
bato, pœnas luit Beſsus, & luit qui-
dem, ſuo iudicio accuſatus. Nihil
verius illo Polybij: *Nullus neque*
teſtis tam formidabilis, neque iudex
tam grauis, quam conſcientia, quæ
menti cuiuſque inſidet & inhabitat.
Vnde Beatus Iob de ſcelerato in- *Iob.15.& 16.*
quit. *Vndique terrebunt eum formi-*
dines, & inuoluent pedes eius. & ſo-
nitus terroris, ſemper in auribus eius.

Nero omnium ſceleratorum ma-
ximus, poſt interfectam matrem, &
præceptorem ſuum Senecam, ſcele-
ris ſui conſcientiam (quamquam &
militum, Senatus populique gratu-
lationibus firmaretur) nec ſtatim,
nec vnquam ferre potuit, ſæpe con-
feſſus exagitari ſe materna ſpecie,
verberibus furiarum ac tędis arden-
tibus. Verba Suetonij ſunt iſta.
Occiſa demum matre, inquit, *vidit*
per quietem nauem ſibi regenti extor-
tũ gubernaculum, trahique ab Octauia
matre in arctiſſimas tenebras. & mo-
do pennatarũ formicarũ multitudine
oppleri, modo a ſimulachris gentium,
donec dignum flagitijs & ſceleri-
bus ſuis vitæ exitum ſibi ipſe fecit.
C. autem Caligula (vt idem ſcribit

Suetonius) in ſomnio etiam a multis flagitijs maxime incitabatur, *neque enim plus, quam tribus nocturnis horis quieſcebat: ac ne his quidem placida quiete, ſed pauida miris rerum imaginibus*. Merito. *Nam qui Deos tantopere contemneret, ad minima tonitrua & fulgura conniuere, caput obuoluere, ad maiora vero proripere ſe ex ſtrato, ſub lectumque condere ſolebat.* Itaque verum eſt quod Seneca ſcribit: *Multos fortuna liberat pœna, metu neminem. Quare? quia infixa nobis eius rei auerſatio eſt, quam natura damnauit. Ita eſt. Tuta ſcelera eſſe non poſſunt.*

Iungatur his Alexander Magnus. Is cum Clitum amicum per temulentiam occidiſſet, tantos animi cruciatus ſuſtinuit, vt excluſis omnibus arbitris & amicis, iam ſibi manus allaturus eſſet, niſi Anaxarchus Philoſophus ſuperueniens impediuiſſet, varijſque alloquijs a præcipiti conſilio reuocaſſet. Nimirum furijs & ſcelerum facibus incitabatur magnus Princeps, quas reſtinguere haud ferme illi integrum erat.

Theod. hiſt. lib. 9. c. 30. Theodoſius Imperator, (vt ab Ethnicis diſcedam) varijs animi tempeſtatibus, propter cædem in vrbe Theſſalonica mandato ſuo patratam, maiorem in modum exagitabatur, & Ruffino familiari qui illum alloquio ſolabatur, humi proſtratus lachrymaſque fundens tandem inquit: *O Ruffine, tu mea mala non ſentis: ego lamentor, & gemo calamitatem meam. quia ſeruis quidem & mendicantibus aperta ſunt templa Dei* (erat enim à D. Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi anathemate percuſſus) *& propitium Dominum ingredientes licite exorant; mihi vero ingreſſus ad eum non eſt. Inſuper etiam, cæli mihi ſunt clauſi*. Hæc dicens, verba ſingula ſingultibus interrumpebat; neq; quieuit, donec a Diuo Ambroſio nexu excommunicationis ſolueretur. Patet ergo verum eſſe, quod D. Ambroſius inquit: *Nullus maior eſt dolor, quam is qui peccati mucrone vulnerat conſcientiam: neque vllum grauius eſt onus, quam peccatorum ſarcina, & pondus flagitiorum*. Et confirmat vir Ethnicus. *Nam facinorum conſcientia, ſicut vlcus in carne, in animo pænitentiam relinquit, aſſiduè lancinantem & pungentem. Et alias quidem curas doloreſque aufert, ipſam pænitentiam creat, morſicantem cum pudore, & a ſeipſa punitam.* Nonne animaduertitis, quos terrores illorum animæ, qui iniuriam paſſi ſunt (inquit Cyrus rex) homicidis incutiant? quos ſcelerum vindices nefarijs immittant? Namque. *epiſt. 18.* *lib. 5. Cyroped.*

Hi ſunt qui trepidant & ad omnia fulgura pallent.
Cum tonat, exanimes, primo quoque murmure cæli.
Non quaſi fortuito, nec ventorum rabie, ſed
Iratus cadat in terras, & vindicet ignis.

Et vnde iſtud? niſi vt S. Chriſoſtomus teſtatur, quod in ipſa mente humana, tribunal quoddam a natura conſtitutum eſt, vbi vnuſquiſque ſui ſceleris eſt index, teſtis, & judex. vt cum ipſe propriæ culpæ conſcius ſeipſum capitis condemnet, pœnam ſibi poſtea à naturæ auctore inflictam, juſtiſſimam eſſe agnoſcat. Ideo nonnemo qui cum Pſalte de ſeipſo fatetur; *Collocauit me in obſcuris ſicut mortuos ſeculi*, ſubdit illud quod ſequitur in eodem Pſalmo: *& anxiatus eſt ſuper me ſpiritus meus, in me turbatum eſt cor meum*. Quid autem eſt, *in me*? ne alijs quidem, *vt docet Chryſoſtomus*, poteram efferre, & conſolationem ab eis accipere. Tales ſunt animi improborum, in tenebris. Numquam non conturbantur

bantur, non ſolum dum ſunt præſentia, ſed etiam dum expectantur mala. Nunquam eſt eis vlla tranquillitas, nulla animi ſecuritas, ſed perturbantur magis quam vllum pelagus. nō nox, nō dies eis cōcedit vt ſe detur tempeſtas ſed vndequaque vexantur, etſi nullus ſit qui moleſtiam eis exhibeat, bellum inteſtinum, & quod ſecum cohabitat habentes. nec ijs quæ iam acceperunt fruuntur, eorum quæ nondum aduenerunt ſolicitudine lacerati, laniati, de omnium negotijs ſolliciti, de bonis omnium curioſe ſcrutantes. animo agitātes, quomodo huic quidem perſuadebunt, illum vero terrebunt, alium blandis verbis allicient, alium vero cogent, alium autem obſeruabunt, ab hoc vero ſibi cauebunt, illa vero alia effugient. Verè & nimis vere ille de ſe.

Eſtur vt occulta vitiata putredine nauis.
Aequoros ſcopulos, vt cauat vnda ſalis.
Roditur vt ſcabra poſitum rubigine ferrum.
Conditus vt tineæ carpitur ore liber.
Sic mea perpetuos curarum pectora morſus.
Fine quibus nullo conficiantur habent.
Nec prius hi mentem ſtimuli quam vita relinquent.
Quique dolet, citius quam dolor ipſe, cadet.

Nam conſcia mens, vt cuique ſua eſt, ita concipit intra pectora per facto ſpemque metumque ſuo.

Graue, & quouis cruciatu acerbius fuit Thobiæ, ſedere in cæca illa nocte, quando a fimo hirundineo viſum amiſerat. *Quod mihi gaudium,* inquit ad Raphaelē, *qui in tenebris ſedeo, & lumen cæli non video?* Intolerandum etiam fuit Manaſſe Regi Iuda, in ergaſtulo hoſtico tenebris circumfundi, nec Solis radio vnquam colluſtrari, ſed qua ferro onuſtum, qua metu malorum conturbatum emori. Riſus ſunt hæc omnia ad tenebrarum internarum horrorem, quibus aliquando contigit peccatoris animam obumbrari, longe enim denſiores ſunt animi quam corporis tenebræ, & multo acerbiores ex tenebroſa opacitate remorſus illius, quam carnis.

Cum Abraham Patriarcha aliquando ſacrificium vſque ad veſperam protraxiſſet, noxque vmbra ſua opaca inciperet operire terram, horror maximus irruerat ſuper eū, præ quo vix ſpiritum poterat in ſe continere. Vmbra eſt horroris ſpiritualis, qui animā inuadere ſolet, cū ei Sol veritatis & iuſtitiæ eclypſat, vel occumbit. Obruit illa mentem, euiſcerat pectus, enirat vires vigoris, ita vt homo præ deſperatione, quandoque ſibi mortem ſi non conſciſcat, ſaltem aſciſcat & præoptet.

Talis etſi ſemper & vbique erat ſtatus peccatorum, maxime tamen circa tempora Diui Auguſtini. in quo & ipſe olim duplicibus tenebris obrutus iacebat, erroris & moris. Error ſcitis quam cæcus fuerit quo errabat, hæreſi Manichæorum multo tempore infectus. Mores quam turpes habuerit eo tempore quo nōdum Eccleſiæ addictus erat, non eſt me neceſſe dicere. Tandem placuit Magno Soli, noctem eius ſicut diem illuminare, inſuper ipſum in horizontem Eccleſiæ inducere, vt eſſet Orbis lumen & Magnus Sol Mūdi.

Iactat Moſaycus populus, ſuum candelabrum ex auro ductili, ſeptenis lucernis illuſtre: prędicat Zacharias Propheta candelabrum itidē ex auro factum, in quo ſeptē lucernæ, a ſeptem infuſoriis repletæ, admirando lumine tenebras diſpellebant:

glorianrur milites Gedeonis de ſuis lucernis, ex vaſis fictilibus ad noctem exumbrandam exertis: ſed nihil hæc ſunt ad radios luminis qui bus Auguſtinus, non vnicum tabernaculum, neque vnicum Salomonis templum, nec materiali ſed ſpirituali lumine vniuerſam Eccleſiam illuſtrauit. vt nulla ſit calligo hæreſis, nulla nebula erroris, quam ille doctrinæ ſuæ ſplendore non depulerit.

Memini cũ Ioſue contra Gabaonitas pugnaſſet, miraculum fuiſſe patratum in hoc viſibili Solari aſtro, quod ad iuſſa Ioſuana fixum in ſuo axe ſtetit. nec loco promouit, donec ille victoriam de hoſtibus referens triumphaſſet. Memini quoque cum Iael contra Siſaram proceſſiſſet, quod ſacra ſcriptura partem militiæ indigetat, ſydera cœleſtia. *Stellæ*, inquit, *pugnauerunt in ordine ſuo, contra Syſaram*. Habeo itaque ſtellas etiam pugnaces, non tantum illuminatrices. Significat myſtologice, Deum contra Principem tenebrarum mundi, non alijs certioribus armis vti, quam Sole & ſtellis, id eſt, viris, doctrina & ſanctimonia vitæ illuſtribus, qui velut ſtellæ, lucent, in perpetuas æternitates. Ex quibus audio quendam a ſapiente dictum; *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ*. alium Lunæ ſymbolo notatum: *Quaſi luna plena in diebus ſuis*: alium Solis hieroglyphico ſignatum. *Quaſi Sol refulgens, ſic iſte effulſit in templo Dej*. quę omnia potiori iure, Eccleſia Diuo Auguſtino appingit. Hic enim Sol in medio axe Eccleſiæ, poſtquam ſe ſacro regulæ Apoſtolicæ ſuſtlamine ſtitit, nunquam a conſtantia & rigore vitæ motus eſt. ne latum crinem quidem. Hoc ſi quo alio vſus eſt Deus Agonothetes, decertans contra nouos Gabaonithas, Arrianos, Manichæos, Pelagianos, Sabellianos, & & quos non? Hic ſi quis alius, imo magis quã alius ante ipſum, pugnas Domini feliciter contra hoſtes fidej pugnauit & confecit, & de impietate proſtrata triumphauit. vt merito arcus, aurora, Cynoſura, Luna, Sol inſuper illuſtriſſimus habeatur & colatur ab Eccleſia. Hic denique ſi quis alius peccatorum cæcas tenebras vitæ ſanctimonia diſpulit. dum relicta ante acta licentia, quantum olim exhibuerat membra ſua, ſeruire iniquitati ad iniquitatem, tantum poſtea exhibuit ſeruire iuſtitię ad ſanctificationem. Stimulos virtutis ſibi adiungebat alios ſanctos pręduces, nondũ adultę & adultę ętatis, huius & alterius ſexus, virgines, continentes, iuſtos. dicens. *Putasne tu non poteris, quod illi & illæ?* hiſque velut aliquibus alis ſe eleuabat, vt conuerſaretur in cęlis, relictis terris. Quamobrem illi frequens erat in ore, illud dictũ S. Ambroſij, quo etiam ipſe gloriabatur, *Non ſic vixi, vt me pudeat inter vos viuere. nec mori timeo, quoniam bonum habemus Dominum*. Felix, a tam claro teſtimonio conſcientię, & exinde a ſecuritate integrimonię, quę illi animos addebat, non timere illa, quæ timent hi, qui in tenebris concluſi, quaſi mortui viuunt inſenſi. Merito. nam huic pręcipua cautela fui, ne vel etiam in verbulo offenderet. Inter alia pręclara dogmata & modulos vitę, in menſa lectionem aut diſputationem adhibebat & diligebat. & vt peſtem detractionis, quæ apud pleroſq; pro cõdimento hĩ ciborũ, a ſuis liminib. eliminaret, in mẽſa ſcriptum habebat. *Quiſquis amat dictis, abſentum rodere vitam, hanc menſam indignam nouerit eſſe ſibi*. Vnde, ſi forte detractio incidiſſet aliquando; dicebat, quod vel taceret, vel verſus ipſos deleret, aut de men-

ſa

ſa decederet. Quid ad hæc illi, quibus tam eſt familiare detrahere, quã ſpirare? quorum guttur eſt ſicut ſepulchrum patens? qui ad inſtar illius belluæ dentatæ, quæ a Daniele viſa

expl. viſio Dan. 4. de detractione.

Narrat ille ſe vidiſſe, *& ecce*, inquit, *alia beſtia ſimilis vrſo in parte ſtetit, & tres ordines dentium erant in ore eius, & ſic dicebant ei. Surge comede carnes plurimas.* Ad viuum, ſuis coloribus depinxit detractionẽ. quæ beſtia dicitur, nimirum a belluino more, cui lubido eſt carnem cum ſanguine vorare, vt & detractori, famam proximi lacerare. Similis vrſo perhibetur barrienti, non leoni rugienti. nam & detractor ſub ſilentio, abſentis rodit vitam. Tres dentium vero ordines, ſignificant, omne genus mendaciorum, quod huius ordinis belluini immanes non hominesq́, vomunt & exerunt in innocentes. Carnes comedunt. Qui enim alienam vitam libenter rodunt, qui derogationibus ſtudioſe deſeruiunt, qui proximorũ infirmitates delectabiliter carpunt, quid aliud quam carnes comedunt? Inde Dauid dicebat, in quoſdam tales. *Appropinquauerunt ſuper me nocentes, vt edant carnes meas.* Sanguinem enim fundit, & carnes crudas cum ſanguine contra legem comedit, qui famam proximi denigrat & tollit. Iſti tales, ſunt fera peſſima, quæ deuorauit innocentem Ioſeph. Iſti ſunt ſcorpiones in ſolitudine obuij, facie blandientes, & ſpiculata cauda pungentes. Iſtæ ſunt locuſtæ de fumo putei infernalis exeuntes, vt dicitur in Apocalypſi, quibus data eſt poteſtas ſicut habent ſcorpiones, & cruciatus eorum ſicut cruciatus ſcorpionis, cum percutit hominem.

Ne forte in nos ſit ille apologus, felis, cuidam iuueni dilectæ, quam aſſiduis precibus poſtulabat a Venere in ſpecioſam demutari puellã. Annuit Dea; & ſpecioſam formam iuuenculæ rapaci voraciq́; animali induxit. Experimentum huius volebat ſumere adoleſcens, an cum forma depoſuiſſet mores. Muribus igitur aliquot conquiſitis, emiſit ſub aſpectum recens conuerſæ puellæ. Illa ſolitam prædam conſpicata, è ſinu amato exiliens, mures perſequendos, lacerandoſque ſibi potius duxit. Credo in nos mutato nomine compoſitã fabellã, quibus illud vnum deliciũ comedere carnes plurimas. Sed audiamus. *Sedens aduerſus Fratrem tuum loquebaris, & aduerſus filium matris tuæ ponebas ſcandalum. hæc feciſti & tacui.* Quid nos tunc ad iſta? Oro peſſimum hoc vitium caueamus: a Diuino S. Auguſtini exemplo ad ſanctitatem erudiamur, ſi magni in regno cœlorum eſſe cupimus in ſecula. Amen.

IN FESTO NATIVITATIS Sanctiſſimę Deiparæ Mariæ.

Cum iucunditate Natiuitatem Sanctæ Mariæ celebremus. &c. *Eccleſia.*

CONCIO.

Maria ſymbol. nubes.

HODIE nata eſt, Beata Virgo Maria, ex progenie Dauid, exultemus. Neque enim fas eſt eſſe locum triſtitiæ, vbi originatio eſt vitæ. Orta eſt enim nobilior Eua, Virgo Mater melioris vitæ quam tot vaticinia Prophetarum prædixerunt, totque Symulachra repræſentarunt figurarum. Poſt triennalem ſiccitatem, quantibus animis exceperunt Hebræi nubeculã illam de mari aſcendentem, quam

Digitized by Google

quam ingentes pluuiæ ſecutæ ſunt: magis par eſt nos omnes lætabundo corde ſuſcipere, animatam iſtam nubem; ex qua defluuium Diuinæ benignitatis, per Ieſum Chriſtum, cuius illa Theophora, ſcimus emanaſſe. Hodie iſta lucidiſſima nubes, ferax luminis, & fluminis, impetu ſuo Ciuitatem nouam Ieruſalem lętificantis, de vaſta ſerie Patriarcharum, Prophetarum, Regum, Principum & Pontificum, tanquam ex Oceano meritorum immenſo aſcendit: gaudeamus. Quomodo nubes nuncupari poſſit Diua Deipara Virgo Maria, ipſa auſpice explicabo.

Poſt longam triennij ſiccitatem, ab imprecatione Eliæ factam, placuerat tandem Deo exuſtam Iſraelis terram compluere. Factum narro. Elias trucidatis Baalicolis, poſt prodigioſum illud ſacrificium, *aſcendit in verticem Carmeli, & pronus in terram poſuit faciem ſuam inter genua ſua, & dixit ad puerum ſuum. Aſpice contra mare. Qui cum aſcendiſſet, & contemplatus eſſet ait: Non eſt quidquam. Et rurſum ait illi: Reuertere ſeptem vicibus. In ſeptima autem vice, Ecce Nubecula parua, quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari, & facta eſt pluuia grandis.*

expl. Viſio. 3. Reg. 18. de Maria.

Præſignificabat hæc ſiccitas, maiorem ſiccitatem qua vniuerſus orbis deflagrauerat. Non quidem ex aquarum inopia, quæ a nubibus ſtillant; namque immenſam iſtarum copiam depluebat Deus, in obſcęnos maculones. Et cum iſtę nondum plene emaculaſſent labes illas quibus ſordidabantur miſeri reuertentes in volutabrum luti, mox ſulphureos imbres deſtillabat, vel gladios aut ſagitas intorquebat, in perniciem perditorum. Siccitas itaque triennalis, typus erat vredinis, in qua adulti mortales, optabant illam *pluuiam voluntariam*, quam vt eſt in Pſalmo, *Segregabis Deus hæreditati tuæ, quæ infirmata eſt, tu vero perfeciſti eam*. Ideoque ingeminabant; Rorate cœli deſuper, & nubes pluāt iuſtum. Pollicebatur quidem per Prophetas ſuos, catarractas emanationis ſinceriorís ſe aperturum. *In illa die*, inquit, *ſtillabunt montes dulcedinem, & colles iuſtitiam*. cæterum nondum completa malitia eorum, conſtringebat pugno aquas, vt ne ſtillicidium quidem ſtillæ de ſitula precioſæ, irroraret. donec tandem miſertus infirmitatis humanæ, decreuiſſet finem imponere miſeriæ, atque in terra deſerta, & inaquoſa educere laticem aquæ Diuinioris.

Huic rei, poſt tot Septenarios Principum qui hodie numerantur, ex eorum lumbis tanquam ex aliquo Oceano, placuit producere Diuam Deiparentem Mariam, velut aliquam nubem ad veſtigij humani formam. Sed quam illuſtrem? Ille ſolus dicere poteſt, qui creauit. Nemo ſiquidem, hominum & Angelorum poteſt explicare, compoſitionem, ſublimitatem, & capacitatem eius mentis. Si linguę centum reſonarent (*ita quidam Concionabatur*) oraque centū, ſi mihi aurea vox ô Maria, nihil dignum tibi dicere poſſum ſtella maris, quę virgo beata vocaris. Eleuata eſt magnificentia tua ô nubis illuſtris, ſuper cœlos, & ſuper omnem terram glória tua: ita vt nec in cœlo inueniatur creatura, quæ tuam digne laudare queat magnificentiam, nec in terra ſit quę gloriam tuam exprimere valeat. Nemo enim in cœlo, nemo in terra dignus inuentus eſt, aperire librū prærogatiuarum tuarum, & ſoluere ſeptem ſignacula eius. Plenitudinē gratiæ, aduentum Spiritus ſancti in te, virtutis Altiſſimi obumbrationem, verbi conceptionem, quod ſine grauamine grauida, ſine dolore

Hier. 3 ph. nubes.

puerpera

Digitized by Google

puerpera, virgo pariter & fœcunda, quis enarrabit? Viri diuitiarũ multi, de Ciuitate Domini virtutum, miſerunt manus ſuas ad hęc fortia, & tamen altitudinem diuitiarum harum ad liquidum comprehendere nonpotuerunt, quia inueſtigabiles viæ iſtæ, & inſcrutabilia vniuerſa.

Lib. exhort. ad Virg. 1. *quia nupta innupta.*

Sed tamen ipſa annuëre, vel marginem huius nubis placet admirari, atque exponere, quam recte per hác Diua Virgo deſignetur.

Diuus Ambroſius, per nubes, nuptas intelligit. Nubes, *inquit*, ſunt, & graues nubes quæ nupſerint. Namque a nubibus, verbum nubentium tractum arbitror, deniq; operiuntur & nubes, cum acceperint nuptüræ velamina. Et vere graues nubes, quæ ſuſtinent ſarcinam matrimonij. Nam etiam grauari aluo feruntur, cum ſemina conceptionis acceperint. Feliciores illę leues, quę intemeratam virginitatem, ſignaculum pudoris & clauſtrum integritatis Sacerdotum Principi, vero Aaron, & Melchiſedecho, tales ſe conſecrant, quales ipſe condidit, non quales huius ſeculi vſus deflorat & deintegrat. quique ſuum Adam, talem qualis fuit ante peccatum, & ſuam Euam, talem qualis extitit antequam lubricum ſerpentis hauriret venenum, ſcilicet, quales naſcuntur, non id in quod demutantur, ſe aſſignant. Adam enim & Eua, priuſquam ſupplantarentur maligni inſidijs, & quando non habebant quo confunderentur, virgines fuerant in paradiſo, nullo adhuc onere depreſſi, ſed caſtimonia leuigati. Poſtquã vero de paradiſo eiectus eſt Adam, & cognouit Euam vxorem ſuam, facta eſt illa nubes grauis, conceptu Abelis, quem genuit. Nubes itaque ſunt Diuo Ambroſio, quæ viris nuptæ; quæ ſi ex commertio virili fœtu ſunt oneratæ, graues appellantur: ſi autem Deo per virginitatem conſecratæ appellantur, nubes leues.

expl. loc. Iſai. 19. de Maria leui nube.

Talis nubes Sanctiſſima Deipara, iuxta quod dixit Propheta: *Ecce Dominus ſedet ſuper nubem leuem, & veniet in Aegyptum*. Significans, quod in Aegyptum, ideſt in afflictionem iſtam mundi huius veniret per virginem. Nubem itaque Mariam dixit, quia carnem gerebat. (*addo. & quia viro Ioſepho nuptura erat*:) leuem autem, quia virgo erat, nullis oneribus grauata coniugij. Ipſa namque eſt virga germinans florem, quia virgo pura, & Dominum libero corde directa virginitas; quæ nullis in hoc ſeculo curarum anfractibus reflectatur.

Sed videamus q d nobis inſinuet, adhuc, leuitas iſta nobis. Ego exiſtimo, deonerationem a graui onere concupiſcentiæ carnis, quod deprimit ſenſum multa cogitantem. *Graue iugum* & intolerandum *poſitum eſt ſuper filios Adam, a die exitus eorum in Orbem*. ſcilicet. vt non ea quæ velimus faciamus, ſed plerumque inclines ad terram a concupiſcentiæ fomite, ſæpe concidamus, ſeducti a ſuaui titillatione carnis. Vidit hoc onus omnibus nobis impoſitum, Iſaias Propheta, ſub typo oneris Damaſcæni, quod ſic delineat. *Onus Damaſci Ecce Damaſcus deſinet eſſe Ciuitas. & erit ſicut aceruus lapidum in ruina*. *Damaſcus* interpretatur fundens ſanguinem. & exprimit (*auctore D. Bernardo*) illam nobis innatam corruptionem, quæ quodammodo nolentes & inuitos trahit ad peccatum. Ipſa eſt lex in membris noſtris, repugnans legi mentis noſtræ, & captiuos nos ducens in legẽ peccati, quæ eſt in membris noſtris. Omnis ſenſus vitalis in corpore, ex ſanguine eſt: vitalis autem in anima ex ratione eſt. Et ſcius quomodo naturalis motus peccati nonnunquã

typus concupiſc. Iſai. 17. Onus Damaſci.

in

Maria exonerata neceſſitate peccandi.

in quandam delectationis pœnam ipſam rationem abſorbet, & totam animam, vt ita dicam, reddit exanguem. Sed quidam ſentiunt, ſed nō contentiunt: impugnantur, ſed non expugnantur: onerantur ſed non proſternuntur. Hi onus quidem ſuſtinent in Damaſco, ſed Damaſcus non ſunt. At ille qui cōſentit, & præbet arma iniquitatis peccato, & perfecta Damaſcus eſt propriū ſanguinē fundens, & ſuis ſe manib. interficiens. Hic proculdubio pōdere ſuo, quod in onere Damaſci deſcribitur, ſe nouerit opprimendum, vt ſit ſicut aceruus lapidum in ruina, pondus concupiſcentiæ in eius capite, quod ſuſtinet.

Sub hoc graui pondere, non nemo eſt qui non gemit. Paulus ipſe ad tertium cœlum raptus, & vas admirabile, tanquam nubes prælustris effectus, ait ſe *Infelicē, ſub tali iugo.*

Itaque ſi per nubes etiam alios ſanctos velimus intelligere, eſto ſint & fuerint, quaſi nubes volantes, ſed tamen ab iſto onere graues. Sola Diua Deipara nubes leuis, peculiari Dei munere iam ab ipſa conceptione, ſanctificata, deonerata, leuigata. digna quæ Solem iuſtitię poſtmodū obnuberet, atq; ab eius irradiatione irrequieta, in Solem quoque abiret, Sole mulier in cœlis amicta.

In Maria veſtigiū hominis quid.

Quamobrem recte & illud quod eſt in typo nubeculę in eam quadrabit. *Quaſi veſtigium hominis aſcendebat de mari nubecula parua.* dum ſcilicet a copioſa ſanctificatione, in ea concupiſcentiæ fomite ſiue enecto, ſiue compreſſo, veſtigium tantum hominis in ipſa apparebat, ipſa in Reginam ſuper omnes Angelicas mentes eleuatam denuntiata. quę ſcilicet operationes naturæ, communes quidem haberet cum hominibus, vt ex hoc veſtigio, comedendi, bibendi, dormiēdi, aliaq; hominum communia exequendi, homo eſſet atque cenſeretur; cæterum propter affluentiam chariſmatum, non homo cenſeretur, ſed Angelus quiſquam. Propter veſtigium hominis, dicere poterat. homo ſum, humani a me alienum nihil puto. propter vero altitudinem gratię, negare omnia quę peccantium a ſe ipſa, & dicere. homo ſum; humana omnia a me aliena puto.

Maria emblema ex Dracontea.

Inter flores, Dracontea memorabilis eſt. Eius haſta habet ſimilitudinem ſerpentis, viperę, vel draconis. nam admodum colubri maculis reſperſa eſt. Florem vero habet purpureum diuiſum & apertum, ſicut os ſerpentis, de cuius medio procedit, quaſi lingua ſerpentis nigra & rotunda. cęterum eſt innoxia, neque venenoſa. imo contra morſus & contra ipſos ſerpentes proficua. Odore ipſo ſerpentes in fugā vertit, vt Dioſcorides tradidit.

Sumamus ex illa nobile emblemma Diuę Deiparenti. Fuit quidem illa ſimilis nobis, quę cibo, potu, ſomno, requie, alijsque ad vitam vel ſuſtentandam, vel tuendam neceſſarijs indigeret, non tamen illa omnia tali ratione vt nos cuperet. Nos plerumque mortem quam non putamus, ex his nobis accerſimus, dum ſerpenti in iſtis illecebris latitanti obaudimus. Diua virgo ſublatentē peruidebat, ideoq; ex his omnibus vitę ſubſidijs, vitę melioris occaſionem ſibi præſumebat: atque adeo ſerpentem adrepentem planta pedis retundebat. vtpote cui ſingulari munere conceſſum fuerat, vt ipſa contereret caput venenati ſerpētis.

Mariæ Elogia.

Cœli non adeo ſeruant ordinem præfixum, neq; Elice ſiue Cynoſura tam eſt fixa in ſuo polo; Sol etiam ipſe quandoque a præſcripto curſu ceſſauit. Diua Deipara nunquam a rationis ductu aberrauit, aut remorari

rari

tari paſſa eſt. Homo non homo, ſed veſtigium tantum hominis. cæterum perfecta imago filij quē enixa, Sole illuſtris in Solem transformata. Supra omne quod ſub Luna variat eleuata, & inter Stellas inerrantes collocata, digna quæ eſſet geſtatrix aurei imbris, qui paupertinum orbem diuitauit, digna quæ vocetur Regina miſericordiæ, Domina mundi, virgo virginum, ſancta Sanctorum, lumen cæcorum, iuſtorum gloria, peccatorum venia, deſperantium reparatio, deficientium fortitudo, Salus orbis, ſpeculum totius integritatis, Tabernaculū Dei, vmbraculum Eccleſię ab æſtu, Securitas & abſconſio, a turbine & pluuia: Medicina omnium in ſua feſtinatione. Nebula enubilata, nubes exonerata, ferax vitę tam corporalis quam ſpiritualis. Vtramq; quomodo nobis conferat, profero exempla.

Miracula duo a cultu Mariæ. Lipſ. in D. Hallen. c. 18.

In arce Ligniaca (anno Domini 1419.) Virguncula erat Ioanna Maiſarta, quę ad domeſticos vſus aquā petitum iuit, & profundiore puteo vicino Is puteus (obſerua) quadraginta circiter pedes altus e fundo erat: in ſuperiore autem parte lapidibus marginatus, & ſaxo vno grandiore, cui adſtare & inniti haurientes ſolent. Dum ergo puella fune aquam educit & attrahit, ſaxum anterius quod dixi collabitur: ipſa cū eo vnà. Sed pręter merſionem, aliud etiam malum. Natiuus lapis ſiue rupes, in parte putei imi erat: in hāc impetu decidit & impacta eſt, vt caput grauiter lęſerit, brachium & tibiam. Tibiam quidem ita, vt cum extracta fuit, intumuiſſe eam viderint ad corporis totius modum. Semihoram deinde in aquis iacuit, priuſquam auxilium adueniret: ac tum educta, mortua apparuit, atro & tędo colore, ad horas circiter trinas. Mater puellę cum pluribus, mœſtiſſima inter mœſtos ſtabat. ſuggeſtum celebre notumq; iam effugium, ad Diuam Virginem Hallenſem. Ita preces & vota offerunt, admittuntur: & color primum teter puellę abit, vita redit, plagę perſanantur: ac denique poſt paucos dies, voti damnata mulier Hallas venit, puella comite, quam obtulit merito ſuę Seruatrici.

Lipſ. in monitis Polit. c. 17.

Non minus eſt hoc miraculum, quod eadem Diua Virgo patrauit, in altera Virgine captiuâ, quam a morte animę pręſeruauit. imo maius credo iſtud quod ſubiungo, quia & difficilior & nobilior redanimatio animę, quam corporis.

Carolus VIII. Rex Galliarum, in reditu a regno Neapolitano, cum opidum aliquod Italiæ expugnaſſet, in militum direptione & diſcurſu, virginem perhoneſta forma ad pedes eius accidiſſe ferunt, tutelam a vi militum & cuſtodiam pudicitiæ ſuæ rogantem. Atque illum a militibus quidem ſeruaſſe; ſed vt iuuenem & talium rerum ſatis liberum, ſtatim oculos & cupidinem ad eam adieciſſe, & ſeductam in lectum abieciſſe, iam imminuendam. Ibi ea toto animo anxia, videt tabulam in pariete ſuſpenſam, in qua Diua Virgo puerum; mundi Seruatorem, ſinu geſtabat: & ea oſtenſa, *Per intactam hanc Virginem*, inquit, *oro, adiuro, virgini mihi parce*. Mouit ita regem (*non ſine Diuæ illius numine*) vt libidinem iam exſilientem coerceret: & lacrymis etiam profuſis, ſolo amplexu proſecutus liberam dimiſerit, cum dote quingentorum aureorū Sed & propinquos, aut affines captos, ei donauit.

Tanti fuit interceſſio Diuæ Deiparæ, pro hac etiam ſequace nubecula, vt eam ab acerbiore morte præſeruarit. Poteſtatem namque a

Digitized by Google

filio accepit, ſuper vtramque.

Ipſa intercedat pro peccatis noſtris, prętante eodem Domino filio eius, cuius verbum & imperium permanet ſine fine in ſecula ſeculorum. Amen.

IN FESTO S. MATHAEI Euangeliſtæ.

Vidit ſedentem in theloneo &c.

CONCIO.

Oculorum Dei potentia.

Argus cautum ſignificat.

ARGVM toto corpore oculeum, fingebant antiqui. ſed fingebant. Fabula erat conficta, ſignificando alicui homini arguto, cato & cauto, qui ad omnes motus & metus, eſſet intentus. Sed ego in Sacris literis reperio Saluatorem noſtrum multiuario aſpectu oculatum. Ioannes vidit

Apoc. 5.

agnum ſtantẽ tanquã occiſum, habentem cornua ſeptem, & oculos ſeptẽ qui ſunt ſeptem ſpiritus Dei, miſſi in terram. Altero iſtorum oculorum hodie aſpexit ſedentem Mathæum in theloneo; aſpexit, & ad meliorem ſtatum attraxit. Namque virtus ab oculis eius emicabat. Qui iſti oculi, & quam potentes nictus eorum? in præſenti diſpicio.

Dupl. viſio.

Apoc. 1. de oculis Chriſti duobus.

Binos tantum Chriſti oculos, pro nunc accipio & aperio; dextrum ſcilicet & ſiniſtrum, quos in eius fronte velut Sol lucidiſſimos, Ioannes vidit, tanquam ignis flammam emicantes. *Caput eius*, inquit, *& capilli erant candidi, tanquam lana & tanquam nix; oculi autem eius tanquam flamma ignis.* Caput mentis ſedes eſt, & ſignificat prouidentiæ eius decreta æterna, candore laneo vel niueo canitiem ætatis, quæ ei ante ſecula cũ patre communis eſt, prę-

qui velut flamma ignis.

ferentia. Hæc decreta non vnico ſed bino mentis oculo, aperit mortalibus. nẽpe dextro & ſiniſtro. Quoſdam enim aſpicit vt illuſtret, alios vero vt exurat. ideoque Ioanni apparuit habens oculos, tanquam flammam ignis. Flamma ignis,

alios illuſtrant. alios condemnãt

vt Richardus Victorinus animaduertit, lucem & calorem tribuit, terrorem incutit & exurit. Oculi igitur eius flamma ignis ſunt, quia electos reſpiciens illuſtrat luce ſapientiæ, calefacit amore iuſtitiæ; reprobos autem reſpiciens terret ferocitate comminationis, & incorrectos exurit incendio damnationis. Priores oculi Domini, vt inquit Pſaltes, *ſuper metuentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia eius.* deinde etiam *ſuper iuſtos, & aures eius ad preces eorum* Poſteriores autem: *Super facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum.*

Priores in *pauperem reſpiciunt.* nimirum vt adiuuent, vtque ex altitudine diuitiarum ſapientię & ſcientiæ Diuinæ, tanquam ex oculo aperto, aliquid affundant: Poſteriores autem, *interrogant filios hominum.* ſcilicet vt arguant, vtque flammantibus radijs iuſtitiæ & comminationis, tanquam aliquo mucrone peccatorem conficiant. Forte dicunt, *ait Auguſtinus*, mali. ergo ſecurus facio mala, quia non ſuper me ſunt oculi Domini. ad iuſtos Deus attendit, me non videt. Audi quod ſequitur. Vultus autem Domini ſuper facientes mala, vt perdat de terra memoriam eorum. Priores oculi Diuinæ benignitatis, ſunt ceu *columbæ ſuper riuulos aquarum, quæ lacte ſunt lotæ, & reſident iuxta fluenta pleniſſima.* Columba mihi ſignificat Spiritum ſanctum, qui in ſpecie columbę ſuper Chriſtum deſcendens, vnxit illum oleo lætitiæ præ conſortibus

ſuis:

ſuis: Chriſti quoque oculi, ſunt veluti Spiritus ſanctus, inexauſti ſcilicet fontes charîſmatum, quæ ſtillãt in eos quos reſpicit. Poſteriores autem oculi ſunt, *virga illa vigilans*, id eſt, occulata, ſeu oculos habens: quibus vigilat, ne impune ſit operantibus iniquitatem. Scite D. Hieronymus. Vigilat, *inquit*, virga, cuncta populi peccata conſiderans: vt percutiat & corripiat delinquentes. Septuaginta pro virga vigilante *Baculum nuceum*; Theodotionis autem verſio, *virgam amygdalinam* habet. Appoſita ſignificatio oculorum correctionis. Quemadmodum enim nux ſiue amygdalum, amariſſimo eſt cortice & teſta duriſſima; ita & Diuina correctio, amariſſima & dura eſt fere omnibus qui percutiuntur. Proinde monebant, etiam gentiles ipſi, vt ſemper ob oculos habeamus Deum nobis præſentem, atque eius aſpectu quo nos reſpicit, a ſceleribus caueamus.

Ita Epictetus. Deus omnia intuetur, omnibus magis adeſt quam Sol. *Epicteti dictũ de Dei præſentia.* tamen etiam cuſtodem cuique noſtrum addidit, & genium curatorem. Cum igitur fores obduxeris, & tenebras intus feceris, ne ſuccurrat dicere: Solus ſum. non enim es, ſed Deus intus eſt. & genius noſter intus eſt. quibus quid opus illato lumine, vt videant quid facias? Idem Philoſophus alio in loco. Dei ſtatua, *inquit*, aut ſymulachro præſente, non auſis tale aliquid facere, qualia facis: ipſo autem Deo intrinſecus pręſente, & omnia inſpiciente, & audiente non verecundaris hæc cogitare, hæc agere, ô ignare naturæ tuæ & Dijs infeſte?

Et Seneca Philoſophus. Nihil, *ait*, Deo clauſum eſt. Intereſt animis *Epiſt. 83.* noſtris & cogitationibus medijs interuenit. Itaque illud eſt, quod Hieremias vidit. Virga ſcilicet oculata, quæ aſpicit & ſcrutatur etiam intimos receſſus mentis. iuxta, quod alibi per Prophetam comminatur. Scrutabor, inquit, Hieruſalem in lucernis. Sed de his alias.

Dextro oculo, vt retulit ſponſa, *ipſe ſtans poſt parietem noſtrum reſpicit per feneſtras, proſpicit per cancellos*, oſtentans diuitias bonitatis ſuæ. *Expl. loci Cant. 2. de benignitate Christi oculo.* Pro proſpiciens, vertunt alij, emergens & progerminans inſtar floris erumpentis. & comparant vultum roſeum Sponſi, quem per retia cancellorum oſtentat, floribus erumpentibus.

Sicut roſæ, cum ſemihulca vaginula erumpentes, faſtigiatum pyramidis purpureæ cacumen abſoluūt, iamque ſpem faciunt, ſe mox amictus in ſinum collectos ex ſinuaturas, & ridentis calathi honore patefacto, aureum ſeminis incluſi crocum oſtentaturas: ſic & Ieſus Saluator flos ille, ſuper quem requieuit multiformis Spiritus, diuitiaſque im menſas bonitatis ſuę in ipſius animo concluſit, cum decorum aſpectum ſuum exerit, inſinuat eoſdem theſauros per radiatum lumen, cupidus habere illum qui capiat, qui rapiat. Venit enim (*vt D. Bernardus aperuit*) affectu & ſtudio miſerendi, accelerat ſubueniendi zelo, appropinquat humiliando ſemetipſum: adeſt præſentibus, proſpicit in futuros, loquitur docens & ſuadens de regno Dei. *Super Cant. ſermo 17.* Benedictiones & diuitiæ ſalutis cum eo, & vniuerſa quę de ipſo ſunt, affluunt delicijs, redundantia certe iucundis ac ſalutaribus Sacramentis.

Hoc benignitatis oculo aſpexit olim, Lothum infidelibus commanentem, & ipſum de medio nationis prauę eduxit, vt in monte Segor animam ſuam ſaluaret. Eodem aſpexit & Hebræos, in Aegypto duram ſeruiturem in operibus luti &

Digitized by Google

lateris ſeruientes, atque poſt tot miracula in oculis eorum patrata, per mare Erithreum ad veram libertatem,& in terram lacte & melle fluẽtem traduxit. Illo ipſo reſpexit Dauidem, cui tantam felicitatem conceſſit,vt ipſe de ſe diceret *Hæreditate acquiſiui teſtimonia tua in æternum, quia exultatio cordis mei ſunt.* Illa puto hæreditate, ait Bernardus, qua ſe eſſe præſumebat filium patris ſui, qui eſt in cælis. Porro ſi filium, & hæredem: hæredem Dei,cohæredem autem Chriſti. Magnam vero rem gloriatur ſe acquiſiuiſſe hæreditate iſta, ſcilicet, teſtimonia Domini. Vtinam ego de me vel vnum meruerim tenere teſtimonium Domini; quia is non in vno,ſed in multis exultat teſtimonijs. Denique ait iterum. *In via teſtimoniorum tuorum delectatus ſum, ſicut in omnibus diuitijs* Et reuera quid diuitiæ ſalutis quid deliciæ cordis, quid animæ vera & cauta ſecuritas,niſi Domini atteſtationes? *Non enim*, inquit, *qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat.* Vt quid nos hactenus adhuc fraudamur atteſtationibus his Diuinis, & paterna hæreditate priuamur? Quaſi minime & nos voluntarie genuerit verbo veritatis, ſic in nullo nos meminimus ab illo nos taliter commendatos,nec vlla de nobis aſſecutos teſtimonia eius. Sed ad oculum Chriſti reuertor.

Eodem oculo aſpexit Petrũ amare flentem, & deuium reduxit ſibique reconciliauit. Ipſo illo vidit hodie in theloneo ſedentem hominem Matheum nomine, & ex Publicano Apoſtolum fecit.

Solis radij penetrantes terram, in eius viſceribus, ex molli argilla, aurum & lapides pretioſos gignunt: maioris virtutis rutilantiores oculi Saluatoris hodie, qui ex peccatore omnium maximo velut aurum obrizum, & lapillum inæſtimabilem produxerunt. In fundamento nouæ Ciuitatis Ieruſalem, ſeptimo loco numeratur *Chryſolitus: qui auri ſpeciem præfert, ardentes ſcintillas diffundit, nocturnos pellit timores. Habet deinde ſimul cum auri colore quandam marini coloris ſimilitudinem, quamobrem dicitur hebraice Tharſis*, quod nomen *mare* ſignificat. Mathæo Apoſtolo aſſignatur ab Ioachimo,& pleriſque qui auro charitatis irrutilans, amore Chriſti inflammatus, ductilem ſe ad eius vocem præbuit. Non enim repugnauit, nec ambigendo ſecum dixit. Putaſne publicanum peccatoremque me recte abſque fraude vocauerit? Non eſt enim huiuſcemodi humilitas laudabilis. Sed confeſtim ita obtemperauit, vt nec domum quidem ad communicandum rem cum ſuis profectus ſit. Verum ſicut piſcatores prius retibus vna cum nauigio, atque patre relictis, ſic iſte publico officio & quæſtu relicto ſequebatur: ſic præparatum animum atque præmeditatum oſtendens, ſic ab omni ſeculari negotio ſeipſum eripiens, mirabili hac obedientia teſtimonium vocanti perhibuit, quod oportune ipſum vocauerit. *hierogl. Matthæi Chryſolitus.*

Diuus Gregorius explicabat illa Iobi verba. *Ferrum de terra tollitur, & lapis ſolutus calore in æs vertitur.* Fortes, *inquit*, viri qui acutiſſimis linguarum gladijs in hac acie defendendæ fidei ferrum fiunt, aliquando terra in infimis actionibus fuerunt. Peccanti quippe homini dictũ eſt. Terra es,& in terrã ibis. Sed de terra ferrũ tollitur, cũ fortis propugnator Eccleſiæ, a terrena quã prius tenuit actione, ſeparatur. Non ergo in eo debet deſpici quicquid fuit, qui iam cæpit eſſe, quod non fuit. An non Matthæus in terra inuentus eſt, *expl. loc. Iob. 28. de forma tione Sanctorum.*

eſt, qui terrenis negotijs implicatus, telonei vſibus ſeruiebat? Sed de terra ſublatus in fortitudinem ferri conualuit: cuius videlicet lingua, quaſi acutiſſimo gladio Euangelij adminiſtratione Dominus infidelium corda transfixit. & qui infirmus prius deſpectuſque fuerat, per terrena negotia, fortis poſtmodum factus eſt ad Cæleſtia prædicamenta. Vnde adhuc de eo ſubiungitur. *& lapis ſolutus calore, in æs vertitur.* Tunc lapis calore ſoluitur, cum cor durum, atque à Diuini amoris igne frigidum, eodem Diuini amoris igne tangitur. & in feruore ſpiritus liquatur, vt ad ſequentem vitam deſideriorum æſtu ardeat, quam prius audiens, inſenſibilis manebat. Ex quo ardore ſcilicet, & emollitur ad amorem, & roboratur ad operationem, vt ſicut prius durus fuerat in amore ſeculi, ita ſe poſtmodum fortem exerat in amore Dei: & quod ante audire renuebat, iam & credere & prædicare incipiat. Lapis ergo ſolutus calore, in æs vertitur, quia dura mens ſuperni amoris igne liquefacta ad veram fortitudinem commutatur. vt peccator qui prius inſenſibilis extiterat & per auctoritatem fortis, & per prædicationem ſonorus fiat.

Prædicatimus Matthæi hiſtoria. lib. 2. ca. 41.

Matthæus quam ſonorus fuerit in prędicatione, ſcriptum eius Euangelium declarat: quam vero fortis in eius denuntiatione? placet exitum eius ex Nicephoro producere.

Cum profectionibus multis, ex alia regione atque gente ſubinde migrans, Euangelium diſſeminaſſet, tandem ad Antropophagos peruenit, Spiritu ſancto ductore. Inibi Platone ſuo diſcipulo, Epiſcopo renunciato, ipſe in editum collem oraturus proceſſit, vt ſibi eius gentis ſalus reuelaretur. Adſtitit tandem illi Dominus Ieſus formoſi pueri ſpecie, pacem adprecans, & virgam porrigens in manum. Iubens deinde, *vt eandem ante portam Eccleſiæ plantaret, in arborem magnam & excelſam illico euaſuram, fructumque plurimum magnitudine ſimul & ſapore alijs longe ſuperiorem laturam. fontem præterea pellucidum & copioſum, cum leni ſuſurro ex radice eius erupturum eſſe pollicitus. in quo quicunque Antropophagi lauiſſent, eorum ſimul & vultus ad formam decentiorem compoſitum, & corda agreſti feritate poſita, ad placabilitatem conuerſum, prorſumque eos in melius mutatum iri.* Pãxit virgam, creuit illa in arborem, fontem aſpectu amænum & potioni commodum à radice ſcatentem eduxit. Principem Fuluianum, vna cum coniuge & filio adſpectantes, à malignis ſpiritibus quibus excruciabantur eliberauit: multitudinemque ingentem miraculis conſternatam ſacro baptiſmate perfudit. Flauianus cum videret populum innumerum ad Matthęum confluere, metuere ſibi cępit, ne cum patria religione regnum quoque amitteret. itaque pænitentia ductus, & ad ſuperſtitionem genticam relapſus, Apoſtolum iubet rapi. tum deinde clauis pręlongis terræ affigi, pice & bitumine perfuſis ſarmentis circumdari, atque concremari. Corripiunt ligna ignem iniectum qui pręter expectationem in roris euadit refrigerium. Princeps autem ira furens, biſſenas allatas imagines Deorum circum pyram collocari præcepit, vt eorum ope ignis faceret officium ſuum. ita ſarmenta quidem flammam corripiunt, incendium autem aduerſus ſimulacra Deorum conuertitur, eaque comminuit in conflatorio. Matthęus horam ſibi adeſſe cernens, *Matthæi martyrium.*

qua

qua mercede laborum ſuorum frueretur, dum ignem extinxiſſet, atque ad altare Sacris operaturus acceſſiſſet, ab Hirtaco ſucceſſore (q Iphigeniam Regis Filiam, ſed iam Chriſto per virginitatis votum deſponſam ambiebat) occiſus occubuit, & munus Apoſtolicũ martyrij gloria cumulauit, vere factus victima virginitatis. Fortis ad bella pro nomine Ieſu, ab aſpectu Ieſu, cui laus in ſecula. Amen.

IN FESTO S. MICHAELIS.

Angeli eorum vident faciem Patris mei, qui in Cœlis eſt.

CONCIO.

Angelorum circa nos cura.

Deus populorum nutritius

NON multum poſſet quiſpiã perſuaderi de pollicitatione Diuina, vbi promittit ſe fore nutritium populorum, niſi reipſa declararet, ſe ipſum illum eſſe. Nutritij primũ officium eſt, cibum miniſtrare? Deus *aperit manum* ſuam, *& implet*, non ipſum tantum hominem ſed *omne animal benedictione*. Eiuſdem nutritij munus eſt, nutritum infantem vel cuſtodire, vel cuſtodiendũ alteri committere? Deus noſter, & ipſe in humeris ſuis defert quos condidit; & inſuper Angelis ſuis, vt eſt in Pſalmo, *mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis*, qui *in manibus ſuis portabunt te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Confiteantur Domino miſericordiæ eius, & mirabilia eius filijs hominum. Confiteantur & dicant inter gentes, quoniam magnificauit Dominus facere cum eis. Domine quid eſt homo, quia innotuiſti ei, aut quid apponis erga eum cor tuum? Apponis erga eum cor tuum, geris pro eo ſolicitudinem, curam illius habes. Denique ei mittis vnigenitum tuum, immittis ſpiritum tuũ, promittis etiam vultum tuum. Et ne quid in cœleſtibus vacet ab opere ſolicitudinis noſtræ, beatos illos ſpiritus propter nos mittis in miniſterium, cuſtodiæ noſtræ deputas, noſtros iubes fieri pędagogos. Parum eſt enim ei, quod faciat Angelos ſuos ſpiritus, niſi faciat & angelos paruulorum. Namque horum Angeli, vident faciem Patris mei, qui in cœlis eſt, vt ait Saluator. Quomodo ſint Angeli Patris & paruulorum, ideſt omnium noſtrum? reipſa ab exemplis productis demonſtrabo.

Bernar. in pſal. Qui habit. ſer. 7.

expl. Hoc. Exod. 25 de Angelis.

In Moſayco tabernaculo, voluit Deus antiſtare duos Cherubinos ſupra Propitiatorium, qui illud obnuberent, aſpicerent, & oracula a Deo prolata renunciarent. Ita lego in Exodi hiſtoria. *Duos quoque Cherubim aureos & productiles facies ex vtraque parte oraculi: Cherub vnus ſit in latere vno, & alter in altero. vtrumque latus propitiatorij tegant expandentes alas, & operientes oraculum, reſpiciantque ſe mutuo, verſis vultibus in propitiatorium, quæ operienda eſt arca, in qua pones teſtimonium quod dabo tibi. Inde præcipiam & loquar ad te ſupra propitiatorium, ac de medio duorum Cherubim, qui erunt ſuper arcam teſtimonij, cuncta quæ mandabo per te filijs Iſrael.*

1. Naturam, 2. ſtationem 3. officium 4. illuminationes reciprocas, 5. miniſteriumque Angelorum obumbrauit Diuina ſcriptura, ſub hoc typo. quæ ſingula explico.

1. Natura Angelorum auro ſig.

1 Naturam *auro* deſignat, ex quo Cherubin facti. Aurum præſtat omnibus metallis; ſic Angeli omnibus creatis. Cõgenitæ ſunt auro ſuę perfectiones, fuluor, flexilitas, pretium, atque

atque cætera omnia propter quæ æſtimatur: ſic & Angelis concreatæ ſunt omnes illorum dotes, ſiue quæ naturales vocantur, ſiue quæ a gratia manarunt: fuluor nimirum gratiæ, flexilitas arbitrij, pretiumq; incomparabile aliarum virtutũ, quib. non ſecus ac cœlorum Orbes ſibi connatis ſtellis, pellucent. Conquæritur Deus in Sacris ſcripturis, *Aurum cuiuſdam verſum eſſe in ſcoriã*: inſinuat quoſdam Angelorum cecidiſſe, illorumque aurum decoris æruginaſſe. Deus quidem in omnibus, *vt D. Auguſtinus docet*, ſimul erat condens naturam & gratiam infundens: cæterum in probatorio igne, quidam eorum deſilierunt a Deo, ideoque in præceps dati; alij vero in Deum a quo conditi ſunt exultarunt. ideo in ſupremo cœli axe conſeruati, Adſtites perpetui arcæ in qua theſauri ſapientiæ & ſcientiæ Dei abſconditi.

2. *Statio Angelorum.* Stationem deinde Angelorũ inſinuat, dum iubet Cherubos aureos collocare, ex vtraque parte oraculi. nimirũ, vt adſiſtant Angelicæ mentes, Menti Diuinæ. Vnus ex eis ita de ſe prouulgat. *Ego ſum*, inquit, *Raphael Angelus, vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominũ. & cum eſſem vobiſcum, per voluntatem Dei eram, videbar quidem vobiſcum mãducare & bibere, ſed ego cibo & potu inuiſibili, qui ab hominibus videri non poteſt vtor.* Ne forte eoſdem vidit Ioannes, ſub ſpecie ſtellarum, quas in manu tenebat Saluator. namque ipſe explicat; *& ſeptem*, inquit, *ſtellæ, angeli ſunt ſeptem Eccleſiarum*, Iſaias duos vidit præſentes Domino, velantes duabus alis faciem eius, duabus vero pedes eius. Daniel auteſt poſt fluuium igneum, qui rapidus egrediebatur a facie antiqui dierum, aſpexit quia *millia milium miniſtrabant ei, & decies, milies centena milia aſſiſtebant ei.*

In hac ſtatione feliciſſima, nõ omnino aut ocioſi aut in labore ſuaui ieiuni ſunt. Nam Raphael, cibũ quo vtebatur nominat & potum. qui cũ ſub aſpectum non cadat, profecto non corporeus eſt, vt & illi incorporei, ſed ſpiritualis quem a Diuino ſpiritu capiunt. Cibum habent a pectore paterno, ex quo erũpit *Verbum bonum*, quod illi reuelatum aſpiciunt. Potum vero a *fluuio igneo* emanationis claritatis omnipotentis Dej, quæ mentes eorum perenni inundatione myſteriorum rapit, indulcat, & inebriat. Ab hac arca theſaurifera SS. Trinitatis, quam in matutino radio aſpectant, Oracula meridiana, circa Adminiſtrationem Orbis vniuerſi concipiunt. Ab hoc pectore flumen flagrantiſſimum, perpeti profluuio deſcendens a patre luminum, hauriunt, & bibunt. & quod eſt in Euangelio. *Angeli eorum vident faciem Patris mei qui in cælis eſt.* In hoc vultu Diuino legunt nictus cernuos, quam benigno oculo, ſiue etiam, quam oblique intuentibus hyrquis, vel aſpiciat, vel deſpiciat mortales. In eo conſpiciunt, Deum cogitare, Abrahamum Patrẽ gentium velle facere, Agaram errantem cupere potare, Tobiam illuminare, ditare, atque a tot diſcriminibus liberare. In eodem contuentur quia cupiebat Iacobo apparere, Iſraelem ex Aegypto educere, in columna nubis & ignis ante eos præire. cæteraque omnia perficere, quę ad curam mortalium pertinere videntur. 3. *officium & cognit. Angelorum matutina.*

Cæterum quia in reſurrectione illa Cęleſti, ſtella differt a ſtella in claritate, & quod ſcholæ docent, Angeli inter ſe ſpecie diſcriminantur: proinde non in confuſione, ſed in pulcherrimo ordine adſiſtunt Dominatori Orbis. quod etiam Iacobus 4. *Reuelationes ſeu locutiones.*

bus Patriarcha vidit, qui aſpexit *Scalam* (niſi fallor, nouem graduum) *cuius cacumen tangebat Cælos*, atque adeo ad ipſum pertingebat Deum, qui eidem ſcalæ innixus, in qua quidem ſcala, nõ in eodem gradu conſiſtentes Angeli, ſed inſtar Aſcendentium & deſcendentium viſi, quidam ſcilicet ſuperiores, alij medium ordinem, alij extremũ agmen claudentes. quod etiam inſinuat *ſitus Cheruborum, quorũ alter ab vno, alter ab altero latere oraculi* conſtitutus. ſicut etiam illi duo Seraphim, ſinguli ſuum latus cingebant. Fit vt Angeli Beati, ordine quo conſiſtunt, illuminationes, & corruſcationes, quę a pectore, fluuio, & oraculo Diuino in momenta procedunt, non niſi alter per alterum, ſeu ab altero ſuſpiciat. Loquelam ſcholæ vocãt, qua alter alteri, ſuperior inferiori reuelat, quæ a mente Diuina accepit. Et hoc eſt illud, quod Cherubos aureos in tabernaculo voluit collocaris ad eum modum, vt *& oraculũ aſpicerent, & ſe quoque mutuis vultibus intuerentur. Oraculum.* ſcilicet ipſum, a quo ſine medio aliquo Beatitudinem eſſentialem conciperent. *Se vero mutuo*; vt vnus ab altero ea quę ad Cęnam felicitatis adijcialia ſunt, ſcilicet nouas reuelationes expectarent. Clara eſt reuelatio amebęa apud Danielem, qui refert *unum Angelum*, ideo credo, *reſtitiſſe alteri Angelo in oratione pro populo Dei*, quia forte nondum illuſtratum erat ei tempus, an deberent tunc dimitti.
Dan. 18. *Princeps aũt* inquit, *regni Perſarum reſtitit mihi, viginti & uno dieb. &c. ecce Michael vnus de Principibus primis, venit in adiutorium meum.*

5. miniſterium ex ſcientia veſpertina. Hinc ſe exſinuat miniſterium illorum, quo funguntur ex voluntate Diuina, circa paruulos, quorum ſunt cuſtodes.

Vident faciem Patris eorum, qui in cœlis eſt, quia *oculi eius in pauperes reſpiciunt, & aures eius in preces eorum*: ideoq; optime norunt, quid cum vnoquoque clientum ſuorum agatur. Et quia agnoſcunt Deum, Paterno amore illos proſequentem, omnes curas eorum curantem, inſuper cuſtodientem eos *tanquam oculi pupillam*, aperientem illis ſuam manum, implentem omnes ſua benedictione, Solem oriri ſuum ſuper bonos & malos, omneque donum perfectum a ſe fonte luminum in eoſdẽ deriuare: ideoque & ipſi incaleſcunt amore, erga nos pupillos.

Bene de illis Pſaltes retulit. *Qui facit Angelos ſuos Spiritus, & miniſtros ſuos flammam ignis.* Spiritus illos appellauit, propter ſcientiam rerum noſtrarum; flammam vero ignis propter amorem ſuccenſum animarum noſtrarũ. Spiritus enim quia Spiritus eſt, omnia peruadit, ſcrutatur, inſpicit: flãma vero quia deflagrans eſt, eadem quæ perſpicit, cupit illuſtrare, incalfacere, igneaq; perfectione conſummare. Oculatos Spiritus & flammantes renunciauit eoſdem Ezechiel & Ioannes, ſub velamine quattuor animalium, vt rerum ſcientes, & ſalutis noſtræ volentes commonſtrarent. expl. ver. Pſ. 103. de angel.

Ioabus alioquin hoſtis Abſaloni, videns quia cor regis Dauid verſum eſſet ad Abſalon, reconciliatus eſt ei. Sic & Angeli, licet propter noſtra delicta poſſent eſſe minus beneuoli nobis, tamen cum aſpiciunt faciem Patris noſtri benignam erga nos, & ipſi benigni quoque eſſe ſtudent, in paruulos ſuos

Nihil itaque prætermittunt eorũ quæ ad nos pertinent. 1. illuminant, 2. docent, 3. ad amorem Dei accendunt, 4. ſolantur, 5. defendunt, 6. paſcunt, 7. ducunt, 8. a periculis eripiunt, 9. infirmos curant, 10. dæmoniacos liberant, 11. pugnantes officia angelorũ in homines.

vel

Digitized by Google

vel adiuuant, vel eminent, 12. orationes vel deferunt noſtras vel ſuas pro nobis orant, 13. in manibus baiulant, 14. offendicula remouent, 15. contra phalangas inferni armāt, 16. inque Paradiſum transferunt vita iam defunctos. In ſumma, ſunt infuſoria Diuina, ex quibus Dei beneficentiæ munera in nos d[er]imanāt.

1. illumin. 1. Illuminarunt Tobiam Seniorem cæcutientem, & Iſraelem ex Aegypto fugientem; illum felleo collirio, hunc vero columna ignea ductrice. *2. docent.* 2. Docuerunt Iſraelem & Danielem. Namque Moyſes legem accepit per manum Angeli, qua populum erudiuit: Daniel vero per reuelationem eiuſdem Angeli, doctrinam intellexit, quam poſtea explicauit. *3. inflam.* 3. Inflammarunt Iſaiam, carbone de altari ignito accepto, quo labia eius tetigerunt atq; mundauerunt: Inflammant & nonam Ieruſalem, iiſdem carbonibus de medio rotarum flammantium arreptis quibus eandem in dies conſpergũt. *4. Solātur* 4. Solatium ab vno eorum accipit Agar in ſolitudine oberrans. *5. tuētur.* 5. Tutelam ab Eſau fratre, aſſignat alteri Iacob Patriarcha. *6. paſcūt.* 6. Vnus illorum paſcit Eliam ſubcinericio pane: alter Danielem prandio transmiſſo per Abacuchum. *7. ducūt.* 7. Raphael vnus ex ſeptem principibus ducit & reducit Thobiam, idem *8. tuētur à ſat.* 8. a vorticoſi fluminis raptu, & a Dæmonio præripit eundem. *9. peſtil. fug.* 9. Peſtilentem auram diſpellit quidam Dauidi, alter ægrotanti Ezechiæ medetur. *10. Dæm. pell.* 10. Dæmonium quod ſeptem viros occiderat, fugat a Sara ille idem Thobiæ Doctor & Ductor. *11. adiuuāt pugn.* 11. Gedeonem contra Madianitas pugnantem adiuuat alius; alius pro Ezechia prælia pugnans cẽtum octuaginta & aliquot millia cædit. *12. preces offerunt.* 12. In ſuis thuribulis noſtras preces porrigunt, ante thronum Dei & agni apud Ioannem: apud vero Danielem Prophetam, & ipſi quoq; orant pro nobis. 13. In manibus ſuis defert quidam Abacuchum. *13. deferunt.* 14. alter Balaamo offendicula monſtrat quæ caueat. *14. offendicula miſtrant.* Omnibus autem, vt eſt in Pſalmo, *mandauit de te ò homo, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. In manibus portabunt te, ne forte offendas ad lapidẽ pedem tuum. Super aſpidem & baſiliſcum ambulabis, & conculcabis leonem & draconem.*

Bern ſer. 7. ſuper Pſal. qui habitat. Mira dignatio, & vere magna dilectio charitatis. Quis enim? Quibus? De quo? Quid mandauit? Quis enim? *Mandauit*, Cuius ſunt Angeli, cuius mandatis obtemperãt, cuius obediunt voluntati? Summa ergo maieſtas mandauit Angelis, & *Angelis ſuis mandauit.* Illis vtique ſublimibus, tam beatis, tam proxime ſibi cohærentibus, tam familiariter conuerſantibus, & vere domeſticis Dei. *Mandauit de te.* Tu quis es? Domine quid eſt homo, quod memor es eius, aut filius hominis quoniam reputas eum? quaſi vero homo non ſit putredo, & filius hominis vermis?

15. ad cœlum reducunt. Sed quid putas mandauit de te? Nunquid ſcripſit *contra te amaritudines*? Nunquid vt *contra folium quod vento rapitur, oſtendant potentiam ſuam, & ſtipulam ſiccam perſequantur*? Nunquid *vt tollant impium, ne videat gloriam Dei*? Mandatum iſtud eſt, non mandatum. Non recedas ab adiutorio Altiſſimi, in protectione Dei cœli commorare: ne de te illud quandoq; mandetur. Quem enim protexerit Deus cœli, non de eo illud mandabitur, ſed pro eo. Et quod interim non mandatur, pro eo differtur, vt ſint omnia propter electos. Denique parantibus ire ſeruis, & continuo ſuperſeminata zizania colligere cupientibus, prouidus Paterfamilias;

V Sinite

Digitized by Google

Sinite, inquit, vſque ad meſſem, ne forte eradicetis ſimul & triticum. Quomodo igitur tamdiu conſeruabitur interea? Hoc plane, hoc opus præſens, hoc mandatum temporis huius. Itaq; angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te. O triticum inter zizania, o granum inter paleas, o lilium inter ſpinas. Gratias ei fratres, gratias ei, & pro nobis pariter, & pro vobis. Precioſum depoſitū nobis commiſerat, fructum Crucis ſuæ, precium ſanguinis ſui. Non eſt cōtentus cuſtodia hac quaſi parum tuta, quaſi parum vtili, quaſi fragili, quaſi inſufficiēti. Super muros tuos Hieruſalē conſtituit cuſtodes. Nēmpe etiam ipſi qui videntur muri, aut in muro ipſo columnæ, his cuſtodibus egent, & maxime. Angelis ſuis mandauit de te, vt cuſtodiant te in omnibus vijs tuis. Quapropter habentes Angelos familiares, *In quouis diuerſorio, in quouis angulo, habetote eis reuerentiam. frequentate eos ſedula cogitatione & deuota oratione, qui ſemper vobis adſunt ad cuſtodiā & conſolationem*, nec deſerunt, donec per ſcalam quam calcant, inferant ad vſque ſolium Dei qui innixus ſcalæ viuit in ſecula. Amen.

IN FESTO SS. ROSARII Beatiſſimæ Virginis.

De cęlo dimicatum eſt contra eos. *Iud. 5. cap.*

CONCIO.

Victoria B. Virginis de Turcis.

LIBERATVRVS Deus populum ſuum a Iabino Chanaamo, ne vir quippiā ſibi Victoriā vſurparet, fęminā ſubmiſit, quæ Siſaram triumpharet. Dixerat hęc Diuino ſpiritu mota Debbora Duci Baraco, vt ſcriberet militem, educeret, cominus pugnaret. Iſte conſcius virium quarum impotens a ſe, ad Debboram: *ſi venis mecum, inquit, vadam: ſi nolueris venire mecum, non pergam. Quæ dixit ad eum; Ibo quidem tecum, ſed in hac vice victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Animatus hoc oraculo, legit militem Barachus, decem millia pugnatorum, & habens in comitatu ſuo Debboram, eduxit illos contra Iabinum, ſatis ab armis & curribus falcatis, & exercitibus inſtructis munitum. Deterruit hunc Dominus, inque tentorium Iaelis fæminę coniecit, quæ lacte potum, ſumpto clauo in temporibus percuſſit, victoriam cōcedens Baracho de Allophylorum colluuie. Solet Deus in ſuis caſtris, ſępe per mulieres vincere, quia non corporis robore, ſed Numinis virtute pugnatur. Vicit per Iaelem & Debboram tunc Allophylos: vicit etiam non ita pridem Turcas per Diuam Virginem, orationibus Sodalitatis SS. Roſarij, & inprimis noui Barach Pontificis Pij V. ſupplicationibus fatigatam. Quomodo id contigerit, renunciabo.

Victoria parta de Turcis e ratione, SS. Roſarij ſimilis victoriæ quā tulit Debbora

Nihil peccauero, ſi factum & victoriam Baracho partam, Victoriæ hodiernę comparauero. Ita enim aſſimiles ſunt in inuicem, vt prior vel typus, vel exemplum poſterioris fuerit. Origenis Commentarium ex parte recenſebo, & ex eo, hanc ad illam componere curabo.

In tempore illo, erat Debbora mulier Prophetiſſa vxor Laphidoth, & ipſa iudicabat Iſrael illo tempore (vt refert hiſtoria Iudicum) *& ſedebat ſub palma inter medium Rama & inter medium Bethel, in mōte Effraim, & aſcendebant ad eam filij Iſrael vt iudicarentur.* *hom. 5. in lib. Iudic.*

Plurimi

1. *Præſcientia de victoria.*

Plurimi Iudices viri in Iſrael fuiſſe referuntur, tamen de nullo illorum dicitur, quod Propheta fuerit, niſi de *Debbora* muliere. quę interpretatur *apis*, ſiue *loquela*. Significat Prophetiam, quæ ſuaues cęleſtis doctrinę fauos, & dulcia Diuini eloquij mella componit, & continet. Vnde & Dauid canebat. Iudicia Domini vera, iuſtificata in ſemetipſum. deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum, & dulciora ſuper mel & fauū. & iterum. Quam dulcia faucib. meis eloquia tua, ſuper mel & fauum. Hęc *ſub palma reſidet*, ſcilicet in iuſto qui vt *palma florebit*, vel *qui exaltatur ſicut palma in Cades*, vt ſuis inſtitutionib. eruditos perducat ad palmam ſupernæ vocationis Dei. *Rama* interpretatur excelſa, *Bethel* vero, *domus Dei*. Reſidet hęc Diuina Vates, non in vili, aut deiecto aliquo loco, ſed vt Salomon vidit, vel in portis Ciuitatum adſiſtit, vel in murorum mænibus habitat, vel in altis turribus libere agit. ſcilicet, non in antris hęreticorum, non in delubris Mahumetanorum, neque in ſpeleis Barbarorum, ſed in excelſa aliqua mente Eccleſię, quę ſe mediam opponit, inter domū Dei & excelſum in quo reſidet Deus. vel dicēs quod Moyſes, *Aut me dele; aut his dimitte.* vel pręadicens quod aliquis ſubſequentium; Aut redite pręuaricatores ad cor, aut iugulum gladio hoſtili exporrigite.

Prophetię ſpiritu nunquam deſtituta fuit Eccleſia Catholica; quia perpetem habet ſecum Paracletum Spiritum, a quo inſpirantur Vates. Perpetem habet ſecū & Magiſtrum veritatis Ieſum, qui nullum facit verbum, quod prius nō reuelet per ſeruos ſuos Prophetas. Si per aliquos alios, magis certe per Summos Antiſtites Eccleſię, clarioris Cortinę obſeruatores. Poſt veteres illos Sanctiſſimos Pontifices, Gregorios, Leones, & alios innumeros, qui Spiritu Prophetię illuſtres fuerunt, habuit Eccleſia noſtro ſeculo Pium Quintum Pontificem Vere Maximum. qui mente mota a Diuina reuelatione, huius victorię quam recolimus, de Turco relatę, autor fuit.

Sed ad Barachum redeo Ducem militiæ. *Barach* interpretatur *coruſcatio*. Coruſcatio habet lucem, ſed non permanentem. Ad modicum enim temporis reſplendet, & deſinit. Dignum æuo diuturno deſigno Pontificem Pium Quintū, qui propter doctrinæ, prudentiæ, dexteritatis, & imprimis Sanctimoniæ præclara ornamenta, æternare potuerat & debuerat in Eccleſia; non tamen perennauit, fatali ordine, vix ad quinque annos Pontificatum eius prorogante. ita vt coruſcantis inſtar luminis fuerit, vix apparens, mox diſparens ab oculis Eccleſiæ.

2. *Pius V. Pont. Max.*

3. *Confœderatio Principum.*

Debbora dixerat ad ſuum Barachum legalem. Pręcepit tibi Dominus Deus Iſrael. *Aſcende in montem Thabor, & accipe decem millia virorum: ego autem adducam ad te in loco torrentis Ciſon Siſaram Principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.*

Mens quoq; Diuinorum conſiliorum conſcia, præmonuerat nouum iubar ſeculi, Barachum noſtrum Pium Quintum. Iam ſatis dormitum eſt a Chriſtianis, vel ocio & luxu diffluentibus, vel internecino diſcidio inter ſe tumultuantibus; vel quod magis acerbum errore mortifero adinuicem diſſidentibus. ipp hunc veternum gemit Aſia ſub iugo Tyranni. propter eundem vix ſpirat Hungaria, Macedonia & Illiricus ſub tributo Maumetis. Helluo regnorum, his non exſatiatus

Digitized by Google

quæ rapuit, Paradiſum Europæum, in quo Domicilium meum in animo verſat. Quin tu Pie Quinte, pio zelo incenſus exurgis, & *Zabulonem* ſcilicet *Habitaculũ* illud tuorum Antenatorum, Alexandri videlicet III. vna cum *Nephtalino*, ſeu *æquiparante* ſe viribus & potentiis ſummis terræ Monarchis, ſcilicet, illam Ampliſſimam Rempub. cum Catholico Philippo Hiſpano iungis, deque iſtis inuictis pro Eccleſia miſeris exercitũ ſcribis. Faciet Deus partes ſuas, ſæuum hunc Tyrannum adducet in torrentẽ Lepanthinum, ventum de theſauris emittet, & incredibili ratione te Victorem Victorum dicet.

Veneti typo Zabulonis, Hiſpani ſymbolo Nephtalim ſignificati.

4. *Supplicationes publicæ.* Baracchus ſine Debbora, noluit in aciem ire. *Si inquit, mecum venis, vadam: ſi volueris mecum venire non pergam?* Pius Quintus itidem, ſine Diuino numine. Sciebat namque, exercitum quidem poſſe præparari ab homine, cæterum victoriam donari a Domino. cui non eſt difficile in paucis ſaluare, innumeros autem vel ipſo ſonitu folij, vel ſibilo tenui, aut in fugam præcipites dare, aut ſub iugum mittere proſtratos. Quamobrem ſupplicationibus publicis præſertim vero per Sodalitatem Diuæ Deiparentis Sanctiſſimi Roſarij inſtitutis ait. Sperent hi feroces in curribus & hi in equis; confidant in liburnicis, triremibus, onerarijs, Prætorijs; nos autem in nomine Dei noſtri inuocabimus. Domina ſi tu nobiſcum venis, quis contra nos? Vadam, ſi tu venis. & ſi conſiſtant aduerſum me caſtra, non timebit cor meum & ſi exurgat aduerſum Eccleſiam prælium, in te Diua ego ſperabo, cui tutelam eiuſdem ſcio commiſſam.

5. *Reuelatio Victoriæ.* Recte inquit Deus (vt olim Debbora ad Barachum) *Ibo quidem tecum; ſed in hac vice Victoria non reputabitur tibi, quia in manu mulieris tradetur Siſara.* Quaſi diceret. Poſtquam me ſolum & vnicum, qui debellare bella ſum doctus imploraſti, perge ſecurus in nomine meo, ego enim adiutor tuus fortis. & quia preces tuas per eam quæ mihi intima eſt, per meam, Sponſam, & Reginam orbis Mariam detuliſti, ei Victoria quam de Turca immani referat, reputabitur non tibi, licet & tibi.

Sed audiamus quomodo interpretatur *Iael.* Aſcenſionem ſignificat, & repreſentat nobis Sanctiſſimam Virginem Deiparentem, quæ aſcendebat aliquando ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij: aliquando vero ſicut aurora, pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata, decora atq; munita tanquam Ieruſalem, eleuata ſicut turris Dauid quæ ædificata eſt cum propugnaculis, mille clypei pẽdent ex ea, omnis armatura fortiũ. Quid videres in hac Sulamite, ſic virtutibus & orationibus ornata, niſi choros caſtrorũ, quę non tantum emiſſarij Sathanę, verũ & ipſe Serpẽs antiquus expaueſceret? & contra quæ ne ipſæ quidem portæ infernales præualerent? Neque nouum, neque inſolens huic bellatrici, manum cum hoſte atrociſſimo conſerere. Docta erat iam in paradyſo verſi, pellem calcare, ſepticipitemque hydram, quoties attuliſſet caput, conterere. 6. *Victoria de Turco.*

Balaam prædixerat poſt ortum ſtellæ Iacobææ, Aſſyrios proſternendos. Nam *aſſumpta parabola, iterum locutus eſt. Heu quis victurus eſt, quando iſta faciet Deus? Venient, inquit, in trieribus de Italia, ſuperabunt Aſſirios.* Nę forte hodiernam victoriam prænunciauit, qua nauali claſſe exigua, Turcam Thriumpharunt *Num. 24.*

Digitized by Google

runt Chriſtiani. non tam viribus, quibus tanto hoſti impares fuerant, quam, ope & patrocinio Sacroſanctæ Deiparæ. quæ lacte ſuperbiæ innutritum Turcam, in torrente Achaici maris, quaſi clauo percuſſit. dum pro nihilo victoriam, paucis Chriſtianis, de innumerabilibus Barbaris, ſemiarmatis de omni commeatu & armis inſtructo hoſte, vento reſtante in Turcas, non gladio ſæuiente conceſſit. ita vt poſſimus, lino & grati animi ergo debeamus accinere, quod Debbora cecinit canticum. *Noua bella elegit Dominus, & nanes hoſtium ipſe ſubuertit: clypeus & haſta, ſi apparuerint in millibus Iſrael. Venerunt* Principes Gentium *& pugnauerunt, & tamen nihil tulere prædantes. De cælo dimicatum eſt contra eos: ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus* Barbaros *pugnauerunt. Torrens* Achaicus *traxit cadauera eorum, torrens* Lepantinus, *torrens* Ionius. *Conculca anima mea robuſtos fugientibus impetu, & per præceps ruentibus fortiſſimis hoſtium. Benedicta inter mulieres* noua *Iabel*, aſcenſio Maria Mater Dei, *& benedicatur in tabernaculo ſuo. Percuſſit* Barbarum *quærens in capite vulneri locũ, et tempus valide perforans. Inter pedes eius ruit* (Luna ſub pedibus SS. Virginis id ſignificat. nam illa eſt inſigne Turcarum) *defecit & mortuus eſt. Sic pereant omnes inimici tui Domine: qui autem diligunt te, ſicut Sol in ortu ſuo ſplendet ita rutilent.* Ita quidem Pius Quintus victoriam reportauit, Diua Virgine intercedente, quæ nouit ſuos defendere. Neque id ſolum publice facit. facit & priuatim in ſingulos, ſi quis eius opem poſtularit. Recito exemplum.

Lipſ. in D. Hallen. c. 9. & 1443. Comes fani S. Pauli in Gallia, ibat ad Delphinum (Regis Galliarum primogenitum ita appellant) qui Compendij agebat. Præmiſerat ante ſe famulos, vt parata omnia in diuerſorio reperiret. At illi leuiter progreſſi, hoſtium aliquam manum vident (ad 70. erant) qui in ſubiectis pratis pecudes rapiebant, agebantque, & ſi quid aliud in agris eſſet. Remeant igitur trepidi Domino nunciaturi, & *Hoſtes*, &, *Ad arma* clamant. Comes vir magni animi erat, nec talium expers: inuocat ſuos, *arma & equos expedirent, ſequerentur, ſi quis fidem & ſe amaret.* *miraculũ a cultu D. Deiparæ.* Simul ipſe in equum, abit, aſſequitur: & vna cum ipſo fidus famulorum Ioannes Gertrudanus nomine, qui ſemiermis vt feſtinatio erat, cõmitabatur. Idem aliquot alij, ſinguli aut bini aduenientes: qui omnes tamen iuncti, vix octoginta, nec ab armis inſtructi ſatis erant. At hoſtes qui in ſubſidio fuerant, iam conſpicui, & primis illis iuncti, facile ad 1500. accedebant. Ioannes quem dixi, aduertit, & Dominum iræ properum & animi nimium, *abire & ſibi conſulere* hortatur: *nos interim*, inquit, *vilior magnus propugnabimus & tutum tibi receptum reddemus*. Non mouetur Dominus, pugnat: ſed ante eum Ioannes, qui ſtatim duplici ſagitta baliſtaria brachium traijcitur: & herum cum reſpicit iterum moniturus, tertia collum ei tranſit. Tum denique, *Domine*, inquit, (ò amor, ò fides) *conſule vitæ tuæ: nam de mea quidem eſt actum*. Et cum dicto, ex equo delabitur: Comes atque alij in vicinum opidulum fuga delati ſeruantur. Sed Comitem mæror tetigit amiſſo, vt putabat, tam fido miniſterio: ſed quem Dei & Diuæ benignitas incolumem, præter opinionem, & pene fidem reddidit. Nam dum ibi iacet inter viros equoſque, Diua Virgo Hallenſis ei in mente atque in ore

eſt,

eſt: & quę tam multis cottidie auxilium eſſet, vt ſibi in hoc diſcrimine, precatur. Auditus eſt, & ſimul manibus genibuſque nixus, prorepſit in viam proximam, ac viribus defectus ibi hęſit. Nondum finis. mala accummulantur, vt remedia creſcant; & diſcrimina iterantur, vt ſalutaris illa vis magis inclareſcat. Tres ex hoſtibus ſeorſim aduenîūt, ſcrutaturi omnia, & prędam, vt fit, quærentes. miſerum hunc vident, accedunt, pecuniam, anulos, veſtem tollunt: ſublatiſque, gladio exſerto vnus caput illi findit. Ne ſic quidem moritur, ſed Mariam identidem ingeminat, & in eius ac Diuę Barbarę honorem, vt ſas ſibi ſit peccata apud Sacerdotem expiandi, precatur. Tangit etiam duros animos, Diua faciente, pietas. permittunt. imò & operam promittunt: atque ecce ruſticanum Sacerdotem per viam forte euntem vident, aduocanr, & homini admouent. Expectant vt finiat, & tum illi quoque dent ſuum finem. nam occidere nihilo ſecius hominem deſtinatum erat. Sacerdote igitur etiam adſtante, vnus eorum mucronem gladij, vt cenſebat, in guttur eius defigit: Diua auertit, & ſubuculam eius modo ſcindit. Sacerdos interea deprærcari, & mitigare: exorat tandem, & recedunt. atque ipſe ſic ſaucium in proximum, quoddam horreum partim ducit, partim trahit, & vulnera eius, vt copia erat, obligat. At ecce noua hoſtium manus, inter quos Duces ipſi & honeſtiores militum erant. eorum metu Sacerdos fugere, Ioannes conſpectis ijs veniam vitamque petere: & facile impetrat ab animis nobilioribus, & quos honor & humanitas non prorſus reliquiſſent. Sed enim diſceſſu iſtorum, tres illi ſicarij, immani ſęuitia, iterum redeunt: & cum viuere vident, gladiū vnus ſtrictum viribus in caput librat; ſed Diua, quam inclamabat, ictum moderante, humerum modo attigit, & leuiter etiam ſtrinxit. Cōſilium deinde capiunt in flumen cadauer (pro tali habebant) abijciendi. quod faciunt, & ſanguine manantem ferociter eo trahunt. quo tempore viſa illi palam adſtare Diua Virgo, quę ſolatium & iuuamen benigne promitteret: conſilium etiam daret, vt mortuum ſe gereret, & ſimularet. Paret. illi autem de ripa in flumen deuoluunt: atque vnus etiam haſta petit, vt ſi quid forte reliqui ſpiritus aut vitæ eſſet, educeret. Sed Diua & hunc ictum irritum facit, & clientem ſuum in inſulam modicam peruehit, limoſam, & leuiter flumine extantem. Ibi confectus nouem plagis grandioribus, aquis refrigeratus, ad horas fere tres iacet, erigere aut mouere ſe impotens: cum Sacerdos, apud quem culpas ſuas faſſus erat miſeratione impulſus redit, & eum quærit, & ſanguinis veſtigia ſecutus ad flumen denique venit. Ibi non reperto, percellitur, & mortuum omnino cenſet: cum ecce oculos longius & intentius permittens, videre in limo illo inſulæ viſus effigiem hominis. Neque certus tamē, homo an ludibrium Genij eſſet, cruce ſe ſignat, & alte inclamat, *Adiuro te, ſi homo et Chriſtianus es ſignum aut vocem ede.* Ioannes audit, & manum attollit. Sacerdos audacter in aquam inſilit, & collotenus madidatus ad eum peruadit. Erigit, & in ſiccum, quantum poteſt perducit: curſu inde in opidulum propinquum fertur, vehiculum & homines adducit miſero huic ſubleuando. Qui inibi curatus, poſt paucas etiam ſeptimanas Hallas venit, Diuæ præco, & omnibus narrabat quæ vix ipſe, niſi ſibi, crediſſet; niſi virgo protexiſſet. Tam eſt potens namque

Sacro-

Sacroſancta Mater, vt quem ſuo vmbone operuerit hunc ne ipſa quidem mors iaculo ſuo potiſſit confodere. Faxo etiam & nos Diua Diuarum inumbrare, atque ab hoſtibus animæ defendere.

Maria Mater gratiæ
Mater miſericordiæ.
Tu nos ab hoſte protege.
Et hora mortis ſuſcipe. Amen.

IN FESTO S. FRANCISCI.

Ego autem Stigmata Domini Ieſu in corpore meo porto. Galath. 6. c.

CONCIO,

Quæ Stigmata Ieſu, in corpore S. FRANCISCI.

SERAPIDIS idolum, in magna olim apud Aegyptios veneratione fuit. An forte propter Crucis figuram, quæ eius pectori inſculpta eminebat? Ita enim Antiquariorum non contemnendus Petrus Hiſpalenſis affirmat, in ſuis variæ lectionis libris. Eſto ſane propter crucem extrinſecus expreſſam. Magis tamen in cultu & adoratione eſt apud Eccleſiam S. Franciſcus, qui & extimè, & intimè, non tantum crucem, ſed & ſtigmata Domini Ieſu, in ſuo corpore portauit. At quæ? Id vnicum inueſtigo & pronuncio.

lib. 1. c. 3. de varia lectione.

Crucis figura apud Aegyptios.

Aegyptijs conſuetudo erat, variarum imaginum ſculptura & pictura, varias res ſymbolicè inſinuare ex proprietate typi ſignificantis, ad rem ſignificatam. Si Aquilam pingebant ſideribus illatam: in cõtemplatione eleuatum indicabant. Si ſuem fingebant in volutabro luti: ſordida voluptate illutatum oſtendebant. Si anguem, caudam ſuam glutientem torquebant: annum ad ſuum finem retortum, vel regem extrema regni cogitantem demonſtrabant, hieroglyphica nota. Porro quod Serapim ſuum, ſigno Crucis in pectore ſignarint, rationem eius ſignaturæ non explicat Hiſpalenſis, propter quam iſta nota Deũ ſuum adnotarint. Mihi, ſi conijcere licet, videtur, quia volebant imitationem Diuinitatis inſinuaſſe, a qua nonnemo ſpecioſus & illuſtris.

à qua omnis perfectio.

Multa apud eos dogmata veritatis orthodoxæ certum eſt remanſiſſe, a doctrina Hebræorum, quorum innumera multitudo, non ſemel apud eos duram ſeruiuit ſeruitutẽ. Porro & hoc Crucis myſterium, crcdo habuerint, ſi a quo alio, certè a Ioſepho Patriarcha, qui vt Paulus meminit in epiſtola ad Hebræos, *adorauit faſtigium virgæ* Iacobi parentis. Quid obeſt, ſi dicamus quod illa in figura Crucis faſtigiata fuit? Nam nihil eſt abſurdi aſſerere illam virgam, faſtigium habuiſſe Crucis. cum iam Crucis myſterium opus erat credere & confiteri; prout confeſſus eſt idem Iacobus, cum cancellatis manibus in formam Crucis, benedixit Ephraimo & Manaſſe ſuis ex Ioſepho nepotibus; & prout poſtmodum confeſſus eſt Moyſes, qui in eundem modum cancellatis manibus, pugnabat contra Amalechitas. Itaque cum Ioſeph faſtigiũ virgæ Iacobi adoraſſet, nequicquam repugnat aſſerere, Crucis figuram expreſſam habuiſſe, propter quam adoratione dignum erat illud lignũ. Vnde cum in Serapidis ſimulachro, Ioſephum effigiarent, vt auctore Euſebio effigiabant, modio frumentario coopertum, nihil mirum, ſi Crucis figuram pectori eius imprimerent, cuius ille latra. Præſertim, ſi quid, vel per tranſennam intellexiſſent,

ea a Ioſepho adorata.

expl. loc. Hebr. 11.

Eccleſiaſticus, quendam virum contemplatiuum deſcribens aiebat. *Quaſi arcus refulgens inter nebulas gloriæ, & quaſi flos roſarum in diebus vernis, & quaſi lilia, quæ ſunt in tranſitu aquæ.* Nempe, vt ſicut craſſi vapores eleuati in altum, inque nubem arcuatam coacti, cum Solari fulgori obijciuntur, multicolori radio pinguntur a Sole cui obiecti. & ſicut roſarum flos, ad exortum eiuſdem verni Solis ex vaginula emergens, ruborem & candorem habet a Sole cui pateſcit. & quemadmodum lilia, ab aquis præterlabentibus candorem mutuantur, & aurum in ſex ſtamina diuidũt; ſic homo per contemplationem, ad Solem iuſtitiæ ſublimatus, ab illo Sole non poteſt non illuſtrari, non venuſtari, non immutari, vt ſit ipſe quoque Arcus Cæleſtis, multicoloribus virtutibus effulgens, & roſa nouo purpuriſſo ſpeciei ſublimioris ruſſata, vel liliũ candidum, virens, & fuluens, a fuluore Diuinitatis, a virore æternitatis, a candore puritatis, cui iunctus. Nec tantum inſtar arcus cæleſtis effulget talis anima, ſed in aſtra quoque ipſa transformatur. ita enim audio Cælites, de nonnulli loquentes.

expl. loc. Eccl. 50. arcus roſa lilium.

Quę eſt iſta, quæ progreditur quaſi aurora conſurgens, pulchra vt Luna electa, vt Sol? Aurora eſt lux noua tenebris permixta, quę paulatim elucet, eleuando dilatatur; dilatando clarificatur, clarificando deficit, non vt claritas non ſit, ſed vt aurora non ſit, quia in clarum diem tranſit. Sic mens contemplatiua Diuino lumine irradiata, dum in contemplatione cœleſtium ſuſpenditur, & in admiratione extenditur, quanto ad admirabiliora ducitur, tanto copioſius dilatatur. & vnde ab infimis fit remotior, inde in ſeipſa fit purior, & illuſtrior. Sed in iſta ſubleuatione, dum ſemper ad altiora creſcit, dumque diu creſcendo metas humanæ capacitatis tranſcendit, tota a ſe deficit, & in quendam ſupermundanum affectum eleuata per alienationem, & admirationem in Deum tranſit. Cuius rei exemplum eſt, ſi vas aquæ Solis radijs ſupponatur, emittit aqua ſplendorem luminis; ſi aqua ſit tremula, tremulum; ſi turbida, turbidum: ſi quieta, quietum. Sic anima per cogitationem meditationis feruentis, dum ſe Soli ſuperno Diuinitatis obijcit, radium in ſe luminis participati ſuſcipit, ſuſcipiendoque primum in corpus coniunctum emittit, deinde in oculos admirantium exerit. ita vt non ſemel multi Sanctorum, non ſolum quaſi auroræ, ſed etiam quaſi Lunæ quędam, aut Soles, in aſpectu plurimorum apparuerint ſplendentes.

expl. loc. Cant. 6. §. aurora

Amorem quidam ſatis ſcitè depingebant. Iuuenem forma elegantiſſima, nudum, arcu & gladio ſuccinctum, alatis pedibus, manu vero altera flammam, altera medicatũ vnguen geſtantem. cui a latere vno, alba niue & lumine mulier candicans, ab altero vero alia nigrore & tenebris tetra. Currus cui inſidebat ſublimis, a polypo & Chameleonte iugatis trahebatur. Iuuenem depingebant, vt inſinuarẽt illum qui amoris flammis deflagrans, aptum eſſe ad ſuſcipiendam nouam figuram, quemadmodum juuenis aptus eſt ad aſſequendã ætatem cano capillo albentẽ. Nudum oſtendebant, eidem rei. quia ſicut homo nudus potis eſt hoc & illo veſtimẽto ornari & deornari, vt pote & Getham, & Indum & Barbarum, & cultum Italum induere: ſic & ille potis eſt amiciri & lumine tanquam veſtimento, & ſtrangulato verme, velut cruciario integumento. & quemadmodum nudus

Imago Amoris, elegans.

Digitized by Google

poteſt ceruſſam naturalem obſcurare atro atrore, vel illuſtrare inducto pulchro colore; ſic & amans poteſt animam illinire, ſiue peccati nigrore, ſiue virtutis colore. Flammas & vnguen medicatum geſtabat ille, eadem fini. Nam ſicut ignis in ſe demutat omnia quæ flammis igniuit, ſic & contemplatio ab amoris flammis ſuccenſa, talis qualis ipſa, omnes transformauit. Si nullo furuo tincta; albentes & Clariſſimos illos. Si vero aliqua fuligine nigra: migrantes & obſcuriſſimos eoſdem. Ea propter duæ mulieres huic adſtites; altera albens, altera nigra: vt oſtenderent, alios eſſe qui illuſtres, alios qui obſcuri ab hoc camino.

Iungebant currui amoris polypum & Chameleontem: quorum ea proprietas eſt, vt, a rebus quibus adhæſerunt, colores formę adquirant. Tales & omnes amantes, qui ſi immunda aliqua dilexerunt, facti ſunt ſicut eadem. Si vero in contemplatione, ſe ſupra ſe extulerunt, ad amandũ, amplectendumque Diuinitatis Solem, in Solem quoque & ipſi abierũt. vt in eos dicatur, quod in illum

6. Luna. quendam; *Quaſi Luna plena in diebus ſuis, & quaſi Sol refulgens, ſic*

7. Sol. *iſte effulſit in tẽplo Dei.* Omneſq ue Cælites viſo tali ſplẽdore animæ in Deũ eleuatæ, mirentur aſpicientes; *Quæ eſt iſta q̃ procedit velut aurora conſurgẽs, pulchra vt Luna, electa vt Sol?* Vnde talis anima, rectè ad ſponſum amatum dicit: *Et ad me conuerſio eius.* & illud aliud: *Anima mea liquefacta eſt, vt dilectus locutus eſt.*

Quemadmodum enim igni iniectum aurũ liquefit, ita anima inſerta Soli illi ſplendidiſſimo & flagrãtiſſimo. & quemadmodũ aurum liquefactum, nouo fuluore rutilat; ita & anima in Sole ſuperno liquefacta lumine nouo. & quemadmodum illud liquefactum, nouã acquirit formam ab aurifice fuſum, vel malleo diductum, vel celte exſculptum: ſic & anima diligẽs, liquefacta in amore Diuino, Diuinum characterem & figuram ſubſtantiæ paternę in ſe effigiat, vt ſit & ipſa Solari fulgore, ſuper alios illuſtris: ideo non ineptè, ſponſus orabat ſponſam. *Pone me vt ſignaculum ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum.*

Nam poteſt imprimi Chriſtus in anima, quando aliqua dicit ei, illud quod Dauid dicebat, *Factum eſt cor meum, tanquam cera liqueſcens in medio ventris mei*; vt ſigillum imprimitur, alicui ceræ molli. 8. character Dei Cant. 8. Pſal. 21

Lego Ionam Prophetã ſub hedera recubuum, quando Deus vmbra culũ illi ſiccaſſet, & Solis vehementiores ardores illum adurerent, quia *petijt animæ ſuæ, vt moreretur*: ſic quando radius Diuini luminis attingit verticem intelligentiæ alicuius mentis, affectus æſtuat inflammatus amore Diuinitatis, intellectuſq; illuminatur cognitione veritatis. Sed quia inualeſcente calore, anima non poteſt ſuſtinere illum, pro anguſtia moduli ſui; ideo anhælans & ipſa quoque mortem illius, quod adhuc eſt in ea animale præoptat, inq; Deũ transformari cupit. prout transformatur, iuxta quod ei a Deo promittitur apud Iobum: *Miſeriæ obliuiſceris, & quaſi aquarum quæ præterierunt non recordaberis, & quaſi mundanus fulgor cõſurget tibi ad veſperam; & cum te conſumptum putaueris, orieris vt Lucifer.* Ioan. 4. expl. loc. Iob 11.

Bene dicit, *miſeriæ obliuiſceris*. qa in Diuina contemplatione, qua in ęternitatem mens oculos figit, quaſi nihil eſſe quicquid finem habet, aſſerit. Et quia delectat intra guſtum ſapientiæ, quicquid aduerſitatis exterius tolerat, judicat leue quaſi aquam, cuius non recordamur. quia ei præſentes miſeriæ ſunt quaſi trãſeuntes

ſeuntes

ſcuntes aquæ, quæ exterius tantum maeroris tactum infundēdo tingūt, ſed ſoliditatem mentis interius non ſubuertunt. Sequitur. *quaſi meridianus fulgor, conſurget tibi vſque ad veſperam*; quia cum deferbuit peccandi feruor, tunc oritur contemplationis fulgor.& quia mens quanto magis illuminatur, magis ſe cognoſcens ab illo lumine,humiliatur, ideò à ſua puritate reſiliens exinanitur,& exinanita Diuino ſplendore magis adimpletur, & adimpleta magis ad Diuinam ſimilitudinem lucis configuratur; ita vt velut meridianus fulgor reſplendeat, vel tanquam Lucifer ſcintillans exoriatur, prælibans æternæ claritatis irradiationem, vt Lucifer prælibat diei ſplendorem.

Quiſquis itaq; confixus eſt Chriſto in cruce pendenti,per jugem cōtemplationem,nihil mirum ſi & ipſe ſtigmata Domini Ieſu portet in corpore,& in pectore ſuo. Portabat S.Frāciſcus in animo, per virtutum imitationem, in corpore,per viſibilem vulnerum Chriſti,a mira deuotione impreſſionem. Placuit noſtro Ieſu, nouo Ionathæ, veſtimentum corporis ſui clauis in Cruce confixum,& lancea confoſſum,in corpore noui Dauidis S. Franciſci effigiare,& quaſi induere. Placuit nouum Seraphinum,in altum per virtutum ſublimitatem eleuatum,nouo lumine irradiare, nouoque charactere characterizare.Coram illis adſtitibus Seraphinis, viſis ab Iſaia Propheta, viſus eſt faciem & pedes obſcurare, dum illi faciem & pedes alis diſtentis obumbrarent, nec vel aſpicere,aut ſe ei configurare auderent. Sciebant namque Ordinis ſui Principem, cumprimum in corde dixiſſet; *Aſcendam in cælum,& ſimilis ero Altiſſimo*, deiectum ex alto,non ſolum quam ambiebat ſimilitudinem non acquiſiuiſſe, verum etiam illa gratiæ infuſa ornamenta amiſiſſe, & alia naturæ emblemmata vel imminuiſſe,vel ſaltem obſcuraſſe. ideoque ab ambitu ſimilitudinis Diuinæ omnino puri, quam concupiſcere non licitum erat, hanc alis extenſis velabant. Sanctus autem Franciſcus, humilitate nixus quam audet in contemplatione ſimilitudinem Dei paſſi aſpicere, audet,& ambire. Quamobrem ille, qui voluntatem timentium ſe facit, qui deprecationem eorum exaudit, qui optat vt omnis ponat illum ſicut ſignaculum ſuper cor ſuum,& ſicut emblemma ſuper brachium ſuum, reuelato capite ſpinis confixo, & toto corpore flagris exarato, manibusque ac pedibus & latere quinque plagis apertis, ſe illi conformauit,& ſimilitudinem ſuam longe venuſtiſſimam, illi ſuperinduxit.

Notāda eſt reſuſcitatio illius pueri ab Elizæo Propheta. Iacebat decubuus in lecto, iam a ſpiritu vitali relictus. Huic reſuſcitando, miſit Elizæus famulum Giezi,vt baculum quo nitebatur ſuperponeret puero exanimi. fors vt ab illo vitam acciperet. Venit Giezi, baculum ſuperpoſuit, puer mortuus non ſurrexit. Neceſſe erat ipſum Prophetam accedere ad defunctum. qui mox vt cęnaculum ingreſſus eſt, expandens ſe ſuper vita functum,oculos oculis, os ori,manus manibus appoſuit,vſquequo incalefactum eſſet corpuſculum exangue.quo a calore extrario aliquantiſper incaleſcente, puer redanimatus reuixit, ſeptieſq; oſcitauit. Non abſimili ratione egit Deus,cum Franciſco. Is enim cum adhuc in domo paterna,quaſi in lecto aliquo,a concupiſcentia,& licentiæ vitæ occubuus iaceret, & tabo deliquiorum juuentutis defflueret, ad meliorem vitam ſe ſuſcitandi,

præbuit occaſionem Ieſu Prophetæ Prophetarum. Qui in red animando ipſo, primum baculum miſit. ſcilicet illam diram patris auaritiam, quæ eum lare hæreditario eijciebat, & ab opimarum facultatum ſucceſſione excludebat. jllos jntolerandos inſultus, quibus eum olim complices exſibilabát, & a mente motorum ho minum nomenclaturá appellabant. jllam nuditatem, paupertatem, contemptum, abiectionem, irriſiones, ſannas, quibus in horas diſcruciabatur. Cumque non infeliciter, hoc ligno afflictorio illum exercuiſſet, voluit Diuiniore ſpiritu animare, & nobiliore figura inarare. jpſe itaq; ei in forma Cherubica apparens, cū optime intima animi illius perſpexiſſet, tot vulnera eidem impreſſit, quot a clauis & dira lancea infixa, ipſe in Cruce geſſit. A qua configuratione, viſus eſt Ieſu ſpeciem induiſſe, inq; eius figura mundo poſtmodum apparuiſſe.

Achiorem vnum ex principibus Iſraelis, Holofernes iuſſerat ad arborem præaltam, manibus & pedibus alligari, non tamen vulnerari. Chriſtus autem Diuum Franciſcum Cruci ſuæ adaptans, vulnerari paſſus eſt. ſed vulnere ſuaui, quod ipſum non deuenuſtaret, neque conficeret, ſed in ſimilitudinem Ieſu perficeret, & pulchritudine, in quam Angeli quoque ipſi deſiderant proſpicere, venuſtaret.

Abſalon quod arbori inhæſiſſet, viſus a militibus Iacobi, tribus lanceis in corde confoſſus interijt. jngnitus & afflictus. Sanctus autē Franciſcus, quia vulnere ſauciatus a lancea & ſagitta amoris igniti, gaudebat & exſiliebat ad vitam, a tam dulci conuulneratione. quæ illi ambienti, cupientique contigit, ab ardentiſſima dilectione.

Thamaram in biuio ſedentem, Iudas Patriarcha ſubarrauit ſibi, baculo, annulo & armilla ei relicta. Chriſtus vero S. Franciſcum ſigno ſanctæ Crucis, orbicularis annulis quinque vulnerum ſuorum, & armilla ſuperni luminis, quo multoties effulgens apparuit.

Serapidem Gentiles venerabantur, quod figura Crucis in pectore ſculpta inſignitus eſſet. magis tamen a nóbis venerandus eſt S. Franciſcus, qui ſtigmata Ieſu in ſuo corpore portauit, & ſecum illa Cœlo intulit. quibus velut ſtellis fulgentiſſimis irradians, ſupernam Hieruſalem ornat & illuſtrat in ſecula. Amen.

IN FESTO SS. SIMONIS & Iudæ Apoſtolorum.

Hæc mando vobis vt diligatis inuicem. *Ioan.* 15.

CONCIO.

Dilectio proximorum.

NIHIL mirum, ſi non multum Iacobo dilecti fuerunt Simeon & Leui; vt etiam optarit illud ſolenne votū, quod eſt in Geneſi. *In cōſilium eorum non intret anima mea, & in cætu eorum non ſit gloria mea.* Cauſſa in promptu; quia nulla in eis dilectio ad proximum. *Simeon,* inquit, *& Leui fratres, vaſa iniquitatis bellantia; in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Non tales hi duo, quorum ſolennitatem celebramus, Simon & Leui, ſeu Iuda. Memores præcepti Saluatoris, de amebææ dilectiones muro adamantino, quem ſtruxit, & ſanguine ſuo coagmentauit, ita, & inter ſe mutuo amore, & erga proximos quorum

Simeon et Leui qua les. *Gen.* 49.

rum ſalutem curabant dilectione arſerunt, vt etiam ſanguine profuſo eandem teſtati fuerint. ideoque magnopere beneplacitũ eſt Deo in illis, quod eius voluntati feciſſent ſatis, qua iubet hodie, *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem.* De iſta proximorum dilectione, nobis hodiernus ſermo.

Deus Architectus *Amos. 7.*

Quadam dierum Amos Prophetæ, apparuit Deus, parietem quendam magnum & excelſum ędificãs. *Hæc*, inquit, *oſtendit mihi Dominus: & ecce Dominus ſtans ſuper murum litum, & in manu eius trulla camentarij. Et dixit Dominus ad me. Quid tu vides Amos? Et dixi: Trullam cæmentarij. Et dixit Dominus. Ecce ego ponam trullam in medio populi mei Iſrael: non adijciam vltra ſuperinducere eum*

Trullam ponit in medio Eccleſiæ ſcilicet. præcept. de dilectione proxim.

Spiritualem architectonicam exercebat Deus, & myſticam trullam ponere viſus eſt in medio Eccleſiæ. ſcilicet *dilectionis proximorum.* Sciebat quantum intereſſet Eccleſiæ, in mutua dilectione diſcipulorũ: propter quam terribiles & inuicti futuri eſſent, non mundo tantum, ſed & Principatibus & Poteſtatibus tenebrarum harum. Quamobrem vt architectus, lapides iſtos ſpirituales bitumine charitatis perlitos, adinuicem committebat, in vnitatem conggregationis; ſub vnitate vnius capitis & magiſtri, vnius doctrinæ & poteſtatis, vnius ſpiritus & fidei confeſſionis, vnius ſpei & communicationis bonorum, vnius in ſumma ſenſus & conſenſus animorum per dilectionem, quæ facit vtraque vnum.

Nec ipſe tantum per ſe, parietem iſtum compaginabat, inſuper & trullam cementarij, ſcilicet præceptum de hac compaginationis mutua charitate, poſuit in medio populi ſui, dicens. *Hæc mando vobis, vt diligatis inuicem, quemadmodum ego dilexi vos.*

In duobus niſi fallor conſiſtit hęc dilectio proximorum: nempe in ſufferentia, & beneficentia.

1. effectꝰ dilectionis Concordia.

Sufferentiam docet Paullus: *Ne quis contra alterum inſletur, ſed, Alter alterius onera portare curet.* ita vt ſuperiores non contemnat: inferiores, vero non recalcitrent præceptis maiorum, pares autem ad inuicem parilem ſibi beneuolentiam exhibeant. Pulchre *Nazianzenus.* Ordo in Eccleſia ſtatuit, vt alij ſint oues, alij vero paſtores, ita vt hi imperent, illi vero obediant: ſitque homo tanquam caput, illud pedes, illud manus, hoc oculi, illud vero aliud corporis membrum, quo omnia recte inter ſe conueniant, commodumque tã ad pręfectos, quam ad ſubditos redundet. quemadmodum in corporibus membra nequaquam a ſe diſſident, ſed cuncta corpus vnum ex diuerſis ſunt compoſita, nec idem eſt omnium officium ac vſus, ad mutuam neceſſitatis beneuolentiam: neque oculus graditur, ſed ducit; quemadmodum nec pes cernit ſed vadit; nec lingua excipit voces, id enim ad auditũ pertinet; ſicut nec auditus loquitur, nã linguæ id eſt officium: naſus vero odoris eſt inſtrumentum: at guttur cibum guſtat; manus autem dandi & accipiendi eſt inſtrumentũ, mens vero cunctis Dux eſt omnibus, penes quam & ſentire, ac in quam ſenſus eſt. Ita & apud nos qui commune Chriſti corpus ſumus: omnes enim corpus vnum in Chriſto, ac per vnum Chriſtum inter nos membra ſumus. hoc enim imperat ac præſidet, iſtud vero obedit ac dirigitur; nec amborum idem eſt officium. quemadmodum nequaquã eorundẽ eſt imperare & iubeſſe ſed ambo cũ vnũ ſiunt in vnum Chriſtum, ab eodem

in orat. de modeſtia in diſput.

eodem compoſita & conglutinata ſpiritu, licet imperantes a ſubditis, rurſus tanquam medium, & doctrina, & exercitatione, & ætate diſtent.

Et quemadmodum in corpore humano, membra quæ ignobiliora cenſentur, in magno ſunt honore; namque teguntur & abſconduntur, ne verecundia eorum palam fiat aſpectibus: quæ vero ſunt infirmiora, puta vel depetigine, vel papulis, aut aliquo carcinomate affecta, in maxima ſunt cura: namque medici & chirurgi a nobis vocantur, ne per incuriam vel ignauiam ſint moleſta geſtantibus: ita par eſt facere in myſtico Chriſti corpore. tam ignobiliores, quam infirmitatibus multis circundatos, ſufferre, & ſalutem eorum modis omnibus promouere. Donantes, vt monet Paulus, vobis inuicem, ſi quis aduerſus aliquem habet querelam, ſicut & Chriſtus nobis donauit.

In fidibus ac tibijs, atque cantu ipſo, concentus ex diſſimillimarum vocum moderatione concors, iucundus eſt auditui; immutatus autem & diſcrepans omnino intolerandus: ſic in Eccleſia ex ſummis, medijs, & infimis interiectis ordinibus, moderata ratione diſſimillimorum concordia, quæ ex obedientia, & ſuſtinentia, maxime eſt oblectamento Pacis conditori & Principi Ieſu. vt pote quia illa eſt cauſa totius felicitatis, & arctiſſimum atque optimum vinculum incolumitatis.

Cōcordia mater felicitatis.

Concordiā ſeu dilectionem dixi eſſe cauſſam totius felicitatis. Nam in medio illorum conſiſtit Ieſus, qui inter ſe conſentiunt. vbi vero fons oritur beatitudinis Ieſus, quid aliud expectet homo, quā corriuationem eiuſdem benignitatis? Iſtam eandem mutuam dilectionem, aſſerui eſſe vinculum incolumitatis. Antiſthenes Fratrum inter ſe concordiā, dicebat, *quouis muro firmius munimentum*. Ageſilaus a quodam percontatus, quam ob cauſam Sparta mœnibus non cingeretur? oſtendit Ciues armatos & vnanimes: *Hi*, inquiens, *ſunt Spartæ Ciuitatis mœnia*: ſignificās, Reſpub. nullo munimento tutiores eſſe, quā virtute Ciuium conſentientium.

Antiſthenis Ageſilai & Tyreſij dicta de cōcordia.

Scipio Africanus quum Numantinos ſæpe victores iam fregiſſet, obſeſſoſque tandem, expugnaſſet, Tyreſium Principem Celticum rogauit, *qua de cauſa Numantia, aut prius inuicta, aut poſt euerſa fuiſſet?* reſpondit Tyreſius; *Concordia victoriam, diſcordia exitium præbuit*.

Apologus boum de cōcordia.

Scitus eſt apologus de bobus. Paſcebantur vna tres opimi boues in maxima cōcordia; itaque facile ab omni incurſione ferarum tuti erant, ac ne leones quidem illos aggredi audebant. Tandem diſſidio inter illos nato & ſoluta amicitia, ſinguli validioribus beſtijs direptioni & prædæ fuere. Tantum namque ineſt mali in diſſenſione, quantum boni in conſenſu reperitur. Aegyptij inter notas hieroglyphicas, concordiam ſignabāt, innumera multitudine Serpentum, in ſpiram conglobata.

hierogl. Concordiæ. Glob. ſerpentum.

Aegyptus ferax illorum eſt vel maxime. & ne ab eis infæſtetur, Ibidū magnam copiam nutrit, quæ oberrantes deglutiunt ſingulos ſerpentes: in orbem autem ſeu globū implexos, ne aggredi quidem audent. quum in tanto numero reperiantur qui iaculi inſtar eijciantur & conficiant volucres incautas, alij vero alijs modis tueantur vnitatem in vnum vnitam. Duxerunt ab illorum globo, ſymbolū conſenſus, ſiue concordiæ. quo inſinuarent, Multitudinē coniunctā, nemini facile cedere; ſingulos ſeiunctos, vel cuique poſſe. Quamdiu in Eccleſia Catholica, *multitudinis credentium erat cor vnum*

num & vna anima in Domino: quam illi fortes in bello, quod pugnabant cum antiquo ſerpente? neque Leonum præparatorum ad eſcam, ſcilicet Tyrannorum rabies; neque Draconum venenatæ ſibilationes, ſcilicet Philoſophorum & Hæreticorum aſtus, quicquam poterat contra Concordem. *Supra dorſum meũ*, inquit, *fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam.* *Dominus* autem, propter vinculum pacis & dilectionis, manens in ea, *concidit ceruices peccatorum*, quos demeſſuit *tanquam fœnum tectorum, quod priuſquam euellatur exaruit.* Tale eſt vinculum concordiæ, quod obſequentia & ſufferentia mutua nectitur atque conſeruatur.

2. effect. dilectionis beneficentia. Beneficentia ſequitur, tam propria dilectioni quam calor igni, quam radius Soli, quam illuminatio luci. Amor operatur magna ſi eſt; ſi autem operari renuit, amor non eſt. *1. Ioan. 3.* *Qui habuerit*, inquit Ioannes, *ſubſtantiam huius mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſitatem habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? Filioli mei, non diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate.* Iacobus quoque in eundem fere finem. *Iac. 2.* *Si autem*, inquit, *frater & ſoror nudi ſint, & indigeant victu quotidiano, dicat autem aliquis ex vobis illis: Ite in pace, calefacimini & ſaturamini: non dederitis autem eis quæ neceſſaria ſunt corpori, quid proderit?*

Diogenis dictum. Diogenes conſpicatus duos ſimul deambulantes, & alterum quidem ſplendido cultu, alterum vero pannoſum, cum rogaſſet, *Quis cum quo? & cur tam nitidus cum ſordido?* didiciſſet autem amicitiæ vinclo nexos ad inuicem eſſe: ſcite luſit. *Et cur*, inquit, *iſte eget, ſi amicus?* Notauit, amorem dicis more dici, ſine beneficentia in indigum. Senecam audiamus, confundẽtem Chriſtianos.

Beneficium dare, virtutis eſt, & turpiſſimum id cauſa vllius alterius rei dare, quam vt datum ſit. *lib. 4. de benefic. c. 3.* Nam ſi recipiendi ſpe tribueremus, locupletiſſimo cuique, non digniſſimo, daremus. *Beneficen. ratione, homines ſimiles Deo.* Nunc vero diuiti importuno pauperem præferimus. Non eſt beneficium quod fortuna ſpectat. Præterea ſi vt prodeſſemus, ſola nos inuitaret vtilitas, minime beneficia diſtribuere deberent, qui facile poſſent, locupletes, & potentes, & reges, aliena ope non indigentes. Dij vero tot munera, quæ ſine intermiſſione diebus ac noctibus fundunt, non darent. In omnia enim illis natura ſua ſufficit plenoſque & tutos, & inuiolabiles præſtat. Nulli ergo beneficium dabunt, ſi vna dandi cauſa eſt, ſe intueri ac commodum ſuum. Iſtud non eſt beneficium, ſed fœnus; circumſpicere, non vbi optime ponas, ſed vbi quęſtuoſiſſime habeas, vnde facillime tollas. Quod cum longe a Dijs remotum ſit, ſequitur vt liberales ſint. Nam ſi vna beneficij dandi cauſa ſit vtilitas, nulla autem ex nobis vtilitas Deo ſperanda eſt; nulla Deo dandi beneficij cauſa eſt.

Altius non poterat dici a Diuo Chryſoſtomo, cuius eſt illud argumentum, ad populum Antiochenum. *hom. 36.* Hoc eſt id, *inquit*, quo Deo poſſumus adæquari; miſerari ſcilicet, & miſericordiam exhibere. Hoc ſi non habeamus, tota Dei ſimilitudine ſumus priuati. Non enim dixit Ieſus: Si ieiunetis, ſimiles eritis patri veſtro. Neque dixit: Si ſuppliciter oraueritis, ſimiles eritis patri veſtro. Neque, ſi illæſam virginitatem ſeruaueritis, ſimiles eritis patri veſtro. Nihil enim horum eſt circa Deum, nec horum quicquam Deus operatur. Sed quid? Eſtote miſericordes ſicut & Pater veſter, qui

qui in cœlis eſt. Hoc Dej eſt opus. Hoc ſi non habeas, quid habes? Miſericordiam volo, *inquit*, & non ſacrificium. Fecit cœlum Deus, fecit terram & mare. Magna hæc & ipſo digna ſapientia. & licet cauſa noſtri fecit hæc omnia, tamen nullo horum tantum humanam attraxit naturam, quantum miſericordia & clementia, quod pro nobis & nobis ſeruus factus, ſeipſum nobis impendit. In hoc etiam ab illo acceptamur, ſi benefici ad proximos fuerimus. propter hanc proximi operoſam dilectionem, vult nonnulla a nobis ex ſuo cultu omitti, ne proximum relinquamus.

Beneficētia apud Deū potior quā contēplatio.

Offert aliquis munus ſuum ad altare, & recordatur fratrem eſſe ęgro animo erga ipſum? Iubet, relinquere munus, & redire reconciliari illi. Oberrans profugus a Saule Dauid, moritur præ fame? Suadet Abiathar Sacerdoti, vt panibus ſanctificatis ex propiciatorij menſa acceptis, reficiat eſurientem. Idem Dauid inermis, non habet quo caput ſuum defendat ab hoſtibus? Monet eundem Pontificem, vt gladio, (in ſignum victoriæ quam miraculoſe retulerat, Dauid) inter ſacra collocato præcingat hunc ipſum. Moyſen quoque ſurgere præcepit a contemplatione, ad populum recreandum feſtinare. Petro Apoſtolo poſt Apocalypſes admirandas, iniungit: *Macta & manduca*. ſcilicet. beneficio demerere gentiles, & ad Eccleſiam introducito. Sponſæ quoque ſuæ, oſcula oris poſtulanti, vbera eius dillaudat. *Meliora*, inquit, *ſunt vbera tua vino, fragrantia vnguentis optimis*. quaſi diceret. Tu ſuauium ab oſculo contemplationis? oras non illaudo propoſitum virginitatis: maxime tamen approbo affectum maternitatis. ſi ſcilicet paruulis meis, quos verbo genui veritatis, lac beneficentiæ, ſiue ſpiritualis, ſiue corporalis immulſeris. Quod illis feceris, mihi exhibueris. Nam mea ſunt membra, illi omnes, quos in baptiſmo regeneratos mihi concorporari paſſus ſum. Propter illos dimiſi domum meam, reliqui hæreditatem meam, dedi animam meam in manus inimicorum meorum. Volo quoque & cupio, a te, ſacrificium meum quandoque intermittas, miſericordiam autem, vt ego a te, non diſpergo, ita & tu ab eis nō auferas.

expl. loc. Cant. 1. de beneficentia.

In hoc cognoſcent omnes, quod diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem, quæ eſt finis præcepti, & vinculum totius perfectionis. Deus dilectionis & Princeps pacis, iſtam charitatem diffundat in cordibus noſtris, per Spiritum ſanctum qui datus eſt nobis. Amen.

IN FESTIVITATE OMNIUM Sanctorum.

Quoniam ipſorum eſt Regnum cęlorum. *Mathæj*. 5. 8.

CONCIO.

Sancti in cælis, Reges.

PHILO Hebręorū doctiſſimus aſſeuerabat: *Deo parere, non libertate ſolum, ſed regno præſtantius eſſe*. Rectè. Qui .n. paret Deo vt inflexus ſit ad malum, atque immotus in bono, non Regem ſed Deum quà fas eſt effingit, qui perpes in bono. Deinde qui paret Deo, vt ad eius nutum ſit, pauper ſpiritu, mitis, lugens, eſurio iuſtitiæ, miſericors, pacificus, patiens iniuriarum, mūdus corde & corpore; non libertatem tantum, illam quæ vere libertas eſt, neque Regnum

lib. de Regno.

Deo ſeruire regno præſtantius eſt.

gnum

Digitized by Google

gnum hoc terrenum, & ſi aliquando idipſum; ſed aliquid regno & libertate maius aſſequitur. nimirum poſſeſſionem vniuerſæ terræ, ſatietatem deſideriorum, conſolationem in omni mærore, adoptionem filiorum Dej, hæreditatem Patris cęleſtis, viſionem Monarchæ orbis: mercedem magnam & inæſtimabilē in regno cælorum. vt & ipſe, qui paret Deo, ſecundum regem regum & Dominum Dominantium, ſit rex quoque & Dominus, omnibus excellentior Monarchis. Quomodo id fiat: ex Sacræ ſcripturæ tabulis renuncio.

nam ab hac ſeruitute plusquā regia degunt.

1. Electio vel ſucceſſio plusquā regia.

Regna mundi vel ſucceſſione, vel electione capiuntur. Ab vtroque traduce, ſeu mauis inauguratione, quicunque Imperium capeſſunt, non omnes felices. Multa intercidere ſolent, quod dicitur, *inter os & offam*, in indipiſcendo Principatu. Vidimus nuper, & riſimus non vnum riſum fortunæ. In adepto autem, facilius eſt reperire, qui purpuram, ſanguinis ſui oſtro tinxerint, vita infeliciter acta; quam eos qui ex animo plauſum popularem, ne dicam diadema immortalitatis, (niſi forte ex infamia) aliquando aſſecuti fuerint. *Altitudo ipſa, attonat ſumma: quæ elenat vt deijciat*, vt quidam dixit. Regno præſtantius eſt, Deo parere. Namque regnum cælorum, quod ijs obtigit, felicius obtigit: ſiue ſucceſſionem, ſiue electionem, ſiue etiam inaugurationem ſpectes.

Electio iſtius qui paret Deo, non eſt a Septem, ſed a Triumvirali Comitio, quorum trium, vna mens, vnum conſilium, vna electio, vnum decretum, vna eſſentia. Ab electionis titulo, ipſe Deus trinus & vnus, affingit ius aliud, hæreditatis æternæ, his ipſis qui illi obſequūtur. *Dedit enim poteſtatem filios Dei fieri; his qui credunt in nomine eius.* Iſti ſi filij? & hęredes. Hęredes quidem Dej, cohęredes autem Chriſti. Deus qui elector, qui genitor, nec falli, nec fallere, aut poteſt aut ſolet; quid putas, quam certus regni is, qui a tali comitio, & a tali patre? Scio Paulum pro illo ſpopondiſſe. *Quos*, inquit, *prædeſtinauit, hos & vocauit. quos autem vocauit, illos & magnificauit. quos denique magnificauit, illos eoſdem glorificauit.* Nullum periculum a competitore, nullus pauor ab aliquo infelici auſpicio, his qui parent Deo, & ſolium glorię cæleſtis aſcendunt; cum gaudent vocacari & eſſe reges, a tam benigno parente, a tam ſapientiſſimo Electore.

2. Vocatio.

Reges mundi accerſuntur ab hominibus, qui mendaces & fallaces, per eorundem aſſimiles. *Omnis enim homo mendax*, vt Pſaltes dixit. Qui rex cœlorum renunciatus eſt, ab eo qui veritas eſt, vocatur vel ab ipſa veritate, vel a nuncijs veritatis. Aſſumitur deinde ab adminiſtratorijs ſpiritibus, inque manibus eorum defertur, vt ſedeat cum Principibus, & ſolium gloriæ teneat. Quis Enochum, Eliam, Lazarum, ſiue in Paradiſum, ſiue in Abrahami ſinum tranſportauit? Quę clara, non repeto.

3. Ornatus.

Ioſephum de carcere ad regiam aſſumptum, veſtiuit Pharao ſtolla byſſina, & collo eius torquem auream circumdedit, tulitque anulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius. Deus autem quos renunciauerit reges in regno cęlorum, cum primum illos erigit de ſtercore carnis, amicit lumine ſicut veſtimento, collum eorum ſic ornat, vt appareat *ſicut monilia*. Donat eis deinde *calculum candidum*, nouo nomine inaratum. *quod nemo ſcit, niſi qui accipit, & geſtat*. Sic veſtitos, monilibuſque & gemmis in adſpectabilibus venuſtatos, coronat diademate ex ſideri-

4. *Corona Stellaris* 12. bus texto. Quandam Beatam Regi-
nam ſuſpexit Ioannes, geſtantem in
capite coronam ex duodecim ſtel-
lis plexam. quę mihi ſignificāt duo-
1. denas dotes, quibus diuitantur re-
ges cęleſtes. nempe 1. Sanitatē per-
petuam. ibi enim *nullus dolor*, poſt-
quam *vt aquilæ renouauerint iuuen_*
2. *tutem ſuam*. 2. Plenitudinem totius
boni ſine defectu. Nam *illic, non eſu*
rient neque ſitient amplius; cum in-
troducti fuerint a rege *in cellam vi-*
nariam, in qua *inebriabuntur ab*
3. *vbertate domus Dej*. Tertia Stella
innuit, refectionem ſine faſtidio.
Qui enim edunt me, inquit ſapientia
excelſa, *adhuc eſurient, & qui bibunt*
4. *me adhuc ſitient*. Quarta Stella ſi-
gnat, ſcientiam ſine ignotantia.
cum videbimus facie ad faciem: &
cognoſcam, ait quidam, *ſicut & cogni*
5. *tus ſum*. Quinta Stella, gaudium no-
tat ſine triſtitia, cum *abſterget Deus*
omnem lacrimam ab oculis Sancto
rum, & iam nullus erit amplius la-
6. *bor aut luctus*. Sexta ſtella pacem ſi-
ne perturbatione adfert. Tunc enim
delectabuntur in multitudine pacis,
cum nullus admittetur, qui poſſit
aut velit interturbare quietem illo-
rum. Illic, illic, conflatis gladijs in vo
meres, habitabunt in requie opulen-
ta. illic commanebat lupus cū agno,
bos & leo paſcentur ſimul, omni fe-
7. ritate depoſita. Septima Stella, ſecu-
ritatem ſine timore denunciat. Ni-
hil illic verebuntur timorem ali-
quem nocturnum, vbi nulla nox am
plius; neque ſagittam volantem in
die, cum nullus ſit qui intendat ar-
cum; neque ipſum Dæmonium me-
ridianum, quod iam tum alligabi-
tur in profundo.

8. Octaua Stella fert ſecum lętitiam
de juſtitia, quod iuſtus iudex Chri-
ſtus repoſuerit illis coronam, quam
ex benignitate ſua dignatus eſt vo-
care diadema iuſtitiæ, quæ propria
eſt miſericordiæ. Momentaneum
enim hoc & leue pondus ſiue tri-
bulationis, ſiue operationis noſtræ,
indignum eſt quod componatur ad
gloriam futuram, quæ releuabitur
in nobis.

Nona Stella ſignat exultationem 9.
de bonis, quæ olim in corpore geſ-
ſerunt; quod eis datum ſit cum Deo
paciſci, tunc cum ad vineæ cultu-
ram vocarentur, ex denario diurno.
Decima Stella radiat lætitia de ma- 10.
lis quæ ante euaſerunt. quod ſ. la-
bentibus ſupponebat Deus ſępe ma
num, ne colliderentur, neue a vete-
ratore maligno in orcum præcipita-
rentur. Vndecima ſcintillat gau- 12.
dium de contubernio Sanctorum;
quod videlicet datum ſit illis ſede-
re cum Principibus, cum Principi-
bus populi ſui, magnis & admiran-
dis ſpiritibus Angelicis & humanis.
Extrema Stella claudit ſertum hoc
Deificum, certa expectatio reſurre-
ctionis carnis. quod ſcilicet ille co- 11.
mes ærumnarum & laborum caro,
quo ceu inſtrumento vtebatur ani-
ma ad aſſequendam felicitatem,
quandoque excitatus de puluere ſur
get. *& in carne mea videbo Saluato-*
rem meum, vt Iob præcipiebat iſtam
immobilem fiduciam. *Tunc exulta-*
bunt Sancti in gloria, cum videbunt
Deū(*vt Cyprianus, Martyres alloqui*
tur) & gaudebunt, lætabunt, delecta
bunt, fruentur gloria, & in felicitate
iucundabunt æterna Ibi non guſta-
bunt, quam ſuauis eſt Dominus, ſed
implebuntur & ſatiabuntur dulce-
dine mirifica; nihil eis deerit, nihil
oberit; omne deſiderium eorum
Chriſtus implebit. Non ſeneſcent,
non tabeſcent, non putreſcent am-
plius; perpetua ſanitas, felix æterni-
tas beatitudinis illis ſufficientiam
confirmabunt. Non erit concupi-
ſcentia in membris, non vltra vlla
exurget rebellio carnis, ſed totus
ſtatus

ſtatus hominis pudicus & pacificus, forma ex integra natura, ſine omni ruga aut macula deinceps permanebit. Erit denique Deus omnia in omnibus, & illius pręſentia omnes animæ & corporis implebit appetitus, ceſſabuntque de cætero conſummatis omnibus miniſtratorij angelicarum virtutum diſcurſus, ipſe autem Dominus tranſiens miniſtrabit illis. tunc impleta ordinataq; omnino Ciuitate Dei, nec innouabitur, nec mutabitur vltra fixæ & conſummatæ beatitudinis ſtatus.

5. *Pomum aureum.* Pomum aureum ſolet coronatis regibus dari in manus, ſymbolum terrę pugilli quam regere debent. Pro pomo aureo, cœlum aſſignabitur regibus cœli.. Intratura es (o anima) Vrbem Dijs hominibusque communem, *ita Seneca Marciæ pollicebatur*, omnia complexam, certis legibus æterniſque deuinctam, indefatigata cœleſtia officia voluentem. (*Conſol. ad Marciā. c.18.*) Videbis ex alto, illic innumerabiles Stellas, miraberis vno ſidere omnia impleri; Solem quotidiano curſu diei, noctiſque ſpatia ſignantem, annum in æſtatem hiememque æqualiter diuidentem. Videbis nocturnam Lunæ ſucceſſionem, a fraternis occurſionibus lene remiſſumque lumen mutuantem, & modo toto ore terris imminentem, acceſſionibus damniſque mirabilem, ſemper proxime diſſimilem. Videbis ſeptem ſidera diuerſas agentia vias, & in contrarium pręcipiti mundo nitentia. Miraberis conlecta nubila & cadentes aquas, & obliqua fulmina, & cęli fragorem. denique ſatiatos ſpectaculo ſupernorum in terram oculos deijcies, in qua hanc quam vidiſti, & non vidiſti formam rerum aſpicies, & vel ridebis, vel miſeraberis, varios motus ſublunares, quibus conflictantur mortales.

6. *Sceptrū.* Sceptrū inauguratis regibus datur, index Auctoritatis ſupremę. Maioris poteſtatis virga conceditur Cœli Regibus, vt non homines tantum, vel Monarchas iudicent, ſed & ipſos Angelos deciduos. *Neſcitis*, inquit Paulus, *quia & Angelos iudicabimus?*

7. *Gladius.* Gladio ſuccinguntur Reges, vindice iniquitatis: *Exaltationes Dei in gutture Sanctorum, & gladij ancipites in manibus eorum, ad faciēdam vindictam in nationibus, increpationes in populis, ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis; vt faciant in eis iudicium conſcriptum, gloria hæc eſt omnibus Sanctis eius.* Magnificatur thronus ille Salomonis Regis, factus ex ebore, veſtitus fuluo auro nimis, qui ſex gradus habebat, & ſummitas eius rotunda erat a parte poſteriori, & duæ manus tenentes hinc & inde ſedile, & duos leones ſtātes iuxta manus ſingulas, & duodecim leunculos, eminentes hinc & inde in ſex gradibus. Cæterum nihili eſt ad thronum, quem inſcendunt hi quibus datum eſt ſedere ad menſam in Regno ſidereo. 8. *Thronus*

Factus ille Salomonis, hic infectus. Beatitudo enim noſtra quam fruuntur Sancti, quia eſt in Deo & ex Deo, qui non factus, nec creatus eſt; & ipſa quoque infecta & increata cenſetur. Candicabat ille ebore antiquo, hic lumine corruſco; ille auro fuluo, hic gloria immenſa ex iride admiranda quæ ambit circuitum Sedis, ſimilis viſioni ſmaragdinæ. Illius ſummitas rotunditate circinnata; huius vero æternitate incircumſcripta. Leones illum & antiſtabant, & ſuſtinebant; hunc Cherubini & Seraphini, inſuper & quattuor animalia plena oculis ante & retro; & viginti quattuor Seniores ſedentes, omnes circumamicti ſtolis albis, & coronæ in manibus eorum.

rum: adnumera & millia millium atque decies millies centena millia, aſtitum Dei, qui in circuitu ſedis præparatæ. Illum manus humanę complectebantur, hunc Diuinæ. *Læua eius*, inquit ſponſa, *ſub capite meo, et dextera illius amplexabatur me*. Rectius de hoc ſolio vſurpauerit illud elogium. *Non eſt factum tale opus, in vniuerſis regnis*. Præclare idem Cyprianus. Patriam, *inquit*, noſtram paradiſum computamus, parentes Patriarchas iam habere cępimus: quid non properamus & currimus, vt patriam noſtram videre, vt parentes ſalutare poſſimus? Magnus nos illic charorum numerus expectat; parentum, fratrum, filiorum frequens nos & copioſa turba deſiderat, jam de ſua immortalitate ſecura, & adhuc de noſtra ſalute ſollicita. Ad horum conſpectũ & complexum venire, quanta illis & nobis in commune lætitia eſt? qualis hic cœleſtium Regum voluptas, ſine timore moriendi, & cum æternitate viuendi? quam ſumma & perpetua felicitas? Illic Apoſtolorum glorioſus chorus; illic Prophetarum exultantium numerus, illic Martyrum innumerabilis populus, ob certaminis & paſſionis victoriam coronatus. Triumphantes illic virgines, quæ concupiſcentiam carnis & corporis continentiæ robore ſubegerunt: remunerati miſericordes qui alimentis & largitionibus pauperum iuſtitiæ opera fecerunt, qui Dominica præcepta ſeruantes, ad cœleſtes theſauros terrena patrimonia tranſtulerunt. Iam vero quale ſit ipſum regnum? Suſpiciamus, *inquit Chryſoſtomus*, cœlum, quando nulla ſe interponit nubes, & clara eſt omnis eius corona: deinde ad pulchritudinem eius aſpectus, aliquantulum temporis perduremus, & intelligamus, quoniam & ſolum habemus non quidem tale quale nunc eſt; ſed tanto melius effectum, quanto luteis tectis aurum eſt melius. Et poſt illud item ſuperius tectum, deinde Angelos, Archangelos, immemorabiles populos incorporearum virtutum, deinde ipſa Dei regna, thronum paternum. Sed non valet exprimere ſermo, experimento opus eſt. Quomodo putas, dic mihi, Adam fuiſſe in Paradiſo? Ab illa multo erit melior iſta conuerſatio, quantum terra melius eſt cœlum. attamen & aliam ſimilitudinem inquiramus. Si contingat eum qui nunc modo imperat, omnem mundum obtinere; deinde neque bellorum, neque curarum habere vllam moleſtiam, ſed in honore eſſe tantum, & delitiari, & multa quidem habere tributa vndique, & aurum illi affluere & reconditum eſſe, qualem illum putatis animum habere, ſi omnia bella totius terræ quieſcere videat? Tale aliquid erit, imo maius. nequaquã enim ad ſimilitudinem illius regni perueni. propter quod oportet & aliam inquirere intelligentiam: Da mihi aliquẽ, qui ſit ſicut infantulus regis, vel magis ſicut vinctus & multa mala paſſus, & repente ad regale ſolium rapiatur. Sed neque ſic integre pertingere potui, ad illius regni ſimilitudinem. Hic quippe quæcunq; quis perceperit bona, in prima quidem die ac ſi ipſum regnum dixerit, viget in eo amor & gaudium, & in ſecunda die, & in tertia. tempore vero procedente permanet quidem in voluptate, non tamen tanta. minuitur quippe ſemper ex conſuetudine, qualecunque iſtud bonum ſit. Illic autem non ſolum non decreſcit, ſed augmentum accipit: & anima illuc pergens nequaquam finem bonorum illorum expectat, aut mutationem, quin potius vitã immortalem

9. *Regnum. hom 6 in epiſt. ad Hebr.*

talem omni mærore & cura alienã, plenam gaudij & mille bonis.

Et quem ambitio huius Regni non tangat? tam felicis? tam facilis? Ad thronum Salomonis *per medios leunculos aſcendebatur*? quo datur intelligi, *per mille pericula rerum, regna patere mundi*. hic per roſas & lilia itur ad Cęleſte regnum. quis eſt qui detrectabit? An facilis aſcenſus ſit? audiſtis ex Euangelio gradus. Eia aſcendite, & maius aliquid regno capeſſite, Regnaturi in ſecula. Amen.

IN DIE ANIMARVM.

Qui bona egerunt ibunt in vitam æternam. qui vero mala, ibunt in ignem æternum.

Ioan. 5. c.

CONCIO.

De receptaculis & pœnis ac præmijs animarum.

Apoc. 1. NOn tantum ſtellis manus ſuas ornat Ieſus, ſed & labia ſua armat gladio acuto. Ita illum aſpexit Ioannes in extaſi. *& habebat*, inquit, *in dextera ſua ſtellas ſeptem, & de ore eius gladius vtraque parte acutus exibat, & facies eius ſicut Sol, lucet in virtute ſua*. Heſterna die vidimus illum ſtellis, ideſt animabus ſanctorum manus illuſtrantem. Nam *iuſtorum animę in manu Dei ſunt*, vt Sapiens recolit. & Sponſa quoque retulit, quia *manus eius tornatiles, plenæ ſunt Hyacinthis*. ideſt ſanctis electis. Hodie vero ſtrictum gladium, ex ore, actus omnium, ſcrutatorio & iudicatorio Sole decernente cernimus, dum pronunciat; *Qui bona egerunt, ibunt in vitam æternam. qui vero mala egerunt, ibunt in ignem æternum*. De his receptaculis, pęnis, ac præmijs animarum, mihi hodiernus ſermo.

Poſtquam Deus hominem expuliſſet de paradiſo, ſtatim in momento, *ante paradiſum voluptatis collocauit Cherubin, & flammeum gladium, atque verſatilem, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ*. vt Sacer hiſtoriographus tradit. *Gen. 3.* Dicant alij *flammeum gladium*, eſſe ardores Zonæ torridæ, qua aiunt cingitur locus amænitatis paradiſi. alij eundem interprætentur, ignes ſublunares, quibus pręcluſa eſt via ad paradiſum, vt ſomniant, ſupra primam aeris regionem eleuatum. alij vero fabulentur monſtra de genere Pſeud'angelorum ignita, quibus cuſtodia ignea loci illius commiſſa. ego ſententiam Dei decretoriam, a facie eius illuſtriſſima prolatam aſſeuero, in animas ex hac lucis vſura diſcedentes: qua velut aliquo mucrone verſatili cæſim & punctim decidente, decernit alijs vitam æternam, alijs ignem æternum, alijs etiam temporaneum. Nam iſte gladius verſatilis, collocatus ante veſtibulum felicitatis, non ſine flammis. Sed ſingula, nunc nunc a me prolata, diſcutio.

Gladius mihi ſignificat, ſententiam decretoriam. Nam iſte apud omnes, pro hieroglyphica nota iuſtitiæ; quæ decernit, iuſtis quidem præmium, iniuſtis autem ſuppliciũ promeritum. Vnde & ſacram Themidem, Orphici gladio armarunt. & Pſaltes gladios ancipites, aſſignat in manibus ſanctorum, *ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis. vt faciant in eis iudicium conſcriptum*. & Ezechiel audiuit Deum, in impios gladium iuſtitiæ euocantem; *Mucro, mucro, mucro euaginare*.

Gladius iſtę Diuinæ iuſtitiæ verſatilis

Digitized by Google

ſatilis eſt. ideſt, promptus educi &, diſtringi. Licet enim Deus laneos pedes habere dicatur, aut plumbeos. ſcilicet, molles a clementia, & tardos à tolerantia, qua peccatores expectat; tamen manus habet armatas gladio verſatili ideſt prompto. Dixit & judicata ſunt. Dixit & caſtigata ſunt vniuerſa, quæ adduxit, ſub acrem mucronem. Facile eſt illi in momento aquis Orbem obruere. facile ignem de cælo ſuper Pentapolim depluere. facile perduellibus ſeditioſis, terram hiantem ſubducere. facile inſuper tam homines ex Paradiſo expellere, quam Stellas illas erraticas de cœlo deturbare. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & illico paret in occidente, ſic & gladius Dei volaticus.

Gladius iſte Diuinæ juſtitiæ verſatilis eſt, ideſt, in vtramque partem aptus educi cæſim. Dicet enim his qui a dextris; *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt a conſtitutione mundi.* Dicit his, qui a ſiniſtris: *Ite maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt Diabolo & Angelis eius.* Quos cæſim, a ſiniſtro ad dexterum gregem reciderit, hos dirigit ad paſcua felicitatis æternæ. Quos autem a dextero, ad ſeciorem ſeparauerit numerum, hos ad harram damnationis deputat ad mortem, vt dicatur de eis, *Sicut oues in inferno poſiti ſunt, mors depaſcet eos.*

Gladius iſte Diuinæ iuſtitię, non tantum cęſim diſcriminat, ſed etiam punctim aliquos ſtringit. Quomodo vero? Quos autem? Illos, qui nec tam mali vt demereantur ſupplicia ęterna, nec tam boni vt mereantur ſtatim præmia ęterna: ſed aliquod ſecum exeuntes de terra detulerunt dignum expiatione, indignum alioquin ſempiterna caſtigationem. Hos punctim fodit, vt illos nec inferni ſupplicijs deputet, nec cœli gloria ſtatim dignetur, ſed per gladium flammantem probatorium & purgatorium traducat, vt tandem confiteantur Deo purgatori; *Tranſiuimus per ignem & aquam, & eduxiſti nos in refrigerium.*

Purgatorem Deum dixi atque nuncupaui, non temere ſed prælo- *Malach. 3.* quente Propheta. qui ita de eo vulgauit. *Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans & emundans argentum, & colabit eos quaſi aurum & quaſi argentum, & purgabit filios Leui.* Declarauit ſe ad eum modum ſuos examinaturum, & cum opus eſt purgaturum, quemadmodum aurifex examinat, & purgat argentum, & aurum. Vt enim ille igne accenſo, metallum ollæ inditum depurat, & ſcoriam ab eo, atque aliud metallum ab eo diuerſum ſecernit, ſiue collatura, ſiue ſeparatura; jta Deus *jn cuius manibus juſtorum animæ ſunt*, ſedens in extremo limite, per quem vnuſquiſque de hoc mortali tabernaculo, ad terram viuentium exit, ſingulos in manus ignitas excipit, exceptos carbone purgatorio probat: *An aliquid vel æruginis, vel ſcoriæ, vel terræ adhæſerit alicui.* Quod ſi aliquas ſordes leuiculas, oculo Solaris faciej, in aliquo compererit, mox igne vſtorio abſumens, animã illam auro vel argento bonorum operum inauratam & inargentatam quaſi pauxillatim liquatum aliquod aurum vel argentum, ſtillatimque emitteret, vel per colum purgaret, purgat & admittit ad gazophilatium felicitatis æternæ.

Ad idem mihi reſpexiſſe videtur, *expl. loc. 1. Cor. 3.* S. Paulus dum ſub ſymbolo, auri argenti, æris, ferri, ſtipulæ, lapidum & lignorum, opera ſingulorum exprimens, ad ignem purgatorium omnia retulit dicens. *Fundamentum*

tum aliud nemo poteſt ponere, pręter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus. ſi quis autem ſuperædificat ſuper fundamentum hoc, aurum, argentum, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, vnius cuiuſque opus manifeſtum erit. Dies enim Domini declarabit: quia in igne reuelabitur. & vniuſcuiuſque opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus manſerit, quod ſuperędificauit; mercedem accipiet. Si cuius opus arſerit, detrimentum patietur. Ipſe autem ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem. Explico ſingula.

Fundamentum nobis aſſignat D. Paulus, fidem in Chriſtum, quæ *ſubſtantia eſt rerum ſperandarum*, auĉto re eodem Paulo. Hanc vero fundamentum appellauit, aſpeĉtu ad ſpirituale ædificium, quod vnuſquiſq; tanquam ſpiritualis architeĉtus ędificat. Vnde idē S. Paulus dixit Chriſti fidelibus: *Dei ędificatio eſtis.* & infra in Capite eodem inculcat Corinthijs, dicens; *Neſcitis, quia tēplum Dei eſtis, & Spiritus ſanĉtus habitat in vobis? Templum autem Dei Sanĉtū eſt quod eſtis vos.* Vnde & Chriſtus alluſione ad ædificium ſpiritua le aiebat; *Ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus.* & alibi apparēs teſtabatur, *Ego ſto ad oſtiū, & pulſo; ſi quis mihi aperuerit, intrabo ad eum, & cænabo cum illo, & ipſe mecum.* Ad ſponſam vero dileĉtam, quaſi in domo aliqua recluſam vociferabatur. *Aperi mihi, ſoror mea ſponſa, quia caput meum plenum eſt rore.*

Huius ſubſtruĉtionis nouæ de cęlo deſcendentis, fundamentum eſt Chriſtus & fides in eum. Niſi enim huic ſubſeciua operis ſuperponantur, neceſſe habent corruere. Nam a Chriſti fide, origo & baſis eſt ædificij ſpiritualis. hæc enim eſt quæ ſuſtinet & erigit omnia opera ab homine Chriſtiano facta, vt digna ſint, propter quæ declinet Deus ad animam, inque ea gratum ſibi faciat habitaculum.

Huic fundamento fidei in Chriſtū, alij ſuperædificant aurum obryzum charitatis perfeĉtiſſimæ; alij argentum candoris virginei, alij lapides precioſos variarum virtutum; alij vero ligna, fænum, ſtipulam ſuperijciunt operum venialium: quæ quidē nihil contra fidei fundamentum, licet contra charitatis augmentum faciunt: alij demum, ferrum, lutum, fimum, ſordes peccatorū mortalium, quæ contra charitatem auream, & contra innocentiam & puritatemque argenteam ex diametro pugnant, ingerunt, fundamentumq; fidei obruunt, ita vt Apoſtolus eis exprobret dicens; *nomen Dei propter vos blaſphematur inter gentes.* Charitatis obryzeum aurum ſuperædificant martyres imprimis, qui ſanguinem pro Chriſti nomine lubenter fuderunt: deinde omnes alij, qui voluntati propriæ Diuinam anteponentes pręceptis ipſius in omnibus obſecundauerunt. Argēteo candore ſuperędificant omnes, qui ſe vel virgines incontaminatos, vel cor pore caſtos in ſuo ſtatu, munditiam cordis illibatam ſeruantes, Deo virginitatis & caſtitatis amatori approbarunt. Lapidibus pretioſis exornantur illi, qui ſupra vulgarem ſanĉtimoniam, varijs virtutibus, tum deinde operibus & laboribus pro Eccleſia animarumque ſalute ſuſceptis illuſtrarunt. Cæterum, quia nemo eſt, excepta Diua Diuarum Maria, cuius aliquādo aurum & argentum non æruginauit, aut lapillus aliquis non caligauit. *Si enim dixerimus, quia peccatū non habemus, mentimur. nos ipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt* vt aiebat, qui virgo a Domino electus, & inter cæteros

magis

magis dilectus ei fuit. Iob autem aſſerebat nec infantem vnius diei, mundum eſſe a ſorde: neque cęlos, ideſt illos quorum conuerſatio in cęlis eſt, eſſe puros in conſpectu Domino: neque angelos, ideſt, eos qui in terris Angelicam vitam meditantur, eſſe tales, vt in eis Deus facie Solari ab ſcondita cordis i luſtrâs non reperiat prauitatem. quinimo ipſe Iob, ille quo nemo tunc Sanctior, de ſe dicebat: *Si*, inquit, *apparuerint velut mundiſſima manus mea, tamen ſordibus intinges me.* vt exinde appareat, neminem vnquam apparere ante Deum, qui non peccat, aurumque ſuum & niuem, & argentum, & lapillum aliqua labe non aſpergat aliquando: *Cum aũt nihil coinquinatum intret in regnum cœlorum*, vt magnus Dictator edixit; intret aũt p omnis hũc flammeũ mucronẽ, per q̃ manũ Dei ignitam; euenit neceſſario vt ab hac conflatoria manu ignita, & ab hoc vſtorio mucrone, quicquid æruginis, aut labis, aut puluiſculi alias alicui adhęſerit, exuratur: probante reuelanteq; igne probatorio ſuum aurum charitatis, ſuum argentum caſtitatis, ſuum lapillum cuiuſque excelſæ virtutis. D. Ambroſius neipſum quidem Petrum, aut Ioannem Chriſti Apoſtolos, ab huius gladij igniti & verſatilis tranſitu excipiens, ita pronunciauit. *Vnuſquiſque noſtrum, vſtus* rõphea illa flammea, non exuſtus, purificabitur: vt introgreſſus in illam paradiſi amęnitatem, gratias agat Domino ſuo dicens. *Induxiſti nos in refrigerium*. (*in pſal. 118.*)

Sed ẽt lubet Origenẽ audire, qui ad hunc locum Paulli alludens dicit. Tempus belli nobis eſt in hoc mundo; pugna aduerſus Madianitas eſt, ſiue aduerſum vitia carnis noſtræ, ſiue aduerſum contrarias poteſtates. Spectat nos Angelorum chorus, & virtutum Cœleſtium pia erga nos pendet expectatio. quando, vel quomodo de hoc prælio reuertamur. quid vnuſquiſque noſtrum manubiarum reportet. & intuentur curioſius, ac ſollicitius perſcrutantur, quis noſtrum auri hinc amplius ferat, quis etiam argenti illud pondus exhibeat, quiſue lapides deferat pretioſos. Requirunt etiam, ſi quis æs deferat, aut ferrum, aut plũbum. Sed & vas ligneum, ſi forte aliquis afferat, aut fictile, aut aliud huiuſmodi magnæ domus vſibus neceſſarium. Requiritur ergo diligenter quum abierimus hinc illuc, quid vnuſquiſque noſtrorum deferat, & ſecundum ea quæ detulerit, ſecundum quod labor eius pro contemplatione exuuiarum probatur, etiã manſionis ei meritum præparabitur. Probantur tñ omnia hęc, quæ per ignem, per ignem; quæ per aquam, per aquam. Vniuſcuiuſque enim opus, quale ſit, ignis probabit. Veniendum eſt ergo omnibus ad ignem, veniẽdum ad conflatorium. Sedet enim Dominus, & conflat, & purgat filios Iuda. Sed & illuc conuenitur, ſi quis multa opera bona, & parum aliquid iniquitatis attulerit. illud parum tanquam plumbum igne reſoluitur, ac purgatur, & totum remanet aurum purum. Et ſi quis plus illuc plumbi detulerit, plus exuritur, vt amplius decoquatur: vt etſi purum aliquid ſit auri, purgatum tandem reſideat. Quod ſi aliquis illuc totus plumbeus venerit, fiet de illo hoc quod ſcriptum eſt: Demergetur in profundum, tanquam plũbum in aqua validiſſima. (*hom. 25. ſuper numer.*) (*idem homil. 6. ſup exod.*)

Rectè & ad mentem Sacræ ſcripturæ Origenes. Nam multi ſunt, quorum aurum vel verſum eſt in ſcoriam, vt inquit Propheta; vel etiam colore alio ſuperinducto, mutatus eſt eius color optimus, obſcura-

Digitized by Google

ratumque eſt nigredine ineluibili, vt plãgit Hieremias. Multi ſunt etiam *filij Syon inclyti, amicti olim auro primo*, qui *reputati ſunt in vaſa teſtea, opus manuum figuli*. Multi denique, qui olim *candidiores Nazaræi niue, nitidiores lacte; rubicundiores ebore antiquo, Sapphiro pulchriores*; poſt commutationem vitæ, decorem ſuum priſtinum amiſerunt. ita vt idem Propheta in eos gemat, illud tritum: *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum, & non ſunt cogniti in plateis*. Hi ſi aurum, argentum & lapidem pretioſum, charitatis, integritatis, & virtutum perdunt, commiſſo aliquo peccato mortali, ſempiternis ignibus exurendi damnantur. Si vero charitas, caſtimonia, & reliquæ virtutes manent cum illis ex hoc tabernaculo mortalitatis exeuntibus, ſed tamen aliquo puluiſculo, vel aliqua ſcoria obſcuratæ; his exuſtis & purgatis, ſaluabuntur. *ſic tamen quaſi per ignem*.

Serm. 4. in Commem. anim. Recte Aug. Multi ſunt, *inquit*, qui lectionem iſtam *ex S. Paulo adductam* malè intelligentes, falſa ſecuritate decipiuntur, dum credunt, quod ſi ſupra fundamentum Chriſti capitalia crimina ædificent, peccata ipſa per ignem tranſitorium poſſint purgari, & ipſi poſtea ad vitam perpetuã peruenire. Intellectus iſte, fratres chariſſimi, corrigendus eſt. quia ipſi ſe ſeducunt, qui taliter ſibi blandiuntur. Illo enim tranſitorio igne, de quo dixit Apoſtolus; *ipſe enim ſaluus erit, ſic tamen quaſi per ignem*, non capitalia, ſed minuta peccata purgantur.

Si quis Caim, parricidali ſanguine impiatus, impœnitens; in ignem æternum detruditor. Si quis Penthapolita, poſt alienam carnem ambulans, impœnitens: flammis æternis, deuorator. Si quis ſeditioſus Core, Dathan vel Abyrõ; ſi quis alieno igne ſacrificium laudis incendens; ſi quis ex ordine talium, vel hęreſi, vel ſchyſmate, vel ſeditione, a Principe pacis, & Domo pacis diutius impœnitens, perpetuo incendio deflagrato. Cæterum ſi quis verbum otioſum dixiſti; ſi quis Solem, id eſt rationis lumen ſuper iracundiam non es paſſus occumbere. ſcilicet, qui iracundię erumpenti non ſuccubuiſti, ſed inter eos fuiſti, quibus a Dauide dictum: *iraſcimini, & nolite peccare*: Si quis *peccatum* aliquod *non ad mortem* commiſiſti, teque puluiſculo quotidiano veniabili aſperſiſti; ſi quis ſtipulam, fęnum, aut lignum aliquod non mortalis delicti, fundamento fidei ſuperinduxiſti: ne diffide. Eſt peccatum, non ad mortem, ſed ad ignem probatorium & purgatorium. Si *iuſtus*, qui *ſepties in die cadit*, nec tamen quicquam de iuſtitia ſolidum omittit, aut quid magnum contra iuſtitiam admittit, tu quoque fueris; cum primum in manus Domini flammeas aſſumptus fueris, ille in cuius manibus iuſtorum animæ ſunt, te quoque conflabit, colabit, purgabit, & probatum atque purgatum, ſalute ſempiterna donabit.

Tabella hierogl. moderiũ ſalutis Nuper in Præneſtinis ruinis, aſpiciente Calcagnino, reperta eſt tabella, Hieroglyphicis imaginibus depicta, quibus, niſi fallor, myſterium ſalutis noſtræ adumbrabatur. Montem arduum, flammis erumpentibus, vndequaque corruſcantem pinxerat aliquis. In eius faſtigio aſtabat Deus, omni genere voluptatis & felicitatis affluus. Huic adſtites Diua quędam, cathenam auream ex alto demittens, ad montis pedem. Cathenę alligatus erat lapillus Lydius, ſed ignitus, & in modum carbunculi inflammatus. Ad montis radicem multi mortalium anhęlo ore, raptabant cathenam demiſ-

ſam, quę trahax eorum ad culmen montis. Felices aliquos, qui lapillum ignitum poterant ore hiulco continere, perque medios ignes eniti ad montē felicitatis Diuinæ. Infelices reliquos, qui nec Heraclium flammantem ore, nec flammas hinc inde per cliuum emicantes corpore ſuſtinere quibant, quin caderēt in ſubiectā voraginem abyſſi. Quiſpiā volebat ſignificare modum & viam, per quam aditus ad altum felicitatis montem, in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo. Prouidentiſſima eius beneficentia, aſſidue verſat cathenam, trahacem omnium ad vitam.

Quis enim eſt, quem pertranſeat ille qui *omnes vult ſaluos fieri, & ad agnitionem eius nominis peruenire?* Cæterum huic cathenæ, adiunctus eſt probatorius index. Lapillus, ſed flammans, ſed ardens, ſed amburēs. Audio quendam Sanctorum dicentem. *Probaſti me Deus, igne me examinaſti.* forte iſto Lydio. Per hunc probatorium lapidem, nemo eſt qui non tranſeat. Hunc purgatorium lapillū, oportet vt quiuis in ore ſuo includat, hinc de mundo ad montem illum præaltum contendens. Beatus, qui poterit continere, ne euomat, neve euomendo cadat. Talis enim ſaluabitur, *ſic tamen quaſi per ignem.* præſertim ſi adiutus orationibus Sanctorum.

Mortui poſſunt iuuari. 1. Ioan. 5

Si enim, vt inquit Ioannes, *eſt aliquod peccatum vſque ad mortem non pro quo*, vt ille ait, *dico vt roget quis*: certe veniale & purgabile eſt tale, vt pro eo roget quis; cum non ſit ad mortem. præſertim cum Saluator ſpem faciat, huic qui veniali delicto in carcerem illum temporarium detruſus exuritur, ſeu probatur, quod exinde exeat, cum primum ſoluerit vſque ad minimum quadrantem. ſoluere autem poteſt per Eccleſiam deprecantem. Vnicum narrabo eius rei exemplum, quomodo, & propter quid, animæ in purgatorio torquean tur, & quomodo, & propter quid redimantur.

Pytheus apud Baron. an. 874. vt Ludouicus.

Ludouico Secundo Imperatori eiuſmodi viſio obiecta eſt. Diebus Quadrageſimæ cum negotijs ſecularium rerum diſpoſitis, orationi vacaret, vidit quadā nocte in ſomnis, genitorem ſuum Ludouicū Imperatorem in anguſtijs cōſtitutum, qui eum hoc modo, Latino affatus eſt ſermone. Adiuro te per D.N.I. Chriſtum, vt me eripias ab his tormentis, in quibus detineor, vt tandē aliquando vitam poſſim habere æternam. Hoc ergo viſu perterritus, epiſtolas per cuncta Regni ſui monaſteria deſtinauit, obnixe poſtulās, vt pro anima eius in tormentis poſita (poſt annos 30. & amplius ab obitu ipſius) ſuis apud Deum precibus interuenirent. Vnde datur intelligi, quod quamuis memoratus Imperator, multa laudabilia & Deo placita feciſſet, plurima tamen legi Dei cōtraria in Regno ſuo fieri permiſit, Si enim, vt cætera omittam, hæreſi Nicolaitarum firmiter & viriliter reſtitiſſet, & monita Gabrielis Archangeli, quæ Aeginardus Abbas 12. capitulis compræhenſa ei obtulit legenda, obſeruare curaſſet, forſitan talia non paſſus fuiſſet. Sed quia (vt ſcriptum eſt) Deus nullum peccatum remittit impunitum; & iuxta Apoſtolum, non ſolum qui faciunt, ſed qui conſentiunt facientibus digni ſunt morte, merito pœnas luere viſus eſt, qui dum potuit commiſſorum errata, vel admonitus corrigere noluit. Quia vero Deus, nullum bonum irremuneratum omittit, placuit Deo propter orationes Sanctorum, a pœnis illum liberare, atq; ad refrigerium felicitatis æternæ admittere. Vt enim D. Auguſt. docet. *& aliȳ pȳ.*

Oratio-

Serm. 32 de verb. Apoſt. Orationibus ſanctæ Eccleſiæ, & ſacrificio ſalutari, & eleemoſynis, quę pro eorum ſpiritibus erogantur, nõ eſt dubitandum mortuos adiuuari, vt cum eis miſericordius agatur a Domino, quam eorum peccata meruerunt. hoc enim a Patribus traditum, vniuerſa obſeruat Eccleſia, vt pro eis qui in corporis & ſanguinis Chriſti communione defuncti ſunt, cum ad ipſum ſacrificium loco ſuo commemorátur, oretur, ac pro illis quoque offerri commemoratur. *propter orationes Sacrificia & eleemoſynas.*

hom. 42. in 1. ad Corinth. In eandem ſenẽtiam, & S. Chryſoſtomus iuit differens. Iuuetur, *inquit*, peccator defunctus, non lachrymis, ſed prece, ſupplicationibus, eleemoſynis, oblationibus. Non eſt temerè hoc excogitatum, nec fruſtra memoriam mortuorum inter Sacra myſteria celebramus, aut accedimus, pro iſtis Agnum illum iacentẽ & peccata mundi tollentem deprecantes, ſed vt hinc aliqua eis conſolatio fiat. Nec temerè, qui altari aſſiſtit, inter horrenda myſteria clamat; Pro omnibus in Chriſto dormiẽtibus, & pro his qui memoriam celebrant illorum. Nam nunquam iſta fierent, neque hæc dicerentur, ſi illos nõ iuuarent. Nam ſi Iobi illius liberos patris victima purgauit: quid dubites, è nobis quoq; ſi pro dormientibus offeramus, ſolatij quiddam illis acceſſurum? Gratificari Deus propter alios alijs ſolet, quod Paulus oſtendit dicens: *vt ex multis perſonis, pro dono in nos collato, per multos gratiæ pro vobis agantur.* vnum enim corpus omnes ſumus. ſint membra licet alia alijs illuſtriora, vndique ipſis veniam impetrare licet, precibus pro ipſis effuſis, muneribus datis, conſortio eorum, inter quos velut commune corpus referuntur. & alibi idem Sanctus. *qua ab inſtitutione Apoſtolorum*

homil. 4. in epiſt. Precantes pro defunctis, adhortemur & alios, vt pro illis orent, pauperibusq; indeſinẽter pro illis eleemoſynas demus. Habet res iſta nõnihil conſolationis. Audi quippe, quid Deus dicat: Protegam Ciuitatem iſtam propter me, & propter Dauid ſeruum meum. Si memoria duntaxat iuſti tantum valuit; quando & opera pro tali fiunt, quid non poterunt? Non fruſtra ab Apoſtolis ſancitum eſt, vt in celebratione venerandorum myſteriorum, memoria fiat eorum, qui hinc diſceſſerunt. Nouerant illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Stante ſiquidem vniuerſo populo, & manus in cœlos extendente; cętu item Sacerdotali, verendoq; poſito ſacrificio, quomodo Deum non placaremus, pro iſtis orantes? Verumtamen iſtud quidẽ de illis dicimus, qui in fide abſceſſerunt. *addo ego.* idq; non omnibus; ſed vt Auguſtinus ſubiungit, *pro iis, qui cum viuerent, hæc ſibi, vt poſtea poſſent prodeſſe poſt mortem, meruerunt.* *ad Philipp.*

Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem, nec tam malus, vt ei non proſint iſta poſt mortem. Eſt vero talis in bono, vt hæc non requirat: & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cum de hac vita tranſierit, adiuuari.

Dilecti. habeamus iſta, oro, præ oculis, & omnimode caueamus, ne hinc aliquid efferamus diſcedentes, quod mucrone probatorio exuri poſſit. Nam facies iudicis noſtri *ſicut Sol lucet in virtute ſua.* quo lumine illuſtrans animas perſpicit, q̃d quæq; fundamento fidei ſuperſtruxerit. an aurum? an lutum? an fœnum? an ſtipulam? an lignum? an vero argentum, aut lapidem pretioſum multum? Lacones non tolerarunt, quod quidam ſcuto ſuo nonnihil purpuræ aſſuiſſet. neque Deus tolerat, ſi aliquis animæ ſuæ, aliquid

peregrinum adiecerit. Dicit, *Argentum reprobum vocate eos*. quos in camino purgatorio conflat, neq; ex eis exit rubigo, per illum ignem. Secundo vero illud pietatis opus, ſi aliquando, hodie exerceamus. Illos videlicet, qui votis ardētiſſimis nos interpellant, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*, prece, precio ſanguinis Ieſu, precioque eleemoſynarum adiuuemus. Non in vanum, hanc curam curaueritis. *Sancta & ſalubris eſt cogitatio pro defunctis exorare, vt a peccatis ſoluantur*.

Vtilitas orandi pro defunctis. *Sancta*, quia a ſancta charitate profecta, quæ adhucdum inter nos, & illos ſubpedaneos nobis, *non excidit*. *Salubris*, quia in crepidinem Altaris delata, prodeſt illis pro quibus ſuſcepta. Nec tantum illis, ſed etiam nobiſmetipſis, dum & a viuis expectabimus iſtud, quod nos hodie illis, nobis idem alij illi: & a mortuis ab illo tetro carcere, per gladium verſatilem emergentibus, certum in periculis adiuuamen.

maxima. Audiſtis vulgare illud, quod cuidam accidiſſe memoratur? Quottidie pro vita piè functis, orationes frequentes orabant. Accidit vt ſub ſeram noctem ſe domum recipiēs, Cæmeterij locum pertranſiret. Ibi a ſubſeſſoribus viarū, nocte intempeſta adorſus, de vita periclitabatur. nam ſiccarij hanc illi eripere conabantur. Nullus mortalium erat, qui clamantem exaudiret: aut a præſenti morte eriperet. omnes ſopor oppreſſerat. Sed non vita functos, pro quibus ille ſacrificia & preces quotidianas offerebat.

Ex ſepulchris enim exilientes, ſeque oculis graſſatorum inferentes, trepidum & iam ſemianimem ſuū precatorem, ab eorum gladijs ſubduxerunt: ijs metu exanimatis, & in fugam dilapſis. Ita illi vita certa, per illos quos orationibus & ſacrificijs releuarat, ſtetit, dum pene iam mortuus fuit. Salubrem itaque & nos pro eis cogitationem hanc ſuſcipiamus, ſi & ipſi nobis optamus, *quod illis hodie, nobis cras*; & tandem gladium verſatilem ſine noxa tranſire, ad patriam amænitatis æternæ. Amen.

IN FESTO PRAESENTAtionis SS. Virginis.

Ego murus: & vbera mea ſicut turris, ex quo facta ſum coram eo quaſi pacem reperiens. *Cant. 7. c.*

CONCIO.

Maria Murus.

FVROR, non ira eſt, cum quis florem affectus, in trucem fructum abire ſinit; ſed neque Pacatorem aut Placatorem admittit. Illiberalis, vt non dicam immanis Salomon, qui Matrem Bethſabeam, pro Adonia fratre orantem audiuit, nec exaudiuit, vt exaudire promiſit. quinimo & Filium mortis, illum talia poſtulantem renunciauit. Dixerat Matri, *Pete a me quod vis. neque enim fas eſt vt auertam faciē tuam.* *Salomonis incerta promiſſio.* Poſcebat illa rem puſillam, quę dari non donari poterat Adoniæ. ſcilicet Abiſagh Sunamitem Dauidis calefactoriam, in vxorem. *3. Reg. 2.* At Salomon furore percitus, *Hæc faciat mihi Deus & hæc addat*, inquit, *quia contra animam ſuam, locutus eſt Adonias verbum hoc*. Non ad eum modum agit nobiſcum Deus. Si quando. n. ſcelerib. noſtris iraſcitur, amat flagitari, & Mediatores, aut Deprecatores admittere. imo magis furore

re

re inardeſcit, ſi quiſpiam ei *non ſe opponit ſæpem pro domo Iſrael*, aut Conciliatricem fauoris, in gentem ſuam. Iracundiæ ſuæ oppoſuit hodie in templo, tenellam virgunculam, & futuram matrem Mariam, quæ murus lapillis pretioſis extructus, & vbera eius quaſi propugnaculum Chriſtianorum, defendens a furore Diuino. Structuram pariter & poteſtatem tutelarem huius muri, contemplabor.

Beatum ſe futurum cenſebat Tobias, ſi illius ſemini contigiſſet videre nouam Dei ciuitatem, Cœlis ipſis ampliorem, Mariam Diuam Deiparentem. *Beatus*, inquit, *ero, ſi fuerint reliquiæ ſeminis mei ad videndam claritatem Jeruſalem. Portæ Ieruſalem ex ſapphiro & ſmaragdo ædificabuntur, & ex lapide pretioſo omnis circuitus murorum eius* &c.

Datum eſt orbi olim aſpicere, hanc cui Eccleſia concinit.

Tu regis alti ianua.
Et porta lucis fulgida
Vitam datam per virginem
Gentes redemptæ plaudite

Maria murus et turris. & quæ ſeipſam appellat dicens, *ego murus, & vbera mea ſicut turris.* prout de illa explicat Guilhelmus dicens. *Ego murus* ſimul & mater. *Murus* ad protegendum, mater ad nutriendum: *murus* infirmis, mater paruulis. Propter inſufficiẽtiam virium, campum times: *murus* ſum; intra me abſcondere a facie inimici. De paruitate tua confunderis, & creſcere vis? Mater ſum, meo lacte nutrire. Murus ſum per fortitudinem; Mater per pietatem. Ego murus inexpugnabilis, & excelſa habẽs propugnacula; ego mater amabilis, & grandia habens vbera. Quã grandia? *ſicut turris.* Vbera mea nõ tantum ſunt vbera, ſed etiam turris: non tantum nutriendi, ſed & protegendi vim habent. Nullus me putet habere quo nutriam, & non habere quo muniam. materna pietas mea, quos nutrit, etiam munit: quos nutrit vt diſcant atque grandeſcant, munit a facie inimici, donec iam grandes effecti, contra eum in campum fiducialiter exeant. Sed numquid tu ô pia mater, numquid tu non vna es filiarum Euæ? Quid eſt quod tam glorioſa, tam præclara de te loqueris? Vnde tibi prærogatiua hæc? Non in me (*ait*) ſed in Domino glorior. Nihil enim habeo, quod non acceperim, vnde nec glorior, quaſi nõ acceperim. Quæritis quando eſſe cœperim, qualem me modo conſpicitis?

expl. loc. Cant. 7. de Maria.

Plane talis & tanta ſum, ex quo facta ſum coram eo, *quaſi pacem reperiens.* Inuſitate loqueris o pia mater, coram eo dicis, & de quo dicas, non exprimis: tamen habet nomen? *Quid quæris nomen eius, quod eſt mirabile?* Quid opus fuit exprimi, quod tam impreſſum eſt notitiæ omnium? Quis ignoret de illo loqui os meum, cui iugiter inhæret cor meum? *Ex abundantia enim cordis, os loquitur*, Ergo coram dilecto meo, coram Deo meo, facta ſum quaſi pacem reperiens.

Magnum quidem inimicitiarum chaos firmatum erat olim, inter Deum & hominem, venitque Deus diſſoluere illud & facere pacem. Venit in vterum meũ aſſumens ibi hoſtiam pacis, in ara crucis ſuo tempore immolandam: atque ideo magnum illud pacis Sacramentum, pręomnibus, ſiue Angelis, ſiue hominibus, mihi ſtatim innotuit. Denique mox vt ex carne mea Verbum caro factum eſt, inueni & ſenſi me habere in vtero de Spirituſancto, & reperi in vtero meo *quaſi pacem*: nondum quidem pacem, ſed iam *quaſi pacem*, ideſt hoſtiam pacis, cuius immolatio hoſtiæ plena pax.

Reppe-

Digitized by Google

Repperi & ſenſi ſubito in vtero meo hoſtiam pacis, & hoc non ex me:nam vt hoc reperirem,excellentis gratiæ fuit. Ergo Diuinitus facta ſum quaſi pacem reppериens, & hoc coram eo, non coram Angelis & hominibus. Nullus enim hominum ſciebat,quid in vtero meo ageretur:nec coram Angelis erat,quam ſuauiter ego ſentirem illud, ſed totus ille ſuauiſſimus atque dulciſſimus ſenſus meus, intus coram illo erat, de cuius vtique munere erat.

Porro ex quo ſenſi me in vtero habere de Spirituſancto procul dubio tantæ excellentiæ, tantę potentiæ,tantęque clementię facta ſum,vt omnibus ad me cõfugientibus,non tantum murus ſim ad muniendum, ſed & mater ad nutriendum: & talis mater, cuius *vbera ſunt ſicut turris*: ideſt, cuius materna pietas non tantum paruulos nutriat; ſed etiam dum adhuc in nutrimentis ſunt, & minus apti ad prælium,hoſtibus inacceſſibiles faciat;cum ereuerint,fiducialiter proceſſuros in campum,

Maria murus ſmaragdinus. non tantum *carnem & ſanguinem, ſed & ſpiritualia nequitię in cæleſtibus* prouocaturos ad prelium. Adeo eſt pia mater,adeo fortis murus,fortis turris. Sed quæ materia huius parietis? huius portæ?

Smaragdi proprietates ad Mariam Smaragdos & Sapphiros, omnes denique lapides precioſos,prępuidebat Tobias futuros.

Smaragdum in præſenti conſideremus & Marię conferamus.

1. viror. Smaragdus *Iſidoro auctore*, gemmarum omnium viridium principatum obtinet. Nulli enim gemmæ vel herbæ maior ineſt viriditas quã Smaragdo. *Plinius de illo refert*. *Plin lib. 37. c. 5.* Nullius coloris aſpectus iucundior eſt. Nam herbas quoque virentes frondesque auide ſpectamus.

Smaragdos vero tanto libentius, quoniã nihil omnino viridius comparatum illis viret. Soli gemmarum contuitu oculos implent, nec ſatiãt: ſcalpentibusq; gẽmas non alia gratior refectio oculorum eſt:ita viridi lenitate laſſitudinem mulcent, virẽtium in caudis pauonum columbarumque collo plumis aſſimiles.

hierogl. virginitatis ſmaragdus. Symbolum eſt virginum, inter quas beatiſſimas beata virgo Maria obtinet principatum. Virgines quæ regi regũ Ieſu adducuntur ab Eccleſia, ſunt *poſt eam* vt ordine, ita dignitate. Ordine,illa enim Primiceria eſt Virginum, Maxima ſeu Antiſtita Veſtarum. Dignitate vero. Decebat enim, vt Anſelmus ait,Reginam virginum, vt tanta puritate niteret, qua maior ſub cœlo nequit inueniri. Hoc lapillo extructa eſt regis alti ianua, per quam ille clauſam, de cęlis in terras proceſſit.

2. Plinius in dedem Smaragdi lõginquo amplificãtur viſu, inficiẽtes circa ſe repercuſſum aera, nõ Sole mutati,nõ vmbra, nõ lucernis, ſemperq; ſenſim radiãtes & viſum admittentes,ad craſſitudinem ſui facilitate translucida. Longe lateque,ex illo templo in quo hodie præſentata virgo diffundebat claritatis ſuæ fulgorem, ita vt non ipſi tantum parietes quibus claudebatur, ſed multo magis abſidæ cęleſtes illuminabantur, radijs virtutum diffuſilibus ex mente ipſius. Præſens erat ad Ioannem,qui lucerna ardens & lucens,nihilo mutabatur;Solem iuſtitiæ in ſuo vtero claudebat,a præuia obumbratione Spiritus ſancti, tunc vel maxime corruſcabat,virginitatis viridi integritate ſeruata.

Smaragdus ſi expoliatur, admodum ſpeculi reddit imagines. Diua virgo adhuc in vtero ſanctificata, & gratiæ plenitudine nitidata, facta eſt ſpeculum ſine macula, digna quæ referret illum qui eſt imago bonitatis Diuinæ, figura & chara- 3.

ćter

ctet ſubſtantiæ eius.

4. Smaragdus in modum ſpeculi lęuigatus, eiaculatur ex ſe radium, qui ſuo nitore tingit aerem circumfuſum. & Beata Maria ex ſe Dei filium, qui emanatio claritatis omnipotentis Dei ſincera. Vnde canit Eccleſia. Sicut ſidus radium, profert virgo filium, pari forma: neque ſidus radio, neque mater filio fuit corrupta. Hęc filij viriditate, ſeu virginali carne qua ipſum incorporauit, non tantum circumſtantes, & proximos ei Iudeos, ſed longe diſſitos reges Tharſis & inſulę, reges Arabum & Sabba, inſuper & vniuerſum mundum, tanquam circummicantibus radijs colluſtrauit. *Iris erat in circuitu ſedis*, vt Ioannes aſpexit, quam filius Dei inſedit, *ſimilis viſioni ſmaragdinæ*.

5. In Cypro inſula, *refert Plinius*, tumulo Reguli Hermię iuxta cetarias, marmoreo leoni fuiſſe inditos oculos, ex Smaragdis, ita radiantibus etiam ingurgitē, vt territi, inſtrumenta refugerent thynni, diu mirantibus nouitatem piſcatoribus, donec mutauere oculi gēmas.

In facie Eccleſię eminens Diua virgo Deipara, tanquam Smaragdino aliquo radio, percellit Draconē inferni, ne ad illam appropinquare auſus fuerit. Refugiebat ille aſpectum ipſius. quippe quod ſciebat, Lunatum ſuum verticem, pede eius premendum, & ſerpentinum caput, calcaneo obterendum.

6. Smaragdus, *Dioſcoridi*, medicam dicitur habere virtutem; iuuat epilepticos; elephantiaſi correptos, ophtalmia laborantes, nec non alijs morbis affectos, ſiue ex potu ſiue ex geſtatione ſanat. Certior & citior, medicina eſt a Diua Deiparente, quam poſt alios patres, Ephręm Edeſſenus appellat, ęgrotantium hilaritatem, ſolitariorum ſtabilimentum, ſpem ac perfugium miſerorum, portum & mundi ſolatium, & eorum libertatem, qui vel in cuſtodiam dati ſunt, vel ab hoſtibus ſeruitute oppreſſi tenētur. Per illam ſe ſaluum & incolumem fore confidens, ita eandem interpellat. Aue, inquit, Dei ſplendidiſſimum & luculentiſſimum vas. Aue quę omniū regem mirabiliter peperiſti. Aue per quam nobis Sol ille tam præſtans, tamque pręclarus illuxit. Aue quę cunctis rebus emines, quas vniuerſitatis molitor effecit. Aue canticum & hymnus Angelorum, ſiue quos Diuina flamma atque ardor incendit, ſiue qui a miſſione nomen acceperunt. Salue Prophetarum decor, pulchritudo martyrum, corona Sacerdotum, lingua eorum qui verſus pangunt, præſtantiſſimum Orbis terræ miraculum, mortalium voluptas, lignum vitę, deliciarum paradiſe, vallum propugnaculumque fidelium, periclitantium incolumitas, Adami primi noſtri parentis Anaſtaſis, peccatorum hoſpitium, propitiatorium laborantium, Dei atque hominum internuncia, pacis interpres, porta cœli, aditus aſcenſuſque noſter ad illud lumen inacceſſum. His titulis ornabat Ephræm, Diuam Dei Matrem. Neque immerito; hæc eſt enim quæ non ſolum morbis animi & corporis medetur, ſed & ad vitam vtramque educit & reuocat ſuos clientes. Audite ſequens factum. Molitor erat Ioannes Maſſardus, iuxta Abbatiam Lobienſem in Hannonia, cui vxor Catharina eaque fætu grauida, & menſibus vtero legitimis fere iam exactis. Molitor iſte idem faber lignarius erat: itaque per eam cauſam foras egreſſus, molam & domum vxori commendat. Vxor ſedulo officium factura, rotam molarem cenſet tardiuſcule volui, atque aquæ ino-

pem

Encomia D. Deipara.

Miraculū a cultu D. Deiparę. Lipſ. in D. Hallen. c. 24. a. 1440.

pem eſſe. Venit igitur, repagulum ligneum leuatura, & flumen vberius admiſſura. Sed dum conatur, tabula ſiue ponticulus cui inſiſtit, frangitur: atque in aquam ea, & ſub ipſam rotam lapſa hæret. Nam rota liberam volutionem non habere, & ipſa identidem ſub rota premi; atque ita tum aquis mergi, tum pondere ſimul cum fætu ſuo alidi. Semihoram amplius ſic iacet. ſed initio lapſus Diuam Virginem Halleñ. in mente habet, atque inuocat: quę palam à duplici periculo, & merſionis, & oppreſſionis ſeruat. Nam maritus tandem ſuperuenit. & miratur molam ſiſtere, nec circumagi, vxorem etiam requirit: cum ecce eam ſub mola adſtrictam videt, & conſternatus *Opem Opem* clamat. Accurrunt vicini, inter eos Prætor & religioſi etiam aliquot Lobienſes: mulierem ægre ſubtrahunt, certo non arbitrario mortuã, vt cenſebant. At illa viuam & ſanam ſe exhibet, *Sanctam Mariam* in ore ingeminans, eiuſque præſidio tutam ſe coram omnibus teſtata. Poſt dies etiam aliquot pulchrum puerum parit, qui dies duodecim ſuperuixit: quod omnes iure mirabantur, tanto illo rotę pondere, ne fætum quidem non dicam eliſum, ſed læſum.

Cum itaque tam illuſtris, tamque præpotens ſit hic murus & hęc Porta Smaragdina Diua Virgo, age & nos poplite inflexo ſalutemus cum Ephræmo geminantes. Aue quę me rore affectos conſolaris, oppreſſos releuas, nauigantes in portu collocas, mortuos prece ad vitam reuocas; cęlorum claues geris. Aue quę illum, qui comprehendi ac circumſcribi non poteſt, in vtero clauſum tenuiſti. Aue quæ Chriſtum vitę largitorem educaſti. Mater es pientiſſima; refoue flebiles. Tutris es ſmaragdina, tuere perditos, ægris medere moribus, ad vitam veram reuoca, quę viuis in ſecula. Amen.

IN FESTO S. CATHERINAE Virginis & Mart.

Quærenti bonas Margaritas. *Matth.* 13.

CONCIO.

S. Catherina vnio virtutum.

CVM Ieroſolyma Cœleſtis, fundata & conſtructa ſit, ex margaritis & lapidibus pretioſis; non mirum ſi cadente illo, cuius operimentum erat omnis lapis ſpecioſus, mercatoris ſpeciem induens Chriſtus, venerit in orbem, quærere, ſeu generare pretioſos vniones. ſcilicet *vt impleret ruinas*, hiſcentes poſt caſum decidui Luciferi, & Luciferianorum. Inuenit hodie, vnicum præ cæteris vnionem Diuam Catherinam; Virginitate, ſapientia, virtutibus, inſuper & conſtantia incredibili præditem. tulit, cœlo inſeruit, nobiſque in exemplar cõſtituit virtutis, quod nunc nunc aſpicio & propono.

Vnionis generatio & dotes ad Virginitatem. 1.

Vnionum talis eſt generatio. Conchæ, quæ oſtreacei generis ſunt, cum Sol exoritur, ad radiarum iubar efumpunt, hiant, & ſe pandiculant, vt matutino rore illapſo margarito fœcundentur: quo cum grauidatæ fuerint, ſeſe cludunt, & rorem pellucidum in margaritum, ſeu vnionem transformant. Quod itaque vniones ex rore generantur, ſignificat, Virginitatis donum non eſſe aliunde, niſi a cęleſti irroratione. Virgines ſi quidem erti caro generat, caro tamen non conſeruat. Si de quopiam alio dictum eſt ab Ioanne; *Dedit eis poteſtatem filii os Dei*

Digitized by Google

Dei fieri his videlicet, qui neque ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt; magis certe de virginibus vſurpari poteſt, quod hæ, non ex carne, ſed ex Dei inſpiratione, virgines a meliori generatione quę voto conſtat, enatæ. Quomodo enim ex carne, ſi huic induitum, *Creſcite & multiplicamini, & repleta terram*? Quomodo ex carne, ſi hæc quotidie corrumpitur, & aggrauat animam, atque deprimit ſenſum multa cogitantem? Quomodo ex carne virginitas ineſt, ſi carni ineſt incentiuum; nunquam reſtinguendum?

Carnis beſtilitas cum anima

Aliæ virtutes a carne habent adiumentum, vt pote quæ officina eſt multarum: Virginitas ab hac, etiam impedimentum. Sit licet emortua, & prope exanguis, erit qui clamet. *Tolle paleam, adhuc igniculus viget.* Sit licet ſubacta ieiunijs, flagellis, vigilijs multis, vt illius, qui gloriabatur, *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitem redigo*: tamen & iſte infelicem ſe pronunciabat; *quia*, inquit, *datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, angelus Sathanæ qui me per me colaphizet.* rogaui Dominum vt illum vel retunderet, vel auferret: reſpondit. *Sufficit tibi gratia mea*, vt habeas, cũ tentatione prouentum.

Iob referebat virtutẽ Behemoth eſſe *in lumbis eius*, & poteſtatem eiuſdem, in vmbilico illius. Ipſe quidem quia ſpiritus eſt qui carnem & oſſa non habet; caret quoque & lumbis & vmbilico, in quibus fomenta luxuriæ. Noſtris lumbis & vmbilico tanquam ſuis abutitur, vt pote in quibus nouit reconditas flammas, & occultos ſub cinere ignes. quos vel leui flabello illi excitare non difficile, nimirum aſpectu incauto, auditione mala, tactione infræni; ita vt qui in hac ſeruãda plus ſe exercuerit, quandoque multo plura incentiua ignis ſulphurei, perſentiſcat: nec, quod in alijs virtutibus vſu & exercitatione diuturnã euenit, in virginitatis illibato candore, non aliquo motu temerando alluceſcat.

virtus Behemoth in lumbis.

Saram virginem totis quadraginta annis, tentationibus, vix non ſuccubuiſſe, at certe diuexatam fuiſſe lego. Quendam Sanctorum Patrum, herbis crudis & aqua vitam tolerantem, tamen longe pluribus annis, in hac arena decertaſſe ſcio. *Multos deinde ſub hac arbore* quidam *cecidiſſe vidit, de quorum ſanctitate non minus dubitabat, quam de Ambroſij. aut Hieronymi.* Hieronymus certe ita de ſe luculenter teſtatur. Sedebam ſolus, qui amaritudine plenus eram. horrebant ſacco membra deformia, & ſquallidum cutis ſitum Aethiopicæ carnis obduxerat: quotidie lacrymæ, quotidie gemitus: & ſi quando repugnantem ſomnus imminens oppreſſiſſet, nuda humo vix oſſa hærentia collidebam. De cibis vero & potu taceo, cum etiam languentes monachi aquã frigida vtantur, & coctum aliquid accepiſſe, luxuria ſit. Ille igitur ego, qui ob gehennæ metũ, tali me carcere ipſe damnaueram, ſcorpionum tantum ſocius & ferarum, ſæpe choris intereram puellarum: pallebant ora ieiunijs, & mens deſiderijs æſtuabat in frigido corpore. & ante hominem ſua iam carne præmortuum, ſola libidinum incendia bulliebant. Hem? An caro dat Virginitatem? Bene ſapiens. *Non poſſum eſſe continens*, inquit, *niſi Deus dederit*. Non dat continentiam pulchritudo: rara enim concordia formæ & pudicitiæ. Non opes; namque iſtę *irritamenta* ſunt *malorum*. Non dignitates, non libertas, non intemperantia: imo iſta omnia, fornacem hanc Aethneam in nobis accendũt. Margariti huius genitura eſt, ex il-

liquio liquoris purioris, a ſtillicidio Diuino.

2. Vniones generantur clauſa concha: Virginitas itē ex ſenſuum clauſura. Male ſuada Dina, quæ ſe non cuſtodiuit, ſed egreſſa ſtuprum perpeſſa eſt. Male virgo ille, qui plorat; *Oculus meus depredatus eſt animam meam.* Male continentes illi, qui *videntes filias hominum, quod pulchræ eſſent, ingreſſi ſunt ad eas.* Male pudici illi ſenes, qui Suſannæ ſpecie capti, thoro immaculato inſidias ſtruentes, in foueam effoſam ceciderunt. Male caſtus ille, in ſolario domus obambulãs, Bethſabeę amoribus illicitis peruſtus. Sponſa in cãticis, oppeſſulatis foribus dormit. Docet, Virginem cluſam ſemper eſſe debere. Veteres, teſtudinem Veneris ſuppedaneam affingebant, & adpingebant. Domiporta & Domicluſa eſt iſta, & virginem decet. Recte ille qui pepigerat fœdus cum oculis ſuis, vt ne cogitaret quidem de virgine.

Cuſtodia Virginitatis.

hierogl. Cuſtodiæ Virginis.

Beatus Martinus epiſcopus, cum virginem quandam vitæ ſanctitate percelebrem inuiſere vellet, & illa aditu negato ei excuſando dixiſſet. *Mi Pater ſancte ora pro me, quia a viro nunquam ſum viſitata:* gratias egiſſe Deo fertur, quod illa talibus imbuta moribus caſtam cuſtodiret voluntatem; & benedicens eam abijſſe lætus.

Diua quoque Catherina virgo ſe ſepſerat lectione ſcripturarum, ſtudioque ſapientiæ; quam qui complectuntur, mirum eſt quam ſe illibatos cuſtodiant. Ama, *inquit Hieronymus,* ſcientiam ſcripturarum, & carnis vitia non amabis. Summopere amabat Catherina virgo ſapientiam quæ eſt ex lectione ſacrorum. Hic legebat ſponſum Ieſum, ſpecioſum forma præ filijs hominũ, cui in labijs diffuſa erat gratia, cui in manibus diuitiæ & gloria. cui thalamus, Sol ipſe, in quo poſuit tabernaculum ſuum. qui Sponſas Reginas orbis renunciat, & ſupra ſidera vehit. Itaque ſe illi dignam virginem offerebat, hac cogitatione pellecta. Si mihi ſponſus legendus a nobilitate? Ieſu meo nullus nobilior, qui natus de pectore Conditoris Orbis. Si a forma? Ieſu meo nullus venuſtior, pote cuius pulchritudinem Sol & Luna mirantur. Si a Sapientia? Ieſus meus ipſa eſt Sapientia Patris, per quam & condita, & ornata, & conſeruata ſunt omnia. Si a diuitijs? Ieſus meus theſaurus eſt abſconditus in agro. Me felicem, ſi diuenditis omnibus quæ poſſideo, vel duobus his minutis minutuliscomparauerim illum. Si propter dignitatem, potentiam, felicitatem, ambiendus mihi aliquis? hic eſto vnicus & ſolus Rex Regum, & Dominus Dominantium, Diues & affluens in omnes, qui inuocant illum. Beatam me, ſi ego eius ſponſalitio & thalamis digna. Indignam me fateor eſſe, tamen tantam quanta ſum, me illi ſoli dico, offero, conſecro, nunquam a maligno pollice execrandam.

Catharina ſapiens.

Vnionum præcipua laus eſt in candore, & rotunditate. Candida & teres debet eſſe Virgo. Pura non magis corpore quam mente, rotundata ipſa charitatis torno. Sacerdoti ſupremo, neſas erat ducere *viduam, repudiatam, ſordidam, meretricem, aut aliqua labe vel corporis vel famæ denigratam.* Ducet, *inquit,* Virginem forma conſpicuam, indole egregiam, famæ integritate laudatam. Talem ſummus noſter Hierarcha concupiſcit. Illa virginitas hoſtia Chriſti eſt, *ait Hieronymus,* cuius nec mentem cogitatio, neque carnem maculat libido. Diſplicet Chriſto, vidua, quę aliquando 3. & 4.

Leuit. 21

quando

quando carnis illectamenta antecedanea, in memoria voluit. Repudiatam & ſordidam, deteſtatur, quæ cuique obuiæ cogitationi patet. Virginibus oblectatur, quæ nunquam contaminatæ, ſed ſemper animo & carne puriſſimæ.

Teretem quoque virgininem ambit. *Audi filia*, inquit, *& vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum patris tui. & concupiſcet rex decorem tuum.* Amorem non interruptum, neque interciſum, ſed omnibus æqualem partibus, volubilemque ad omnia mandata, in virgine deſiderat. Quantalibet enim venuſtate ſui *inquit Bernardus*, caſtitas eminere appareat, ſine charitate tamen, nec precium habet, nec meritum. Nec mirum. Quod enim abſque illa bonum ſuſcipitur? Fides? ſed nec ſi montes transferat. Scientia? ſed ne illa quidem, quæ lingua loquitur Angelorum. Martyrium? nec ſi tradidero, *inquit*, corpus meum igni vt ardeam. Nec abſque illa quodlibet bonum ſuſcipitur, nec cum illa quamlibet exiguum reſpuitur. Caſtitas ſine charitate, lampas eſt ſine oleo. Subſtrahe oleum, lampas non lucet. Tolle charitatem, caſtitas non placet. *Sed ò quam pulchra eſt* (vt Sapiens) clamat) *caſta generatio cum charitate*? Cum illa, inquam, charitate, quam deſcribit Apoſtolus de corde puro, & conſcientia bona, & fide non ficta. Porro puritas cordis in duobus conſiſtit; in quærenda gloria Dej, & vtilitate proximi. Vt videlicet in omnibus actis ſuis vel dictis, illud quęrat Caſtus, quod eſt aut ad Dei honorem, aut ſalutem proximorum, aut vtrumque.

Charitatis iunctura neceſſaria virginitate. epiſtola 42.

Vtrumque quæſiuit Diua Catherina, quæ cum ab ineũte ętate, & liberalibus diſciplinis, & ſanctis moribus inſtituta eſſet, in eam ſanctitatis & doctrinæ magnitudinem euaſit, vt annos nata decem & octo doctiſſimos etiam viros & grauiſſimos ſuperaret. Tanto ſtudio flagrans pietatis, vt cum Maxentij ſæuitia multos Chriſtianorũ, ad ſupplicia & necem abſtrahi animaduerteret, non dubitauerit ipſum adire, eidemque immanitatem impietatemque grauiſſimis, & doctiſſimis verbis improperare. Cuius ſapientiam & conſtantiam demiratus Maxentius, eam aſſeruari iubet, & ex varijs regionibus viros doctos conuocari, magno præmio propoſito, ſi quis Catharinam conuiciſſet, & a religione Chriſtianorum auertiſſet. Quod longe ſecus euenit. Habita enim longa, cum quinquaginta, qui conuenerant, doctiſſimis Philoſophis diſputatione, omnes ſuperatos ad Chriſti fidem conuertit, & ſic in fide confirmauit, vt pro ea mori non dubitauerint. Tunc Maxentius ad blanditias conuerſus, magnis pollicitionibus Catharinam agreditur. Quas cum virgo repudiaſſet. plumbatis ſcuticis grauiſſime cæſa in carcerem obſcuriſſimum detruditur, & vndecim diebus continuis fame & ſiti cruciata, ad gladiorum rotam extrahitur excarnificanda. Rota autem continuo, ad ipſius preces confracta, & comminuta eſt. Quo miraculo, multi ſunt ad Chriſti fidem conuerſi. Sed quum hæc omnia ſupplicia, magno animo, Diuina ope ſuperaſſet, iubente Maxentio, cuius erat obſtinatus animus, capite plexa, amorem geminum, quo ſponſo Cęleſti obſtringebatur, ſanguineo lacte teſtata eſt. Digna, quæ inter vniones Diuinos annumeretur, ex quibus ſuperior Ieroſolyma cõſtructa.

Vniones eliquati, dulciſſimi ſunt. 5.
Nullos tam ſuaues potuit Cleopatra ſuo Antonio offerre, vt Virgines obtulit Eccleſia. Paſcitur his vnion ibus

Digitized by Google

nionibus propter ſimilitudinem homogeneam, vt ſicut ille incorruptionis fons, & iſtæ ſimiles. Paſcitur inter virgines, propter tabernaculum quod ex eis aſſumpſit: quia quem cæli capere non poterant, tu ò Virginitas ſancta tuo gremio contuliſti. Paſcitur in iiſdem propter ſequelam continuam, & immediatam; propter canticum quod nemo poteſt præter illas cantare; propter venuſtatem quæ illis ſine ruga aut macula. O quam volupe illi erat conuerſari cum Catherina, quam adhuc in ergaſtulo viſitauit. & vt perpetuo oblectaretur cum ea, in Cœlum eandem deportauit monilibus Eccleſiæ accenſuit, & ineffabili beatitudine felicitauit in ſecula. Amen.

IN FESTO DEDICATIONIS Eccleſiæ.

Hodie huic domui ſalus a Deo facta eſt.

CONCIO.

De vſu & veneratione templorum.

SAVCIVM quem Samaritanus reperit in deſerto Hierichano, noluit in eo relinquere, ſed extemporanea cu ratione perſanatum, placuit ad ſtabulum deducere. Nota eſt, quam vt neceſſe ſit exponere, hiſtoria. Idem placuit hodie perambulanti Ieſu circa Hiericho, facere cum Zacheo. quem cum arbori hęrentem aſpexiſſet, procul dubio tribus lanceis quaſi Abſalonem conuulneratum, deſcendere ab hac Cruce iuſſit, inque diuerſorium Eccleſię introduxit, in qua ex filio Dęmonis, Abrahami filium progigneret, atque a gehenna ereptum, ſaluum faceret in domo Eccleſię; in cuius templis ſacratis, ſalus vniuerſo generi humano relicta eſt. Vſum & venerationem templorum, libet ex hac occaſione demoſtrare.

Statim vt collibuit Deo, ſegregare ſibi populum electum, qui, illum vnicum, vnice veneraretur, ſimul etiam placuit, cultus & ceremonias peculiares deſcribere, quibus non paſſim pro voluntate cuiuſque, neque in omnibus locis, ſed ex præſcripto ſacrorũ rituũ, in loco deſignato, inque Tẽplo ędificato coleretur. In deſerto Syna, voluit habere templum portatile; ad quod faciendum, & quicquid ad cultum & veſtes ſacras erat neceſſarium, filijs Iſrael præceperat offerre ſi quid apud illos eſſet pretioſum. *Templorum antiquitas.*

Rebus vero illorum iam confirmatis in Paleſtina, Salomonem permouit, vt templum illud magnificum, totoque orbe celeberrimum ædificaret; non quidẽ Deo clauden do; hunc.n. cæli & terra non poſſunt capere. ſed peculiari Dei præſentiæ in loco ſacrato demonſtrandæ, ſacris obeundis, orationibus orandis. Propter quarum efficaciã, & a peccatis expiarentur, & Deum ſibi redderent propitium, vt mala quæcunque amolliretur, bona autem poſtulata concederet.

Tranſlato Sacerdotio, & neceſſario etiam facta legis tranſlatione, neceſſarium quoque erat noui teſtamẽti hæredibus, quorum cor vnum & vna anima erat in Domino, loca ſacra poſſidere: in quibus & ſacrificio incruento ſtarent, & verbi Diuini pabulo reficerentur, & Sãctam Communionem vnitatis, in vnum conuenientes teſtarentur. Atque inprimis, cum a Chriſto relicti, orbitatem ſuam deplorarent, non palantes per compita, ſed in vna domo con-

Digitized by Google

congregati cum Maria matre Ieſu, ieiunijs & orationibus animas ſuas præparabant, in aduentũ paracleti. Sic Magna Roma tũc ſub mappalibus fuit, nondum Sinagogico templo diruto, nequedum cultum dæmonum ex delubris magnificis eliminato. Tamẽ multitudine credentium, atque pietate eorundem promouente, futurum erat vt excitaret Deus Magnos Conſtantinos, Theodoſios, Iuſtinianos, atque alios Principes Chriſtianos, qui antiquata ido-

Agg. 2. lomania, templa Deo longe auguſtiſſima ædificarent. vt impleretur vaticinium Aggæi Prophetæ. *Adhuc vnum modicum eſt, & ego commouebo cælum & terram, & mare, & aridam. Et mouebo omnes gentes. Et veniet deſideratus cunctis gentibus, & implebo domum iſtam gloria. dicit Dominus exercituum. Meum eſt argentum, & meum eſt aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus iſtius nouiſſimæ, pluſquam primæ, dicit Dominus exercituum. & in loco iſto dabo pacem, dicit Dominus exercituum.*

Templorum nouæ legis magnifi.

Maior erit, inquit, *gloria templi nouiſſimi*, quam Salomonis. Omitto comparare Baſilicas prope innumerabiles, vnico templo Salomonis, quantum ad ſtructuræ rationes. illa tantum cõmemorabo, quæ ſpiritualia ſunt & Cęleſtia, conceſſa templis Chriſtianorum, longe ampliora quam olim templo Salomonis. vt facile iudicetis, multo eſſe maiorem gloriam templorum noſtrorum, quam illius.

Comparatio tẽpli Salomonis & noſtrorũ.

1. Ad veteris templi conſecrationem, deſcendit quidem Deus, ſed in nebula & fumo; quem neipſi quidem Sacerdotes ſuſtinere quibant. Ad noſtrorum ipſe Chriſtus, Deus verus & homo, ſub ſpeciebus panis & vini abſconditus. quinimo & quandoque reuelatus. Ex multis referam vnum exemplum, vbi Chriſtus viſus eſt a quibuſdam in conſecratione Eccleſię. Dagobertus primus Gallorum rex in Pariſiorũ vrbe Diuo Dionyſio Templum extruxerat. Mira fuit eius templi dedicatio. Pontificibus enim qui conuenerant ad conſecrationem, leproſus quidam, qui in eo templo nocte illa excubuerat, narrauit, Chriſtum a ſe viſum, alioſque Sanctos templum dedicantes, iubente Chriſto, vt quod viderat Pontificibus ad dedicationem profectis referret; eiuſque rei, ne forte fides deſideraretur, ſignum oſtenderet illud, quod eſſet a lepra mundatus, cutiſque ex facie, quę tuberculis eius morbi vlceroſa eſſet, tota eſſet ſublata. Ei igitur non fides tantum eſt habita, ſed etiam a dedicatione Pontifices abſtinuerunt. In rei autem memoriam, nunc quoque detracta ex leproſi vultu cutis, aurea pixide condita oſtenditur, & dies quotannis inter ſolennes celebratur.

2. Ad ſanctificationem templi Salomonis, non vſquequaque Dęmones fugati. Quid enim idola illa, quę Deus demonſtrauit Ezechieli? Ad conſecrationem autem noſtrorum, extemplo effugiunt. Narrabo, quod D. Gregorius ipſe refert, ſuo tempore contigiſſe. Romæ in Subbura, Arrianorum erat Eccleſia ſub titulo S. Agathę. Placuit vt introductis illic B. Stephani & S. Marthæ martyrum reliquijs, in fide Catholica conſecraretur. Cumque in ea iam miſſarum ſolennia celebrarentur, *inquit Gregorius qui aderat conſecrator*, & præ eiuſdem loci anguſtia populi ſe turba comprimeret, quidam ex his qui extra ſacrarium ſtabant, porcum ſubito intra ſuos pedes huc illucque diſcurrere ſenſerunt. Quem dum vnuſquiſque ſentiret, & iuxta ſe ſtantibus indicaret

lib. 3. dialog. c. 30.

idem

idem porcus ianuas Eccleſiæ petijt, & omnes per quos tranſijt in admirationem commouit, ſed videri a nullo potuit, quamuis ſentiri potuiſſet. Quod idcirco Diuina pietas oſtendit, vt cunctis pateſceret, quia de loco eodē immundus habitator exiret. Peracta igitur celebratione miſſarum receſſimus, ſed adhuc nocte eadem, magnus in eiuſdem Eccleſiæ tectis ſtrepitus factus eſt, ac ſi in eis aliquis errando diſcurreret. Sequenti autem nocte grauior ſonitus excreuit, ac ſubito tanto terrore inſonuit, ac ſi omnis illa Eccleſia a fundamentis fuiſſet euerſa. Sed protinus receſſit, & nulla illic vlterius inquietudo antiqui hoſtis apparuit, ſed per terroris ſonitum quem fecit, innotuit quod a loco quem diu tenuerat coactus exibat. Poſt paucos vero dies, in magna ſerenitate aeris, ſuper altare eiuſdem Eccleſiæ nubes cælitus deſcendit, ſuoque illud velamine operuit, omnemque Eccleſiam tanto terrore ac ſuauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis, nullus illic præſumeret intrare. Sacerdotes quoque & cuſtodes, & hi qui ad celebranda miſſarum ſolennia venerant, rem videbant, ingredi minime poterant, & ſuauitatem mirifici odoris trahebant. Die vero alio, cum in ea lampades ſine lumine dependerent, emiſſo Diuinitus lumine ſunt accenſæ. Poſt paucos iterum dies, cum expletis miſſarum ſolenijs, extinctis lampadibus cuſtos ex eadem Eccleſia egreſſus fuiſſet, poſt paulum intrauit, & lampades quas extinctas relinquerat, lucentes reperit. Quas negligenter extinxiſſe ſe credens, eas iam ſolicitus extinxit. & exiens Eccleſiā clauſit. Sed poſt horarū trium ſpatium, regreſſus, lucentes lampades quas extinxerat, iterum accenſas inuenit. Vt videlicet ex ipſo lumine aperte clareſceret, quia locus ille a tenebris ad lucem, & a Principe tenebrarum, ad fontem Luminis tranſijſſet.

3. Templum Salomonis celebre fuerat a Sacris oblationibus, Sacris ritibus, & præſentia Numinis, quod ſupplices audiebat & exaudiebat. Sacratiores hoſtiæ in noſtris adytis offeruntur. Nempe pretioſum corpus & Diuinus ſanguis, non hircorum aut arietum, ſed ipſius Dei viuentis. Sacratiora ſunt Sacramenta in noſtris Sacrarijs recōdita; nempe quibus Filij Dei vel generantur, vel iam geniti aut roborantur, aut expiatur, aut dignitate Pontificia vel Sacerdotali inſigniuntur. quibus ijſdem initiati vel conſecrati fideles, Spiritu ſancto adimplentur, & Regni cæleſtis hæreditatem ſortiuntur. Sacratiores ſunt ritus, in noſtris Eccleſijs, quibus Deus Ter Max. in ſpiritu & veritate, de corde puro & fide non ficta colitur, adoratur, placatur. Proinde in hoc tentorio gloriæ ſuæ, ſuper ſolium excelſum eleuatus Deus, non inter fictiles aut ſuſiles, ſed inter viuos & rationales Cherubinos, Seraphinos, atq; alios beatiores Spiritus hic reſidens, ijs quæ intra ſunt ab eo defluentibus chariſmatibus, longe Diuinius replet templa noſtra. vt ab illorum plenitudine, vniuerſa terra repleatur maieſtate eius; neque ipſi tantū cœlites, ſed & noſtrates infantuli exurgant, vt ab eis laudem ſibi perficiat, nomenq; Diuinitatis ſuæ palam reuelet ad gentes.

4. Qui templum Salomonis, profana nundinatione taminabant, eos ipſe flagris cōpeſcuit; maieſtatemq; ſuam inibi ab alijs prophanatam ſeuere vltus eſt. Eſto, fecit ſemel vel tertio; Noſtra templa, ſeu potius, ipſius apud nos Baſilicas, ſiue ſacrilegio, ſiue aliqua labe, a quopiam temeratas, fere ſemper ab iniuria vindicabat.

Pauca

Pauca ex innumerabilibus dabo exempla, vindictæ Diuinæ in eos qui Templis ſacratis iniurij.

Templis iniurij quomodo puniti. Gundericus.

Gundericus rex Vuandalorum, capta Hiſpali, cum impiè elatus manus in Eccleſiam ipſius ciuitatis extendiſſet, mox Dei iudicio a Dæmone correptus interijt.

Veremũdus.

Veremundus Secundus Hiſpaniarum rex aggreſſus Gallatiæ Prouinciam, Compoſtellanam diripuit Eccleſiam; abſtinuit tamen a corpore Diui Iacobi, perterritus, *vt aiunt*, obuijs fulminibus: ex eoq; metu ſoluta aluo, cum incidiſſet in morbum dyſenteriæ ægre conualuit. Sed multi eius milites, internecino genere mortis abſumpti ſunt.

Vrracha.

Vrrachæ Reginæ ibidẽ in Hiſpania pœna quę ſacrilegium ſequuta eſt, admiranda prorſus ac celeritatis plena fuit. Nam cum in bello, quod aduerſum filium Alfonſum gerebat, pecunia ei deeſſet, & ſancti Iſidori in Legione vrbe Hiſpaniæ fanum ſpoliare decreuiſſet, cæteris eo tingere Sacros theſauros reformidantibus, ipſa manu ſua multa auferens, dum templo egreditur, mortua concidit.

Paulus.

Quam manifeſte in Pauli Græci pœna, cęleſtis vltio apparuit? qui cũ a Bamba Gotthorum rege deſciuiſſet, Hiſpaniarumque regis nomen vſurparet, ac præter multa alia impiè facta, coronam quoque in vrbe Gerunda, a Bamba rege, ſancto Felici dono datam de templo tuliſſet, haud diu poſt perpetrati ſceleris pęnas tulit. Captus enim a Bamba, a quo rebellarat, Nemauſi vrbe Gallica, atque Toletum in Hiſpaniam perductus, piceo diademate coronatus, luminibusque orbatus, non ſine magno eorum qui hominem viderant ludibrio, camelo eum ferente auerſus inſedit.

Leo IIII.

Leonem Quartum, Conſtantini Copronymi Filium huic adiungo. Hic auaritia impellente per ioci ſpeciem, ceu alter Dionyſius, ex ſanctę Sophiæ capite diadema ſuſtulit, a ſuperioribus Principibus, pręſertim a Mauritio, magnis opibus in eius honorem factum. Itaque cum illud ipſe poſtea geſtaret, eam Deus impietatem vltus eſt. Nam pro gemmis venenati carbunculi atque anthraces Leonis caput obſederunt, coactusq; diadema deponere, viuendi quoque finem fecit.

Quid tu Breſla exultas, quæ nuper Templum Deo & Diuo Adalberto Sacrum inuaſiſti? ſpoliaſti? Sacras iconas ignibus dediſti? & quas furor tuus reliquit detruncaſti? imagines Chriſti cruci affixi demembraſti? Sacratiſſimũ Dei corpus rapuiſti? temeraſti? Quid inquam exultas Breſla, quæ te ſacrilegio tam immani impiaſti? Putas tibi fore inultum? Falleris, ſi putas. *Percuſſiſti maxillam Iudicis* viuorum & mortuorum: expecta Numinis eius vindictam. *Nunc vaſtaberis filia latronis*. *Mich. 5.*

Non pepercit Sacrilegis illis præpotentibus, a quibus tu docta latrocinari in Sancta: neq; tibi Breſla parcet vnquam; ſed tarditatem ſupplicij, grauitate pęnę compenſabit. Vidiſti Breſla Manaſſen Sacrilegũ, propter templum quod ſpoliauit, exoculatum, miſeram in cathenis ſeruiuiſſe ſeruitutem. Vidiſti Breſla & Heliodorum templi depilatorẽ, a duobus cælitibus, male acceptum & mulctatum fuiſſe. Vidiſti Breſla Nabuchodonoſorem quõ propter iniuriam Sacrorum, ingenium ſenſumque communem olim amiſerit, adeoq; delirauerit, vt ſimilis iumentis factus, tanquam extra humanam effigiem, in nulla parte hominum mores agnoſceret. Vidiſti Breſla Balthaſarum Sacris vaſis abutentẽ,

Manaſſes.

Heliodorus.

Nabuch.

Balthaſ.

tunc

Digitized by Google

Digitized by Google